This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

1837
ARTES VERITAS SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE

86
C 13

CLARORVM HISPANORVM
OPVSCVLA SELECTA ET RARIORA
TVM LATINA, TVM HISPANA,

MAGNA EX PARTE NVNC PRIMVM

IN LVCEM EDITA,

COLLECTA ET ILLVSTRATA

A FRANCISCO CERDANO ET RICO,

VALENTINO,

REGIA BIBLIOTHECA, ACADEMIAE HIST. SOCIO,

ET CAVSSARVM PATRONO APVD REG. CONSILIVM.

VOLVMEN PRIMVM.

MATRITI ANNO M. DCC. LXXXI.

APVD ANTONIVM DE SANCHA.

IN PLATEA VVLGO *DE LA ADVANA VIEJA*.

CAROLO III.

HISP. ET IND. REGI

PIO. AVG. PP.

FRANCISCVS CERDANVS

PERP. FEL.

ETSI non ignoro, CAROLE REX potentiſsime, quam præclara, quam illuſtria, quam numeris omnibus abſoluta

*2 es-

348851

esse oporteat, quæ tantæ MAIESTATI offerri mereantur: TVA tamen singulari fretus clementia, et incomparabili illo, quo litteras earumque professores amplecteris, amore inflammatus, temperare mihi non potui, quin collectionem hanc meam augustissimo TVO nomini consecrarem. Idque eo confidentius feci, quod non hominis unius, quantumvis docti et eruditi, labores evulgarem, sed CLARORVM HISPANORVM OPVSCVLA SELECTA ET RARIORA, TAM LATINA, QVAM HISPANA, MAXIMA EX PARTE NVNC PRIMVM IN LVCEM EDITA. *Ego vero,* PRINCEPS OPT. MAX. *quum dies noctesque diligenter apud animum meum reputarem, qua possem ratione reipublicæ litterariæ commodis pro ingenii mei viribus inservire, nihil me opportunius facturum existimavi, hac præsertim tempestate, qua TVO eximio favore artes omnes atque disciplinæ pristino restituuntur nitori, quam si e tenebris in lucem proferrem præstantiora Hispanorum ingenii monumenta, quæ vel*

ob

ob summam raritatem, vel quia manu exarata in bibliothecarum angulis misere adhuc iacebant, nostratium quam paucissimis, exterorum fere nemini erant comperta. Qua diligentia duo nos facile adsequuturos speramus, ut et optimis saneque utilibus libellis Remp. litterariam locupletemus, et quæ olim magnis vigiliis a nostratibus elucubrata fuere, cum incredibili Hispani nominis gloria per universum terrarum orbem propagentur.

Atque hæc quidem documento erunt, superioribus temporibus viros in hoc terrarum tractu non defuisse, qui et ingenii acumine, et rerum cognitione, et linguarum peritia exterorum præstantissimos in certamen vocare potuissent. Nostra vero ætate quid non sperare debeamus, quum TE maximum scientiarum patronum, et liberalissimum doctorum hominum fautorem experiamur? Certe aureum illud sæculum tot laudibus celebratum ad nos rediisse, iure merito licebit gloriari. Quapropter neminem fo-

re arbitror; qui non adsiduo DEUM OPT. MAX. *precetur; imploret ac veneretur, ut* TE *diu servet incolumem ad perficienda quæ tanto cum* TUORUM *clientum beneficio quotidie agitare non cessas.*

Mantuæ novæ in Carpetanis pridie Kalendas Apriles an. M. DCC. LXXXI.

IN-

INDEX

OPVSCVLORVM,

QVAE IN HOC PRIMO VOLVMINE CONTINENTVR.

IO. RAMIRI *de raptu innocentis martyris Guardiensis libri VI.* pag. 1.

—*Epithalamion de nuptiis Philippi II. & D. Annæ Maximiliani Rom. Imp. filiæ*, 95.

—*Epigramma ad* GARSIAM GALARZAM *episcopum Cauriensem*, 101.

IO. GELIDAE Valentini epistolæ aliquot & carmina, 103.

PETRI VALENTIAE Academica, sive de iudicio erga verum ex ipsis primis fontibus, 157.

ALOISIAE SYGAEAE Toletanæ Syntra, aliaque eiusdem ac nonnullorum præterea virorum ad eamdem epigrammata, PAVLLI III. *epistola, & tumulo eiusdem ab* ANDREA RESENDIO *&* CLAVDIO MONSELLO *concinato*, 253.

GASPARIS CARDILLI VILLALPANDEI *Apologia Aristotelis adversus eos, qui aiunt sensisse animam cum corpore exstingui*, 271.

—*Commentarius præcipuarum rerum, quæ in conciliis Toletanis continentur*, 347.

—*Epistolæ aliquot & præfationes*, 461.

IO. B. CARDONAE episcopi Dertusani de regia S. Laurentii bibliotheca, & de pontificia Vaticana: de expungendis hæreticorum propriis nominibus, & de Diptychis: & Oratio de D. Stephano protomartyre, 499.

Doctor IVAN DE VERGARA, canonigo de Toledo: Tratado de las ocho questiones del templo.

Carta del mismo a G. ZVRITA, i su respuesta, 91.

IN-

INDEX
OPVSCVLORVM,
QVIBVS SEQVENS VOLVMEN CONSTABIT.

RODERICI SANCII DE AREVALO, *episcopi Palentini*, *brevis tractatus de arte*, *disciplina & modo alendi & erudiendi filios pueros & iuvenes.*

BERNARDINI CARVAIAL, *S. Crucis cardinalis*, *opera aliquot.*

DIDACI STVNICAE, *Augustiniani*, *libellus de optimo genere tradendæ totius philosophiæ & S. scripturæ explicandæ.*

—*Eiusdem epistolæ.*

FRANCISCI PEGNAE, *de expurgandis iureconsultorum libris*, *abolendisque falsis eorum dogmatibus*, *facilis & brevis methodus.*

PETRI FONTIDONII, *DIDACI SALMERONIS*, *ANTONII AVGVSTINI*, *& aliorum epistolæ Latinæ.*

AMBROSII MORALIS, *IO. VERGARAE*, *DIDACI COVARRVVIAE*, *ALVARI GOMECII*, *PETRI CIACCONII*, *ANT. AVGVSTINI*, *PHIL. & DIDACI GVEVARAE*, *aliorum*, *epistolæ patrio sermone exaratæ.*

Omnia ex Codd. MSS. bibliothecæ viri excellentissimi & numquam satis pro merito laudandi EMMANVELIS DE RODA ET ARRIETA.

FRAN-

FRANCISCVS CERDANVS
LECTORI S. P.

MIrari interdum soleo, quum animo mecum reputo, qui factum sit, ut [1] tam pauci apud nostrates ad hanc diem exstiterint, qui doctorum hominum, quos multos multisque nominibus commendandos Hispania protulit, sæculo præsertim XVI. quod vere aureum possis appellare, lucubrationes undique colligere, & e tenebris in lucem proferre sibi proposuerint. Videmus enim apud ceteras nationes viros industrios, ac Reip. litterariæ commodis satagentes quotidie excitari, qui sive omnia cu-

** ius-

[1] Nostro hoc sæculo non defuere ex nostris, qui Hispanis auctoribus edendis animum applicarent. Nam vir CL. GREGORIVS MAIANSIVS, XII. vir litibus iudicandis in aula urbeque regia FRANCISCI SANCTII BROCENSIS opera omnia Genevæ prodire fecit apud Turnesios fratres anno M. DCC. LXVI. 4. vol. in 8. addita auctoris vita eruditissime conscripta. FRANCISCVS XAVIER ELIAS, congregationis D. Philippi Nerii sacerdos pius & doctus, qui paucos ante annos e vivis excessit, PETRI FONTIDONII quotquot reperire potuit lucubrationes, iunctim dedit Barcinone apud Io. Nadal anno M. DCC. LXVII. I. vol. 8. quibus FONTIDONII vitam præmisit eleganter scriptam & accurate. Sed omnium instar esse poterit immortalis rex noster CAROLVS, P. F. A. qui Academiæ Hist. id munus iniunxit, ut IO. GENESII SEPVLVEDAE opera tam edita, quam inedita in lucem proferret, quæ brevi in manus hominum venient 4. voll. in 4. magnifice excusa. IO. LVD. VIVIS editio Valentiæ paratur excellentissimi viri FRANCISCI FABIAN ET FVERO, sanctæ illius ecclesiæ pontificis laude omni cumulatissimi, ope ac sumtibus. His addere etiam licebit ALFONSI GARSIAE MATAMORI, egregii Hispanorum litteraturæ vindicis, opera omnia cum eius vita.

iusque auctoris opera, sive diversorum scriptorum ingenii monumenta in unum corpus collecta in manus dent litteratorum. Nemini notum non est, quanta cum nominis sui gloria in hoc campo desudarunt viri celeberrimi IO. G. GRAEVIVS, IAC. GRONOVIVS, LVD. ANT. MVRATORIVS, GERARDVS MEERMANNVS, alii: qui quidem non iis modo, quos in lucem edebant, auctoribus, sed sibi etiam ipsis magnam apud posteros famam peperere. Ego vero, quum hanc nostrorum hominum negligentiam æquo animo ferre non possem, nihil non rerum sategi, nullum non movi lapidem, ut quod iamdiu animo ceperam consilium clarorum Hispanorum *Opuscula selecta & rariora* typis mandandi, nunc tandem perficerem sumtus liberaliter suppetente ANTONIO SANCHA, bibliopola ac typographo industrio & ad aggredienda huiusmodi facinora nato. Non dubito, quin & felicius alii, & maiori quam ego rerum apparatu instructi Spartam hanc adornare potuissent: scio enim quam sit mihi curta ingenii supellex. Sed quoniam illi sive inglorium, uti putant, laborem detrectant, sive operibus longe utilioribus dies noctesque insudant, pro virili agrum hunc excolendum suscipiemus. Verum de instituto nostro pauca dicamus.

Propositum itaque nobis est, Hispanorum, qui de litteris præsertim elegantioribus optime sunt meriti, lucubrationes seligere & in plures fasciculos coniicere: neque eas tantum, quæ olim in vulgus editæ jam fuere, & ob insignem raritatem vix in instructissimis bibliothecis reperiuntur; sed quas nondum typis expressas cum blattis ac tineis luctari viri rerum harum æqui æstimatores indignantur. Quum vero noster hic labor Hispanorum potissimum gratia susceptus sit; operæ nos pretium facturos existi-

stimavimus, si ad extremum cuiusque voluminis lucubrationes aliquot patrio sermone exaratas reiiceremus vel ob stili elegantiam, vel ob insignem ac solidam eruditionem dignas, quæ omnium manibus terantur.

Interea illud hic monere opportunum duco, 1 *Opuscula* a me integra exhiberi, nec ulla sui parte mutila. Non enim satis eorum damnare possum incuriamne dicam, an stultitiam, qui auctorum epistolas & præfationes, aliaque id genus libris præfigi solita, in quibus plurima reperire licet ad illustrandam historiam litterariam haud parum facientia, tamquam inutilia prætereunt. Itaque sedulam locabo operam in locupletioribus editionibus adipiscendis ac inter se comparandis, quas totidem verbis repræsentabo. Sicubi vero aliquid aut ab editoribus, aut ab ipsis etiam auctoribus, adiectum, mutatum, aut prætermissum offendero, totum id, subiectis nostris animadversionibus, perquam diligenter adnotabitur.

Quem vero ordinem in hac collectione sequendum mihi proponerem, diu multumque fateor anxius dubitavi. Principio quidem in mentem venerat, *Opuscula* isthæc in varias classes dispescere, ita ut poetica alium, alium historica locum occuparent: & sic de reliquis. Ceterum quum unum eumdemque aucto-

**2 rem

1 Tametsi *Opusculorum* nomen collectioni nostræ indidimus, non tamen ideo hinc omnino amandare est animus lucubrationes aliquot maioris molis, & quæ iustum volumen efficiant, uti ANT. LVLLI *de oratione* libros sex, ALVARI GOMEZII *Musam Paullinam*. Si cui forte videbimur præscriptos nobis limites prætergressi, is sane poterit, per nos licet, *Opusculorum* loco *libros*, *opera*, *lucubrationes* in huius collectionis inscriptione substituere.

rem tùm in poeticis, tum etiam aliis in rebùs longe diversis ingenium suum exercuisse animadverterem, haud æquum putabam eius monumenta per tot volumina vagari dispersa. Commodius mihi certe videbatur omnia singulorum auctorum opera continuata serie congerere: sed nec id absque improbo labore effici poterat tum ob summam, quam diximus, quorumdam, si non omnium, raritatem, tum ne gratam illam rerum ac auctorum varietatem, quæ in huiusmodi collectionibus quæritur, negligeremus. Itaque post longam ac seriam meditationem consultius visum est, nulli neque auctorum, neque scientiarum ordini me adstringere: sed ut optima quæque in manus inciderint, ea statim sub conspectum eruditorum mittere. Aliorum cura esto aut *Corpus poetarum Hispanorum* concinnare, aut celebriorum auctorum *opera omnia* colligere: quos utinam exemplo nostro ad huiusmodi laborem suscipiendum incitemus: quo nihil nobis in hac vita posset gloriosius contingere.

Cuique volumini *Commentarios* nostros sub initium adhibemus, in quibus pro ingenii modulo de 1 auctorum vita, scriptis & in litteras meritis disceptamus. His duplicem præmittimus indicem, alterum *Opusculorum*, quæ in illo volumine contineantur; alterum eorum, quibus sequens constabit.

De operis utilitate ac præstantia dicere supervacuum puto, quum omnes me tacente intelligant, nihil opportunius excogitari potuisse ad Hispanorum litteraturam immortalitati consecrandam, eamque

1 Vitas auctorum omittimus, quum alia eorum opera subsequentibus voluminibus erunt collocanda, quæ nobis videre nondum contigit, ut PETRI DE VALENTIA, IOANNIS VERGARAE, aliorum, de quibus suo loco copiosius dicemus.

que ab iniquorum calumniis vindicandam. Quare nullus dubito, quin 1 viri docti nos tamdiu optata molientes, ac tam præclara meditantes suis opibus iuvent, & quæ in scriniis suis adservant, nobiscum communicare haud graventur, quo remp. litterariam tam egregio sibi demereantur beneficio. Id quod plurimi sponte sua iam effecere. Horum in numero præcipuas sibi partes vindicant viri immortales, EMMANVEL DE RODA ET ARRIETA regi a secretis in omnibus *gratiæ iustitiæ*que negotiis, & consilii sanctioris senator amplissimus; MICHAEL MARIA DE NAVA supremi Castellæ ac cameræ consilii senator; PETRVS RODRIGVEZIVS CAMPOMANES, comes *de Campomanes*, apud utrumque consilium regii fisci patronus; FERDIN. IOSEPHVS VELASCVS, Castellæ ac sanctæ fidei senatus consiliarius, IO. SANTANDER ET ZORRILLA, regiæ bibliothecæ præfectus; GREGORIVS MAIANSIVS XIIVIR litibus iudicandis in aula urbeque regia; EMMANVEL MARIA NEGRETE, marchio *de Torremanzanal*, castrorum præfectus; COMES AQVILAE Hispalensis, MARCHIO TRVXILLORVM, FRANCISCVS PEREZIVS BAIER, primarius regiorum Hispaniæ Infantum præceptor, VINCENTIVS BLASCVS, eques militiæ Montesianæ, eorumdem Infantum magister, & canonicus Valentinus; IOSEPHVS MICHAEL FLORES, iudex militaris in provincia Carpetana, ac R. A. H. a secretis, BENEDICTVS MARTINEZ GAIOSVS sacratioris

sta-

1 Quum non modo Hispanorum scripta proferre, sed & historiam simul litterariam illustrare nobis in animo sit, lectores precamur, ut quæ utrique huic proposito convenire existimaverint, nobiscum communicare non dedignentur. Nos vero probe edocti, nihil homine liberaliter instituto dignius, quam per quos profecerit, confiteri, eorum nomina non sine debita laude adscribemus, qui aliqua in re adiumento fuerint ad collectionem hanc locupletandam.

status tabularii custos, CASIMIRUS ORTEGA, regius botanices professor, alii.

Ad me quod attinet, summa ope nisus sum, ne quid tam in *Opusculorum* delectu, quam in vitandis typothetarum nævis desideretur. Sicubi vero somnus obrepserit, quod opere in longo fas esse pronuntiat Horatius, libenti animo paratus sum 1 errores emendare, atque ex aliorum monitis proficere.

Pæne mihi exciderant duo, quæ minime erant prætereunda. Primum, neutiquam hinc arcendos scriptores quosdam, qui licet apud nostrates lucem haud viderint, civitate, ut ita dicam, Hispana donati fuere, vel quia ingenii sui fetus hic ediderunt, vel quia in nostris academiis animum litteris excoluere, uti PETRUS MARTYR Anglerius, LUCIUS MARINAEUS Siculus, ARIUS BARBOSA, ANDR. RESENDIUS, Lusitani 2 ANDREAS SCOTTHUS, alii. Alterum, doctorum virorum imagines æri incisas à nobis exhibendas, quotquot nancisci contigerit. Quare lectores indicaturos speramus, ubi lateant, ne tam gratis munusculis rerum harum curiosos fraudemus.

1 Ingenue fateor, non mihi per occupationes licuisse operarum errores recognoscere: quare benignos lectores oratos velim, ut si quid inter legendum corruptum offenderint præter ea, quæ statim subiiciemus, typographum moneant, quo prioris voluminis mendæ in secundo adnotentur, & sic deinceps.

2 SCHOTTI *Bibliotheca Hispana*, ALF. GARSIAE MATAMORI *Apologia pro doctis Hispaniæ viris*, & rarissimus VALERII ANDR. TAXANDRI *Catalogus Hispaniæ scriptorum*, forte a nobis edentur instar apparatus ad hanc collectionem non importuni ob Hispanorum elogia.

COM-

COMMENTARIVS
DE VITA ET SCRIPTIS
CLARORVM HISPANORVM,
QVOS HOC VOLVMEN COMPLECTITVR.

COllectioni huic nostræ manus admoturi, ab iis potissimum *Opusculis* initium facere constituimus, quorum edendorum iam olim potestatem nobis fecerat summus Castellæ senatus, anno scilicet M. DCC. LXXII. quo molem hanc ipsam animo agitabamus. Quare veniam facile ab æquis lectoribus impetrabimus, si non aliquam in hoc priori volumine lucubrationem reperiant ex iis, quæ nondum lucem viderint. Sequens autem, ut spero, totum constabit ex id genus operibus, quæ supra quam dici potest humanissime nobis suppeditavit e selecta sua ac rariorum librorum copia refertissima bibliotheca vir omnium scientiarum ornamentis instructus, ac doctorum hominum fautor egregius, EMMANVEL DE RODA & ARRIETA.

Antequam vero tum de auctoribus, tum de scriptis, quibus in hoc volumine locum dedimus, verba faciamus, temperare nobis non possumus, quin summas atque immortales regio Castellæ senatui grates rependamus, quod regiæ Historiæ Academiæ opera, quæ a nobis edenda sunt, examinandi curam demandarit; quo fiet, ut & totum hoc negotium quam ocissime procedat, &, quod summopere erat optandum, magna cum diligentia, ac ut uno dicam verbo, ad Critolai libram expensum. Quid enim mihi polliceri non ausim a tot tantisque viris doctissimis? Verum ad rem.

HIE-

HIERONYMVS RAMIRVS, cuius patriam vitæque conditionem plane me ignorare fateor, niſi quod marchioni Vallenſi fuiſſe a ſecretis dicitur in inſcriptione poematii mox adducendi, ſcripſit quam elegantiſſime verſibus hexametris *de Raptu Innocentis martyris Guardienſis* libros VI. Matriti editos anno M. D. XCII. apud Petrum Madrigal in 4. Huic operi conficiendo auctorem ſuum bimeſtrem tantum laborem impendiſſe diſcimus ex præfatione, qua id exornavit IO. A SALE. Vnde ſummam RAMIRI in concinnandis verſibus dexteritatem, nec minorem ingenii præſtantiam licet deprehendere. *Epithalamion de nuptiis Philippi II. Hiſp. regis Catholici, & D. Annæ Maximiliani Rom. Imp. filiæ* a RAMIRO conſcriptum exſtat ad finem libelli, cui titulus: [1] *El recibimiento que hizo la villa de Madrid a la sereniſſima reina doña Ana de Auſtria*, cet. auctore IO. LOPEZ DE HOIOS, humaniorum litterarum quondam in hac curia profeſſore non incelebri. Multis prodiit deturpatum erroribus hoc poemation, quos nos ſi non omnes, maximam ſaltim partem eluere conati ſumus.

Epigramma in laudem *Evangelicarum inſtitutionum* PETRI GARSIAE GALARZAE, epiſcopi Caurienſis, lucem viderat una cum eruditiſſimo hoc opere a nobis in hac collectione, ſi Deo placet, edendo, Matriti M. D. LXXIX. in 4.

Denique habemus IO. RAMIRI, *ampliſſimi Vallis marchionis ſecretarii*, *ad* IO. ANTONIVM DE HERRERA TEMIÑO *magnæ ſpei puerum Epigramma*, quod quia ſuo loco inſeri non potuit, minime hic prætermittendum putavimus. Ecce illud:

Intrepidas pueri diſcunt vix promere voces,

Quum

[1] Editus eſt hic libellus Matriti M. D. LXXVIII. in 4.

Quum levis imbelles armat arundo manus.
Tu puer, ANTONI, *quum sis, non es tamen infans;*
Sessitat in labris Suada diserta tuis;
Aetatemque supra sapis, & iam Nestora vincis,
Et tibi nescio quid te quoque maius inest.
Quum caderes de matre ulnis cepere cadentem
Pierides, gremio sustulit alma Charis.
Ambrosiæque deum minime cedentia in ore
Contraxere tuo mella Platonis apes.
Hinc tibi tam dulci demanant verba palato,
Hinc lepos atque sales, hinc veneresque fluunt.
Quid restat, nisi ut ipse sacram rapiaris in aulam,
Laturus nectar pro Ganymede Iovi. 1

IO. GELIDA Valentinus, vir fuit Græce Latineque doctus, philosophus sua ætate magni nominis, & poeta minime contemnendus. De eius vita ac scriptis verbum addere supervacuum ducimus, quum id eleganter & copiose sit exsequutus IACOBVS BVSINVS in præfatione pag. 105. a nobis adlata, quam integram, auctoris nomine dissimulato, in suam intulit *Bibliothecam* A. S. PEREGRINVS, sive, quod verum eius est nomen, ANDREAS SCHOTTVS S. I. vir eruditissimus, deque Hispania optime meritus, pag. 615. Ex hoc fonte sua corrivarunt, AVBERTVS MIRAEVS, cuius verba postea adducemus in *Script. sæc. XVI.* NICOLAVS ANTONIVS *in Biblioth. Hisp.* IOSEPHVS RODRIGVEZIVS & VINCENTIVS XIMENIVS in *Valentinis scriptoribus.*

Pauca quidem ingenii sui monumenta ad nos transmisit GELIDA, sed quanti sint habenda, nisi ipsa per se loquerentur, discere possemus ex IO. LVDOVI-

1 Exstat hoc epigramma sub initium *Lusuum pueritiæ* IO. DE HERRERA TEMIÑO Matriti editorum apud Ludovicum Sanchez, in 8. anno. M. D. XCIX.

CO VIVE, viro inter Hispanos ob iudicium & eruditionis copiam nemini secundo, qui eum *alterum sui temporis Aristotelem* appellare non dubitavit.

Edita sunt GELIDAE *Epistolæ aliquot & carmina* simul cum ARNOLDI FABRICII *Aquitani, viri Latinitatis purioris in primis studiosi & docti epistolis etiam aliquot*, Rochellæ apud Barthol. Bertonem an. M. D. LXXI. in 4. Summam huius operis raritatem deprædicant AVG. BAIERVS in *Memoriis historico-crit. librorum rarior.* p. 207. sq. & IO. VOGT in *Catal. histor. crit. libb. rar.* edit. III. p. 304. Nos eius exemplar nacti sumus ex bibliotheca fautoris nostri EMMANVELIS NEGRETE, marchionis *de Torremanzanal*, castrorum præfecti, quod quidem exemplar fuit quondam STEPHANI BALVZII Tutelensis, uti eius manu notatum reperimus in operis fronte, ubi etiam scriptum reliquit: *Exstant epistolæ duæ* ROBERTI BRITANNI *ad* IOANNEM GELIDAM *inter epistolas* ROBERTI (quas frustra quæsivimus) *fol.* 28. 36.

Tametsi summo erat in pretio GELIDA apud Burdigalenses, nescio quem tamen nactus est adversarium, de quo passim queritur in epistolis. Sed nomen eius consulto in editione omissum fuit, appicta stellula, cuius loco nos *N.* collocavimus, quod lectorem monuisse non inutile ducimus.

ARNOLDVS FABRICIVS paullo ante laudatus GELIDAM celebrat epist. IX. ad ELIAM VINETVM, ubi hæc habet: *Homo nostras, quem tu nuper de me rogasti, istinc reversus, salutem mihi dixit tuo nomine, simulque de IO. GELIDAE gymnasiarchæ morte, & quemadmodum tu in illius locum esses suffectus, narravit. Quo nuntio varie certe sum adfectus: nam GELIDAE viri eruditi & probi interitu dolui, & in isto munere tibi demandando, publicæ utilitatis non minus, quam dignitatis tuæ rationem esse habitam, vehementer lætor.*

IV-

IVLIVS CAESAR SCALIGER hoc GELIDAE parentavit epigrammate:

Qui toties animam, GELIDA mi magne, dediſti,
Namque anima eſt: anima quin mea fama prior.
Si quantum accepi, quantum tibi debeo, pendam,
Grata nec averſus deſerat ora pudor;
O animæ huius, adhuc poſſis ut vivere, tecum
Partior has fati, quas dedit aura, vices.
Quod ſi non licet; at, quantum licet, accipe famam;
Hinc tibi ſiqua tamen vivere fama poteſt.
Quod ſi fama tibi es, nec noſtro cedis honori:
Sit ſat, velle tibi, nec potuiſſe dare.

AVBERTI MIRAEI verba digna ſane ſunt, quæ hic legantur. » IO. inquit, GELIDA Valentiæ in Hiſpa- » nia natus, quum ſibi perſuaſum haberet, philoſo- » phiæ coniungendam eſſe eloquentiam, quadragenario » maior Ciceronem ac reliquos Latinos auctores ſerio » primum legere cœpit, Græcasque deinde litteras ad- » eo avide adripuit, ut in utraque lingua brevi ex- » celleret. Lutetiæ itaque gymnaſio, cui a cardinali » conditore nomen eſt, cum laude præfuit; deinde » ANDR. GOVEANO Burdigalæ in ludi Aquitanici regimi- » ne ſucceſſit, ubi & ſub annum Chriſti M.D.LVI. » ſexagenario maior vivere deſiit. Vir de univerſa A- » quitania ac litteris optime meritus, eoque nomine » a IVLIO CAESARE SCALIGERO & aliis laudatus. Præ- » ter Commentarium in *Logica* Ariſtotelis vir mode- » ſtiſſimus nihil edidit. Amici tamen eius epiſtolas a- » liquot M.D.LXXI. publicarunt: quæ quidem Lati- » ne ita perſcriptæ ſunt, nihil ut ſupra fieri poſſe » videatur. GELIDAE amico ſuo ELIAS VINETVS a ſe- » natu populoque Burdigalenſi ſubſtitui meruit. «

PETRVS DE VALENTIA, BENEDICITI ARIAE MONTANI, Deus bone, quanti viri! discipulus tanto magistro non indignus, plurima quidem scripsit, sed maximam partem nescio ne sui magis, an Hispanici nominis iactura, inedita remansere, quum & doctissima sint & quovis pretio digna. Nobis doctorum hominum ac de rep. litteraria optime meritorum beneficio omnia fere, quæ a N. ANTONIO in sua *Bibl. Hispana* memorantur, 1 nascisci contigit, iisque locum faciemus in hac collectione, addita auctoris vita, cui ex eius operibus clariorem lucem adfundemus.

Academica, sive *de iudicio erga verum* libellus, mole quidem exiguus, sed eruditione longe maximus, etsi non semel extra Hispaniam editus, raro tamen in his oris occurrebat: quare eum quam primum recudendum curavimus, quum tanti fieri ab exteris videremus. IOSEPHVS OLIVETVS in præfatione ad Ciceronis opera abs se edita cum delectu commentariorum Parisiis anno M. DCC. XL. & XLII. novem voll. 4. egregia hæc de nostro deque eius opere litteris consignavit: „ PETRVS VALENTIA, ortu Cordubensis, qui se tamen *Zafrensem* inscripsit, quod originem e *Zafra* „ repeteret, oppido in extrema Bætica, homo non vulgariter doctus, & qui haud scio, an omnium sollertissime in veteris philosophiæ adita penetraverat: „ *Academica* Ciceronis, quæ supersunt, mutilata adeoque obcura, non brevibus quidem disiunctisque scholiis, at continenti oratione ita explanavit, ut mihi solus ea intellexisse videatur. Opus illud hactenus ra-

„ ris-

1 VALENTIAE opera aliquot αὐτόγραφα adservantur tum in regia bibliotheca Matritensi, tum in Scurialensi. Alia penes nos sunt magna diligentia conquisita: alia nobiscum communicarunt IOS. FLORESIVS, R. A. Hist. a secretis, & THOMAS MORALES Hispalensis I. C. non incelebris.

„ riſsimum paucisque cognitum prodiit ex officina Plan„ tiniana M. D. XCVI.“

Vt vero operi suo maius pretium conciliaret OLIVETVS, optimo sane consilio VALENTIAE *Academica* post Ciceronis de eodem argumento lucubrationem adiicienda curavit: quod exemplum sequuti sunt postea Genevenses ac Patavini typographi, qui Olivetanam Ciceronis editionem recuderunt.

Dominus Durand, homo sane quam eruditus, qui sibi proposuerat integram operum Ciceronis philosophicorum collectionem Gallice & Latine in lucem dare suis notis illustratam II. voll. in specimine tom. XV. *Biblioth. Britannicæ* inserto a p. 392. hæc habet p. 402. „ Ayant lu dans un projet in 4. imprimé a Paris un „ eloge notable des *Academiques* de VALENTIA, vrai „ commentaire de celles-ci, je conçus une envie extre„ me de voir ce livre; & comme je ne le trouvois „ point ici, j'eus recours a la bibliotheque de Oxfort, „ ou je savois qu' il êtoit, & ou j' eus moins la pei„ ne que le plaisir de le copier. Je trouvai en general „ que l' auteur du projet (OLIVET) n' en avoit im„ posé, & je conclus, qu' avec ce secours je pou„ vois entrer dans l' esprit d' un original, dont j' „ avois une si bonne clef.“ Certe vol. XVII. eiusdem *Bibliothecæ* pag. 102. reperio in lucem iam prodiisse: *Academiques de Ciceron avec le texte Latin de l' edition de Cambridge, & des remarques nouvelles, outre les conjectures de Davies & de Mr. Bentley, & le commentaire philosophique de VALENTIA. Par un des membres de la Societé R. a Londres. M. DCC. XL.* 8. In quadam præfationis particula, quæ ibi adfertur, postquam editor de Academicorum obscuritate disseruit, sic loquitur p. 105. „ C' est ce qui me faisoit souhai„ ter avec ardeur de voir le livre de VALENTIA, ou „ j' ai trouvé en effet la plûpart des eclaircissemens dont

„ j'

» j' avois besoin. Il porte le titre *d' Academiques* de » *PIERRE DE VALENTIA*, qui se dit *Zafrensis* » *in extrema Bætica*, c' est-a-dire *de Zafra a l' extremité* » *de l' Andalousie*, quoique l' auteur du projet le fas- » se de Cordouë, nos dictionaires historiques n' en par- » lent point. Dans sa dedicace il se donne pour juris- » consulte, & a la fin de son commentaire pour un » homme occupé, & qui ne neglige pas sa profession. » Il promet quelque part un traité expres *sur la mo-* » *rale* des Stoïciens : c' est dommage qu'on n' en ait » point ouï parler depuis, au moins que nous sça- » chions : car avec sa profondeur & sa netteté il nous » eut developpé bien des choses tout autrement uti- » les que les contestations des deux Academies, sur » tout pour les entretiens *de Finibus* encore aujour- » d'hui si obscurs. Mais quoiqu' il en soit, ce que » nous en avons est excellent en lui-même, necessai- » re pour bien comprendre Ciceron, & particuliere- » ment ces deux fragmens. Il paroit un peu pencher » lui-même du côté du doute, quiqu' il fasse pro- » fession de tenir la balance égale. On y voit d' a- » bord une origine singuliere de la philosophie qu' il » regarde comme la fille de l' oisiveté & de la paix: » ensuite un grand eloge de celle de Socrate : de » la il passe aux principes de Platon & au jugement » du vrai, qu' il assignoit proprement a l' esprit sans » exclure l' aide des sens. Enfin il vient au grand » sujet de la dispute entre Zenon & Arcesilas, & exa- » mine d' apres Ciceron, mais dans une plus grand » étendue, les armes de l' un & de l' autre. Les sub- » tilitez du Portique l' occupent assez de tems, & ce » n' est pas l' endroit le moins travaillé de son livre. » De la il passe a Pyrrhon, a Antiochus, a Chry- » sippe, a Carneade, a Philon si peu connu, mais » qu' il caracterise, comme les autres, par de traits

» qui

„ qui lui conviennent. Il finit par Epicure, dont il de„ veloppe avec la même habilitè le veritable systeme „ sur le temoignage des sens, tout autrement plausi„ ble que Ciceron ne l' a représenté. Voilà en gros le „ contenu du livre de VALENTIA, qui ne m' a pas peu „ servi, comme on peut croire, pour donner a ma tra„ duction & a mes scholies un certain degré de lumie„ re, qui peut-etre les garantirá de l' oubli. En re„ connoissance de ces secours, & pour obliger les „ curieux, j' ai fait reimprimer le livre même avec un „ exactitude rare & digne du sujet, me souvenant toû„ jours du precepte de mon Pline: *qu' il n' y a rien „ de plus beau ni de plus digne de la modestie d' un „ honnête homme que d' avouer ingénîment a qui on est „ redevable de ses progrès;* quoique il y ait bien des „ auteurs qu' en agissent differemment." En ut exterus homo de Hispano loquitur!

Ipsi etiam *Bibliothecæ Britannicæ* scriptores vol. XVIII. a pag. 60. ad 146. longum & accuratum nobis dedere *Academicorum VALENTIAE* excerptum, una cum eius vita ex NIC. ANTONII *Bibliotheca* desumta, optareque sese non dissimulant, ut omnia tanti viri monumenta iunctim ab aliquo in lucem edantur.

ALOISIA SYGAEA Toletum patriam habuit, patrem vero Didacum Sygæum, Gallum hominem, de quo hæc 1 Io. Vasæus: *Multum debet huic viro Lusitania, quipp qui vel primus, vel certe ex primis litteras humaniores Lusitaniæ invexit, postea illustrissimi Brigantiæ ducis & fratrum ipsius præceptor, nunc tandem in regiam familiam cooptatus est, & a rege studiorum amantissimo* (Io. III.) *docendis aulæ regiæ pueris nobilibus præfectus.* Tam docto usus patre SYGAEA, mi-

1 In *Chronico Hispaniæ* cap. IX.

mirum non est eruditissimam evasisse feminam non tam scientia rerum ac linguarum peritia, quam morum honestate insignem. Hinc fama studiorum eius in dies crebrescente, in aulam Lusitanam admissa est & instituendæ Mariæ infanti adhibita. Ibi nupsit Francisco Guevæ civi Burgensi, non obscuri sanguinis viro, quem postea habuit a secretis Maria 1 Hungariæ ac Bohæmiæ regina. Sed præstat quæ diximus, ipsius SYGAEAE verbis exprimere. Sic enim illa ad Philippum II. scribens: „Quum patria essem Toletana, „nutrita tamen apud Lusitanos, ac e Gallis oriun„da, & Latina lingua, Græca, Hebræa, Chaldea, nec „non Arabica mediocriter a patre meo ceterisque præ„ceptoribus erudita, inque Lusitanam aulam beni„gne admissa, ac erga Mariam infantem serenissi„mam præceptoris munere non infeliciter usa, Burgen„si civi nupsi non abiectæ quidem sortis, nec obscu„ri sanguinis viro, qui me in patriam adsportavit „suam, ubi quum serenissima Hungariæ regina maie„iestatis tuæ numquam silenda matertera me casu ne„scio quo videret, benevoleque adloqueretur (quæ suæ „fuit in doctos omnes propensio) me maritumque „meum in obsequium sponte adscivit: illo usa est „a secretis, me vero a studiis in nobilium femina„rum numero, quoad vixit; nunc vero vita fun„cta, mediocrem sane annonam, ac pro tempore, quo „il-

1 Inter SYGAEAE epistolas ternas reperio ad Mariam Hungariæ reginam Vallisoleti commorantem transmissas: prima Burgis exarata anno M. D. LVII. gratias ei agit, quod sibi suoque marito præmia digna reddituram se data fide regia spopondisset; altera se excusat, quod per mariti absentiam non sibi liceret ad reginam advolare: tertia *sequenti anno mense Martio* scripta huius procrastinationis caussam reiicit in stomachi nauseam duraque fastidia, quæ utero tunc laborantem fatigabant.

„ illi inservivimus, non adspernandam nobis reliquit, „ non tamen eam, qua in patriam commode possimus „ remeare, ac sine rubore patrios lares repetere. Ad „ te igitur aufugimus, ad te videlicet, quem Deus „ Optim. Max. christiani gregis verum moderatorem, „ benemeritum (dum nobis pie consuleret) statuit; in „ quo nec bonarum artium peritiam, nec pietatis a- „ morem, nec gubernandi sollertiam possit malevolo- „ rum quis obiicere, non ad plenum splendere: quum- „ que secundum comicum nulla vis maior pietate sit, „ tuam supplex posco lumina, ut maritum meum in ser- „ vorum numero adscribi iubeas eo in ordine, eisque red- „ itibus, qui Mariæ reginæ a secretis virum deceant. “

Ipsa etiam SYGAEA in alia *ad Alfonsum de Cuevas coniugis fratrem* epistola de studiis suis deque paterna institutione hæc habet: „ Quum tot linguarum atque „ aliarum artium studiis a tenerrimis annis desudarim, „ ac deinde in regum aulam adscita fuerim ab i- „ psis principibus rogato, ac potius coacto patre, quo „ in plurimis usa sum præceptore, quam illius aut pre- „ cibus, aut fautorum ambitu regibus oblata, ac post „ tredecim annorum spatium sedulæ servitutis fratri tuo „ mihi coniugi dulcissimo ipsorum permissu nupserim, „ videamque studiorum atque aulicæ illius onerosæ ser- „ vitutis sat debita præmia negari, & me iterum ma- „ rito meo, dum, ut feminam extra aliarum aleam po- „ sitam decebat, commodo futura essem, esse incom- „ modo, matremque vestram pientissimam, cui ab i- „ pso sponsalium articulo inservire mihi fuit animus, „ hac de caussa adversa valetudine iam secundum men- „ sem, ut scribis, laborare, ac nunc demum de ipsius „ salute coniugi meo, pariterque mihi tam exoptata, „ quam etiam necessaria, vos omnes addubitare intel- „ ligam, vix me ab illo, quem percepi, dolore coer- „ cere possum.“

Duos habuiſſe fratres SYGAEAM diſcimus ex eius epiſtola ad Paullum III. ſummum pontificem Vlyſſipone conſcripta Idibus Iulii anno ſalutis M. D. LVII. ubi ſic legimus: „ Sunt mihi duo fratres germani, al-
„ ter natu maior, qui paribus mecum auſpiciis in lin-
„ guarum varietate eſt inſtitutus; deinde in Complu-
„ tenſi, nunc in Conimbricenſi publica ſchola philo-
„ ſophiæ ac ſacræ theologiæ dat operam per XXI. an-
„ nos, cum pietatis ac morum approbatione ad ſacros
„ ordines initiatus. Eſt alter natu minor, qui iam bien-
„ nium in ſanctitatis tuæ curia verſatur apud Gaſpa-
„ rem Barrerium de litteris ac virtutibus benemeri-
„ tum virum, iuvenis in Latinis litteris, atque in mu-
„ ſicis & ſcribendi concinnitate mediocriter eruditus,
„ ad curialia perdiſcenda negotia miſſus. Hunc tua ſan-
„ ctitas in familiam ſuam dignetur adſciſci iubere ea
„ vitæ conditione, quæ SYGAEAE polyglottæ fratrem
„ germanum deceat; alterum vero reditibus eccleſia-
„ ſticis per aliquam formam, quæ occurrerit, orna-
„ re & ditare de apoſtolicæ poteſtatis plenitudine di-
„ gnetur tua ſanctitas. Quod ſi mihi conceſſerit, vi-
„ rum litteris æque ac virtutibus ornatum ferventius
„ Deo ſervire faciet, &, quemadmodum ſæpe alias,
„ ſanctitatis tuæ longe lateque patebit liberalitas, &
„ me meoſque omnes felices ubi reddiderit, nec ope-
„ ræ, nec impenſæ in bonis artibus nos umquam pœ-
„ nitebit.“

Habuit & ſororem Angelam nomine, quæ etiam linguarum & muſices peritia claruit.

De 1 obitu ALOISIAE illuſtris eiuſdem ætatis poetæ verba lubet adducere. En illa:

LOI-

1 *LVISIAE patrem Didacum Sygæum obiiſſe in Portugalliæ oppido* Torres-novas, *ibique in cœnobio Carmelitarum*

LOISIAE SIGAEAE TOLETANAE

SAECVLI SVI MINERVAE

1 IOANNES MERVLVS TOLETANVS

B. M. T.

Docta SYGAEA iacet gelido sub marmore, cuius
Ob mortem mærens heu gemit Hesperia.
Et merito, quoniam Hebræa, Græca atque Latina,
Non secus ac patria, voce perita loqui.
Invida mors rapuit idiomata tanta puella
In tenera admirans accumulata simul.
O mors in vanum livor, difusa per orbem
Fama volat, sanctam non capit urna animam.

rum iacere cum hac epigraphe: AQVI IAS DIEGO SYGEO, *retulit nobis eiusdem oppidi civis frater Emmanuel a Resurrectione Augustinianus excalceatus, dum in urbe Roma Lusitanæ provinciæ suæ procurator ageret, quo cum parente sepeliri se ipsa voluit in confecto ibidem loci, dum ibi moraretur, prius quam in Castellam se conferret, publico ultimæ voluntatis coram Constantino Mendez de Gouvea notario eiusdem oppidi de* Torres-novas *expressæ documento*: *quod se vidisse idem pater Emmanuel adfirmabat*. Hæc NIC. ANTONIVS in additionibus MSS. ad suam *Bibliothecam*, quæ nunc cum immortali hoc opere suis locis insertæ excuduntur IO. SANTANDERIS regiæ bibliothecæ præfecti diligentia, iussu autem CAROLI III.

1 MERVLVS, ex quo mutuati sunt hoc epigramma SCHOTTVS & ANTONIVS, patria fuit Toletanus; scripsit *Epigrammaton libros VI. ad præceptorem doctissimum, & amantissimum magistrum Alfonsum Cedilium linguæ Latinæ professorem in florentissima academia Toletana*. Exemplar operis huius poetici ipsa, uti videtur, auctoris manu passim emendatum exstat in bibliotheca CL. V. FERDINANDI IOS. VELASCI alibi iam a nobis laudati.

Toletum nascentem excepit, Lusitania honores & divitias dedit, Burgi maritum, unicamque filiam, &, proh dolor! ante diem sepulcrum, anno salutis M. D. LX. Octobris die XIII.

I FERDINANDVS RVIZIVS VILLEGAS, Burgensis, poeta non incelebris, tria exaravit epigrammata lectu dignissima, quibus SYGAEAE mortem lamentatur.

I. DE MORTE SIGAEAE.

Ergo obiit decus orbis? & hoc iacet inclita Phoebi
Gloria, Musarum spesque iubarque loco?
Illa ergo, illa iacet tumulo hoc, quae femina doctis
Anteferenda fuit, diva SYGAEA, viris?
Illa Palestine, Graece, Latieque perita,
Quam decimam Musis addidit Hesperia?
Nec dirum patrasse nefas, rupisse beata
Stamina crudeles erubuere deae?
At sacer in lacrymas Helicon, Pindusque Rhodosque,
Nec non Parnassi collis uterque fluit.
Quin pater ipse etiam cytharam indignatus Apollo
Fregit, &, Haec quod agat, nil magis, inquit, habet.
Per quam numen eram, per quam mihi gratus, ademta est:
Vmbra modo, & Phoebus non nisi mutus ero.
Ad quem Musarum planctu chorus inquit amaro,
Singultu voces impediente graves:
Hactenus Aonides fuimus, fuit Hippocrene,
Numinis atque ingens gloria, Phoebe, tui.
Splenduit eloquii iubar hactenus, ardens
Doctrinae emicuit cultus, & almus honos.

Quae

I VILLEGATIS quae extant opera V. CL. EMMANVELIS MARTINI, Alonensis ecclesiae decani, studio emendata, edita sunt cura & diligentia BERN. ANDR. LAMAE Venetiis typis Io. B. Albrizzi anno M. DCC. XXXIV. 4.

Quæ tamen eripuit terris mors dira SYGAEAM,
Phœbeum eripuit Pieriumque caput.
Nec quidquam reliqui, lacrymas nisi, fecit, & orbis
Aeternum nequeat quod doluisse satis.
Sic divi & pariter tumulo accubuere, sepulcrum
Signantes mæsti carminis indicio.
Hæc tegit urna novem Musas Phœbumque, SYGAEAM
Quæ tegit, inque uno marmore turba sumus.

II. DE SYGAEA.

Quum rapere ambiret solam mors dira SYGAEAM,
Ingens cælicolum copia posse negat.
Egregia in forma moriar, Venus inquit, oportet:
Subdit: & in casto pectore obibo, Pudor.
Culta Minerva: Manus sine me periisse SYGAEAE,
Nec possunt sine me lumina, dixit Amor.
Phœbus Idumæa, Latia, Græcaque loquela,
Occido, ait, docto turba novena simu.
Quum mors indignata refert, rapere ausa SYGAEAM,
In superos quid ni sæviat illa manus?
Dixit: & erepta, Musæ Phœbusque, SYGAEA,
Et Venus & Probitas, Pallas Amorque iacent.

III. SYGAEAE TVMVLVS.

Siste, hospes; brevis est labor; heus consiste: puella
Te voco, quæ gelido contegor hoc tumulo.
Hæc satis ampla moræ merces tibi; sed cape maius
Hoc pretium, ut quæ sim marmore clausa, legas.
Hic sum communis mundi dolor, illa SYGAEA,
Illa novem Aoniis addita virginibus:
Erudiit cunctis quam Pallas in artibus, & quam
Ornarunt forma conspicua Charites:
Quam docti stupuere viri, quam maxima Roma,

Quam

Quam Græci & Solymi, quamque perusti Arabes.
Ergo capit cuius vix tellus nomen, at una
Hæc tegit exiguo marmore membra brevis.
Nescius hoc volui ne esses. I, fide caducis
Aut formæ aut rari dotibus ingenii.

Multi quidem SYGAEAE laudes pro dignitate celebrarunt: quorum testimonia, si non omnia, salutim potiora huc transferemus.

IACOBVS SALVATOR Murgensis in *Poeticis* non minus raris, quam elegantibus, Salmanticæ editis apud Io. a Canova anno M. D. LVIII. in 8. duo scripsit epigrammata

AD ALOYSIAM SYGEAM.

Tu decus Hesperiæ nostros, ALOYSIA, versus
Accipe, reginæ te licet aula premat.
Et lege quales sint nostras, SYGAEA, Camœnas
SYGAEA Hispani gloria rara soli.
Non Pompeianas cantamus in orbe secures,
Nec qualis veniat Cæsarianus eques:
Non monumenta Pyli, nec Cæsaris amphitheatrum,
Nec Babyloniaci mœnia celsa loci.
Venisti tu sola meis cantanda Camœnis,
O SYGAEA, decus delitiæque patris.
Sola Toletanæ, SYGAEA, es gloria gentis,
Qua currit toto notus in orbe Tagus.
Nusquam nata fuit tam læto femina fato,
Sive Latina fuit, Græcaque sive fuit.
Tanta tibi est Latiæ scriptis facundia linguæ,
Atticus & roseo tantus in ore lepos:
Vt dubitem Hesperiam talem genuisse Latinam,
Et talem Danaam te genuisse Tagum.
Adde quod Hebræis poteras contendere virgo,

Cum-

Cumque Syris facile iam potes ipsa loqui.
Invidet omnis Arabs germanam, ALOYSIA, linguam,
Quod superas Arabes, & superare pium est.
Felix quæ tantis potuisti vincere linguis
Et Crassum, atque alios femina sola duces.

AD EAMDEM.

Auges Musarum numerum, Charitumque dearum,
Pieridum decima es tu mihi, quarta Charis.

AND. RESENDIVS in epistola ad Mariam Portugalliæ principem, post celebratam ex aulicis feminis Vasiam quamdam,

Altera, inquit, *SYGAEA est, virgo admirabilis, unam*
Quam natura parens ideo produxit, ut esset
Femina, quæ maribus vitam opprobare supinam
Posset, & ignavos magno adfecisse rubore.
Nam quum septenæ vix dum trieteridis annos
Computet, indefessa dies noctesque Latinas
Volvere non cessat chartas, non cessat Achæas,
Moseaque & Solymos rimatur sedula vates;
Quin per Achemenios scopulos, Arabumque salebras
Currit inoffense, linguarum quinque perita.

ALFONSVS GARSIAS MATAMORVS in *de adserenda Hispanorum eruditione, sive de viris Hispaniæ doctis narratione apologetica*, ait: *Quid SYGAEAM Tolatanam* (referam) *quam propter litteras Latinas, Græcas & Hebraicas serenissima Lusitaniæ regina intra aulam suam incredibili admiratione excepit, & in illustrium feminarum classem, quibus ipsa privatim & honestissime uteretur, statim referri voluit?*

LVDOVICVS NONIVS in *Hispania* pag. 185. edit. A-

Antuerp. 1607. » Non pigebit referre ALOISIAM SY-» GAEAM, virginem Toletanam, quæ cum sui æ-» vi doctissimis viris conferri posset, fuisseque quin-» que linguarum adeo peritam, ut non immerito Paul-» lus III. Pont. Rom. litteras illius ad se scriptas vi-» dens, Latine, Græce, Hebraice, Syriace & Arabi-» ce, admiratus fuerit in tenella hac & mustea vir-» gine tam multiplicem ingenii fructum.

PAVLVS COLOMESIVS in *Italia & Hispania Orientali* pag. 236. hæc scripta reliquit: » 1 Debito fraudan-» da non est elogio LOISA SYGAEA, Toleti in Car-» pentanis nata, linguarum Latinæ, Græcæ, Hebrai-» cæ, Syriacæ & Arabicæ ad miraculum in hoc sexu » perita, ob idque in aulam reginæ Lusitaniæ adsci-» ta, ubi & non modicas opes ex regali munificentia » sibi paravit, & ANGELAM sororem paribus ingenii » dotibus excultam habuit; a IO. VASAEO ANDREA » RESENDIO, ALVARO GOMETIO, & FRANCISCO LVISI-» NIO certatim laudata, quæ quum Burgis postea do-» micilium fixisset, a FRANCISCO CVEVA marito an-» te diem, superstite ex ipsa filio, elata est Id. Octo-» bris anni M. D. LX. «

Sed

1 Habet hæc THVANVS, ex quo & repetiit TEISSERIVS cum quibusdam ſuis accessionibus in *Elogiis Thuanæis* tom. I. pag. 191. seq. Compara NIC. ANTONIVM in *Biblioth. Hispan. Nov.* tom. II. pag. 57. seq. IO. VASAEVM in *Chronico Hispaniæ* cap. IX. CHRISTIAN. IVNCHERVM in *Centuria feminarum eruditarum* p. 336. sq. Quæ sub illius nomine exstat *Satyra Sotadica*, ex orco nata & perpetuis tenebris damnanda, nomen mentitur, quod coniecturis primum adsequutus est DAN. GEORG. MORHOFIVS in *Polyhistore litterario* lib. I. c. 8. argumentis autem idoneis confecerunt alii, verumque eius auctorem IO. VVESTRENE, I. C. Hagiensem, indicarunt. Lege IO. MOLLERI *Homonymoscopiam* pag. 35. & adnotationes ad Morhofii *Polyhistorem* p. 81.

Sed iam tandem ad enarranda SYGAEAE scripta deveniamus. Et primo quidem in hunc censum venit

Syntra, quæ cum aliis SYGAEAE, ac nonnullorum præterea virorum ad eamdem epigrammatis, Paulli III. epistola, ac tumulo eiusdem feminæ ab AND. RESENDIO & CL. MONSELLO concinnato, lucem vidit Parisiis ex typographia Dionysii a Prato, M. D. LXVI. 4. NIC. ANTONIVS, quod mirere, nullam huiusce editionis habuit notitiam. Nos eam eruimus ex penu libraria marchionis *de Torremanzanal.* 1 Quando scriptum fuerit hoc poemation, nobis haud constat. Certe missum est a Iacobo Sygæo ALOISIAE fratre Parisios ad Io. Nicotium Gallorum regis apud regem Lusitaniæ legatum, Vlyssipone VI. Non. Octobris an. M. D. LXI. In eo eleganter describitur villa regum Lusitanorum *Syntra* appellata. Quemadmodum vero multos ante annos litteras dederat SYGAEA ad Paullum III. Hebraice, Græce, Latine atque Arabice scripas, ut ingenii sui ac navatæ litteris operæ specimen aliquod exhiberet summo pontifici, a quo 2 epistolam impetravit plenam benevolentiæ ac comitatis, ita anno M. D. XLVI. *Syntram* ad eumdem transmisit, addita etiam 3 epistola, quam minime hic prætereundam ducimus.

„ Obtuleram iam diu sanctitati tuæ quosdam inge„ nioli mei flosculos studiosi instar agricolæ, qui flo„ rentibus primum plantulis deorum cingit aras, ut „ iis propitiis ad iustam proceritatem exsertæ uberio„ res fructus ferant. Nunc vero iugi studio, prove„ ctiori ætate, & cura vigilantissima, quum ad ali„ quanto maiores litterarum proventus essem provecta, „ operæ duxi pretium maturiorum fructuum indicatu-

***** „ ram

1 Scriptum iam anno M. D. XLVI. discimus ex epistola mox adducenda.

2 V. p. 266. huius vol.

3 Exstat inter SYGAEAE epistolas primo loco.

„ram linguarum varietate exornatam ad sanctissimos „ pedes tuos, vere pontifex maxime, profundere; acces„sit etiam Britonii poetæ egregii ac philosophi sua„sus, cui, si bene memini, abhinc sexennio immatu„ras primitias audacula ad beatitudinem tuam perfe„rendas curaveram. Is sane nuper a nobis subrusti„cum pudorem quadam epistola prosus excussit, ad„serens id, quod per totum orbem christianum fa„ma celebrat, te cælestis aulæ clavigerum, *qui ape„ris, & nemo claudit, qui claudis, & nemo aperit*, „non, ut mortales principes solent, difficilem, non „morosum, non parcum, quin humanissimum, cle„mentissimum, atque in bonos propensissimum esse. „Sed ne tot epistolarum numero sanctitatis tuæ aures „gravioribus hac tempestate negotiis defatigatas ob„tunderem, Musæ meæ modulos apposui, quod bea„titudinem tuam numeris potius, quam oratione so„luta audierim delectari. Accipiat igitur læta fronte „*Syntram* nostram in gratiam Mariæ Portugalliæ in„fantis serenissimæ editam, quippe cui nostras ope„ras eo libentius locamus, quod, quemadmodum cum „Cæsare ac reliquis monarchis sanguinis splendorem, „sic cum Musis rationem studiorum habet coniunctis„simam; quod si sexui, ingenio & eruditioni nostræ, „sacratissimo pontificatu tuo florente, favere cœpe„rit tua sanctitas, immortale hoc cum aliis innume„ris beneficiis tota celebrabit posteritas. Valeat feli„cissime sanctitas tua, ut commissum sibi gregis chri„stiani ovile pascat ac muniat. Apud invictissimi Por„tugalliæ regis aulam. Anno M. D. XLVI.

„*Tuæ sanctitatis pedibus provoluta*
„*ancilla humillima*, LOYSA SYGEA.

Epi-

Epistolas Latinas *XXXIII.* habuisse NIC. ANTONIVM secum a IOS. PELLICERIO communicatas ex codice Ios. Ronquilli, qui ex avito SYGAEAE sanguine gloriabatur, testatur ipse in sua *Bibliotheca Hisp.* in qua appendicis loco eas edere meditabatur: sed nescio qua de caussa promissis haud steterit. In regia Matritensi bibliotheca adservatur codex epistolarum SYGAEAE, idem forte, qui qui fuit ANTONII, nam totidem constat epistolis, hanc in fronte gerens inscriptionem: *Sequuntur epistolæ ad varios missæ LVDOVICAE SYGAEAE Lusitanæ feminæ eruditissimæ.* Prima data est ad Paullum III. Pont. Max. quam superius integram adduximus. Constat opus 41. foliis in 4. Sub finem legitur:

IN LOYSIAE SYGAEAE LAVDEM
Magno verborum stillat auro,
Osque eius lacteo eloquentiæ fonte manat.

De epistolarum stilo ex locis a nobis adlatis facile cuiquam iudicium facere licebit: de eruditione ac linguarum peritia, nemo dubitare poterit, qui unam, aut alteram legerit. Nos eas aliquando edemus.

Scripsit etiam *Dialogum de differentia vitæ rusticæ & urbanæ* multis & Græcorum & Latinorum philosophorum sententiis interspersum. Coniectari licet Latino sermone fuisse exaratum, quum 1 ALFONSVS MATRI-

***** 2

1 ALFONSVS MATRITENSIS, archidiaconus Alcorensis in ecclesia Palentina, *magnæ quidem existimationis fideique scriptor*, ut vocatur a N. ANTONIO, hæc habet de SYGAEA in Palentinæ urbis historia M. S. „Sobre todas parece cosa monstruosa, i que „se debe contar por cosa de „prodigio en este tiempo. Esta „es una dueña llamada LVISA SYGEA, que al presente „vive en Burgos, cuio padre Frances de nacion casó „en Toledo, i con esta hija, „que

TRITENSIS, qui huius operis meminit, auctorum loca tum Græca, tum Hebraica a SYGAEA adduci Latine abs se conversa, fidem faciat.

Poetica quædam olim in bibliotheca Olivariensi exstitisse, testem eumdem habemus NIC. ANTONIVM.

Re-

„ que alli le nació, se fue a „ Portugal, i la puso en palacio en servicio de la princesa doña Maria, hija del „ rei D. Manuel i de la infanta de Castilla doña Leonor. „ A esta SYGEA enseñó su „ padre algunas letras; i ella „ despues en palacio se dió „ tanto a ellas, que se hizo „ mui docta en philosophia i „ oratoria i poesia; i principalmente en las lenguas Latina, Griega; Hebrea i Caldea: las quales tan facilmente habla i escribe, como la „ nuestra Castellana. Por lo „ qual, segun ella misma escribe, es conocida en la maior „ parte de Europa. I aun con „ todo eso no creiera io la fama, que suele a veces engrandecer las cosas, sino viniera a mis manos un libro „ que compuso, i no de molde, sino de su mano, segun „ me dixeron, en el qual en „ forma de dialogo entre dos „ damas se trata elegantemente la diferencia que hai entre la vida cortesana de palacio, i la solitaria de la aldea i campo. Disputase la „ materia por ambas partes con „ gran copia de razones i autoridades de philosophos morales. Lo que tengo aqui en „ mucho es, que aunque esta „ señora en este libro no pusiera nada de su casa, sino „ buscar para su proposito sentencias tan notables de Platon, Aristoteles, Xenophonte, Plutarco i otros muchos „ autores Griegos, i ponerlas „ a la letra enteras en su propria lengua i caracteres Griegos, i trasladarlas luego letra por letra en Latin, i „ juntamente las autoridades „ de Prophetas, i Psalterio i „ Salomon escritas en lengua „ i caracteres Hebreos, i trasladadas en Latin, digo, que „ aun quando mas no hiciera, „ havia hecho mucho. Quanto mas que en lo que escribió de suio, mostró grande erudicion en philosophia „ i historia con harta elegancia en Latin i gentil vena „ en los versos. Esta señora „ casó despues en Burgos mui „ honradamente, donde vive „ con su marido este año de „ 1556. i las cargas del matrimonio no le impiden el noble exercicio de las letras.“

Restat, ut dicamus de impurissimo omnium, qui sub cælo sunt, libello, quem male feriatus nebulo sub ementito SYGAEAE nomine in lucem edere ausus est cum inscriptione: *Satyra Sotadica*, in quo genus omne spurcitiarum ac nefandæ libidinis inquinamenta cogessit. Hominis frontem! Sed nemo hactenus fuit, quod sciam, qui non fetum hunc SYGAEAE, feminæ castissimæ, supponi non indignaretur: quare nullum non moverunt lapidem viri eruditi, ut tanti flagitii auctorem proderent. Alii existimant, opus hoc a Io. Meursio profectum, quod in aliquibus editionibus in fronte præferat: *Meursii elegantiæ linguæ Latinæ*: sed nullo, ne probabili quidem, nituntur fundamento: alii a Io. Westrene I. C. Hagiensi: alii denique, non levibus ducti rationibus, a Nic. Chorerio senatus Gratianopolitani advocato: quam sententiam tuentur dominus LANCILOT academiæ inscriptionum, & bonarum artium Parisiensis socius in epistola Gallica inserta vol. XXXII. pag. 42. operis inscripti: ***Observations sur les escrits moderns***, & FRID. OTTO MENCKENIVS in observatione *de vero auctore libri famosi ALOISIAE SYGAEAE* Satyra Sotadica *inscripti*, quam videre licet vol. IX. *Miscellaneorum Lipsiensium nov.* pag. 324. Nos etiam hac de re copiosius egimus in vita ALF. GARSIAE MATAMORI, quo quo lectorem amandamus.

Quoniam superius diximus, SYGAEAM Mariæ Emmanelis Lusitaniæ regis institutioni præfectam fuisse, iuvabit huius 1 epistolam in medium adducere nusquam antea editam, ut quam illa feliciter in excolendo principis feminæ ingenio se gesserit, facile inde appareat.

» CHRI-

1 Exstat inter SYGAEAE epistolas in MS. regiæ bibliothecæ Matritensis pag. 35.

„ CHRISTIANISSIMAE GALLIARVM REGINAE
„ ELEONORAE MATRI PIENTISSIMAE

„ MARIA

„ OBSEQVENTISSIMA FILIA SALVTEM.

„ Pro summo celsitudinis tuæ erga me amore, ma-
„ ter pientissima, per litteras mihi consuluisti non se-
„ mel, atque adeo materno in filiam amore impera-
„ sti, ut Latinum sermonem conarer addiscere, quod
„ ea res maximam olim mihi voluptatem esset adla-
„ tura, & ornamenti non parum. Ego autem quam-
„ vis rei difficultate deterrebar, tamen ut imperio tuo
„ parerem, cœpi litteris indulgere Latinis, quatenus
„ vel aulæ delitiæ, vel pueriles mei anni patiebantur;
„ nam neque ego tunc per ætatem studia hæc amare,
„ quorum nondum noveram utilitatem, neque labo-
„ riosa illa grammaticæ fastidia æquo animo ferre pot-
„ eram; nunc autem ubi Romanæ linguæ suavitatem
„ utcumque degustavi, & quam pulchrum esset La-
„ tine scire, intellexi, non invita, ut antehac, sed
„ animo perquam lubenti hunc laborem amplector, &
„ maiestati tuæ, quæ me pro iussu & exhortatione
„ frequenti huc pepulit, ac in virtutum omnium do-
„ micilia (sic enim litteras recte appellarem) renuen-
„ tem ferme pertraxit, ingentes gratias ago, agam-
„ que semper, dum vivam, maximas, nam digne pro
„ tot tantisque in me beneficiis collatis referre num-
„ quam potero. Et quamquam hoc in genere vires no-
„ stræ non adeo convaluere, ut per me ipsa mihi suf-
„ ficiam, volui tamen has ad celsitudinem tuam litte-
„ ras dare, quibus intelligat, quousque meus hoc in
„ studio labor sit progressus. Quem si probabis, ad-
„ des animum, ut libentius ultra progrediar; sin mi-

„ nus

„ nus, adnitar porro, ut aliquando tibi probetur. De-
„ nique quando eadem opera & celsitudini tuæ mo-
„ rem gero, & mihi rem comparo nequaquam vulga-
„ rem, curabo posthac diligentius, ut quod hactenus
„ cessatum est, industria sedula, vigilantique studio
„ pensem. Servet Christus celsitudinem tuam.“

GASPAR CARDILLVS VILLALPANDEVS Segoviæ lucem vidit anno M. D. XXVII. ibique grammaticæ præceptis animum applicuit. Complutum delatus philosophiæ ac theologiæ studia sectatus est in celeberrimo illo scientiarum Athenæo tanto cum fructu, ut dignus habitus fuerit, qui inter sodales D. Illefonsi collegii cooptaretur. Occasionem hanc nactus studiis obsequendi suis, simul atque philosophiam ex munere sibi demandato tradere aggressus est, in id totis viribus incubuit, ut barbariem e scholis profligaret, Aristotele eiusque interpretibus inductis: quod ut facilius adsequeretur, nonnulla philosophi illius opera e Græco in Latinum sermonem conversa egregiis illustravit commentariis, ac quæstionibus e propria penu depromtis, itemque aliquot elucubravit opuscula, quæ non vulgarem sapiunt eruditionem, multumque se lectoribus commendant ob stili munditiem atque elegantiam. His studiis tantam sibi nominis claritudinem comparavit, ut unus designari meruerit, qui ad celeberrimum post hominum memoriam conventum Tridentinum mitteretur 1 ALVARI MENDOZAE Abulensis ec-

1 Testem habemus CARDILLVM ipsum, qui in epistola ad Carolum Borromæum S. R. E. presbyterum cardinalem *Disputationibus* mox laudandis præmissa sic inquit: *Quum enim in concilio Tridentino Alvari Mendozæ reverendissimi Abulensis episcopi, viri nobilissimi, partes agerem, a beatissimo pontifice nostro, avunculo tuo, impe-*

ecclesiæ antistitis, qui illic adesse non poterat, vices gesturus. Ibi dici vix potest, quanta ingenii lumina CARDILLVS ostenderit, quantumque animi ardorem ad tutandam christianam religionem attulerit, qua habitis ad patres de rebus gravissimis concionibus, qua scriptis adversus protestantes disputationibus, & nervosa indictionis concilii a Pio IV. factæ apologia.

In patriam reversus auctus est sacerdotio, quod vocant *canonicatum*, in sacro Iusti & Pastoris martyrum collegio. Sed nec ideo quidquam de pristino suo in litteras amore remisit, ceu plane ostendunt opera, quæ post annum M. D. LXIII. quo absolutum est Tridentinum concilium, luci publicæ commisit. Obiit anno M. D. LXXXI. acuta febri correptus, die Ioanni Baptistæ sacra, sive VIII. Kal. Iulii, annos natus quatuor ferme & quinquaginta, elatusque est in ipsa æde sacra, cui se vivus addixerat.

Multa quidem ille atque elegantissima ingenii sui monumenta ad posteros transmisit, quæ accurate a nobis sunt recensenda.

Isagoge sive introductio in Aristotelis dialecticam. Compluti anno M. D. LVII. 8.

Summa sumularum. Ibi. M. D. LVII. M. D. LXXI. M. D. LXXXIV. & M. D. LXXXVI. & M. DC. 8. apud Iustum Sanchez Crespo. Sub initium legitur epistola ad Complutensis academiæ patres, qui quidem publico sanxere decreto, ne aliunde quam ex hac *Summa* dialecticæ præcepta iuvenibus addiscenda proponerentur. In edi-

petrasti, ut me Tridenti doctorem suum, nihil simile cogitantem, designaret, ac PETRO SOTO, *viro admodum religioso doctoque, sufficeret, qui, Tridento vita functus, in æthereas sedes, & mentium beatarum domicilium paullo ante commigrarat.* Obiit SOTVS die 24. April. M. D. LXII.

editione anni M. DC. quam videre nobis contigit, legitur sub finem epistolæ nuncupatoriæ: *Ex collegio & bibliotheca nostra Idibus Februariis M. D. XC.* Quanti habita fuerit hæc *summa*, inde apparet, quod post tot editiones illustrata prodierit a Io. Gonsalio Martinio Burgensi Compluti anno M. DC. XV. apud viduam Gratiani, 8. & argumentis Hispanicis aucta a licentiato Murcia de la Llana, eodem anno Matriti typis Ludovici Sanctii, 8.

Nescio an idem opus sit ac superius, quod ab ANTONIO refertur sub inscriptione: *Breve compendium artis dialecticæ* a Io. Villanova editum anno M. D. XCIX.

Commentarius in Categorias Aristotelis una cum quæstionibus in easdem. Ad Honoratum Ioannium, cet. Compluti typis Io. Brocarii. M. D. LVIII. 4.

Commentarius in libros Aristotelis de posteriori resolutione, cui adiectæ sunt quæstiones proposito negotio consentaneæ. 4. *Ad illustrissimum simul & doctissimum virum D. D. Bartholomæum Carranzam Mirandensem, archiepiscopum Toletanum.* Compluti ex officina Io. Brocarii. M. D. LVIII. In fine legitur: *Hæc autem de his rebus dixisse satis sit, iam ad explanationem libri II. contendamus. Quam nos libenti animo aggrediemur, præsul illustrissime, si senserimus, te nobis præsentem adesse, æqui bonique nostrum laborem consulere.*

Commentarius in librum perihermænias Aristotelis, cui adiectæ sunt quæstiones illæ, quæ ad explanandam uberius eius sententiam conducere videntur. 4. Compluti ex officina Io. Brocarii. Anno M. D. LVIII. In *quæstionibus præambulis* adnuit auctor, antea iam a se enarratas *Quinque voces* Porphyrii, & decem Aristotelis *Categorias.*

Commentaria in Aristotelis Topica. Compluti ex officina Io. Brocarii. M. D. LIX. 4. Est & altera edi-

tio, cui accedit *Liber de ratione disputandi ex VIII. libro Topicorum Aristotelis*. 4. Ex typographia Io. de Villanova. M. D. LXIX.

Oratio ad sacrosanctam Tridentinam synodum an. M. D. LXII. quod non sit laicis calix permittendus.

Altera ad eamdem *de primatu Petri habita die sacro Petro & Paullo* eodem anno.

Tertia *de nomine IESV, Kal. Ianuarii anno M. D. LXIII.*

Editæ sunt tres istæ *Orationes* cum aliis doctorum virorum *Orationibus & Concionibus*, ipsoque *Tridentino concilio*, Lovanii apud Petrum Zangrium Tiletanum anno M. D. LXVII. fol. itemque Lutetiæ Parisiorum impensis societatis typographicæ librorum ecclesiasticorum iussu regis constitutæ, opera & studio PHILIPPI LABBE, S. I. theologi, an. M. DC. LXVII. fol. qui uti & NIC. COLETVS, eas intulere in suas conciliorum collectiones.

Apologia indictionis concilii Tridentini factæ a Pio IV. P. M. adversus Io. Fabritium Montanum. Exstat tum in concilii Tridentini editione Labbeana, tum in eiusdem ac COLETI collectionibus, demum una cum tribus laudatis *Orationibus* inter 1 *clarorum Hispanorum*

1 IO. SANTANDER, quem non semel in hoc opere laudavimus, quum animadverteret, ex editione lucubrationum, quæ ab Hispanis in lucem emissæ fuerunt, dum sacro Tridentino concilio interessent, non parum & honoris & utilitatis redundaturum, eas iunctim exhibere constituit, pæneque iam ad finem perduxit priora duo volumina, quorum alterum *Orationes & conciones* complectitur ad eamdem synodum habitas, alterum PETRI FONTIDONII & CARDILLI *Apologias*, huius *IX. Disputationes*, BARTH. CARRANZAE *IV. Controversias* & libellum *de necessaria episcoporum residentia*. His alia, Deo propitio, adiiciemus.

rum Orationes, Conciones & Opuscula ad S. Tridentinum concilium, vol. I. & II.

Disputationes 1 *adversus protestationem triginta quatuor hæreticorum Augustanæ confessionis habitæ a* GASPARO CARDILLO VILLALPANDEO, *Hispano Segoviensi, doctore theologo, pro sacra œcumenica synodo Tridentina. Simul etiam redditur ratio multorum, quæ in eadem sacra synodo contigerunt. Ad illustrissimum & reverendissimum* D. CAROLVM BORROMAEVM S. R. E. *Presb. Card. Venetiis ex officina dominici Guerrii & Io. Bapt. fratrum.* I. vol. 8. denique vol. II. *Claror. Hisp. Orat. Concion. & Opusc.* cet.

Novem continet disputationes hoc opus. I. *Ad quem spectet œcumenicam synodum indicere convocareque.* II. *De concilii generalis atque œcumenici præsidente.* III. *De loco, in quo synodus Tridentina libera sit.* V. *Vtrum generalis sit.* VI. *An Christiana.* VII. *Vtrum vera & legitima procedendi ratio in concilio Tridentino servata.* VIII. *Vtrum possit aliquo modo synodus experientia argui.* IX. *Vtrum Spiritus sanctus conciliis præsideat congregatis legitime.* Pag. 142. aversa insertus est *de ecclesiæ traditionibus libellus eodem auctore adversus eosdem protestantes.*

Opusculum hoccē editum est in collectione superius laudata. De eius præstantia pluribus disseruit IACOBVS GIBERTVS NOGVERAS episcopus Aliphanus, vir doctus & eloquens in epistola ad Gonsalium Peresium Philippo II. a secretis, operi præmissa. Sed ne laudes ab Hispano homine in Hispanum collatæ minus ponderis habere videantur, ipsa Tridentinæ synodi præsidum gravissima verba adferamus. Sic enim inquiunt.

» Nos IOANNES, episcopus Prænestinus, MORONVS;

1 Laudat hasce *Disputationes* ROB. BELLARMINVS lib. I. de *concil. & ecclesia* cap. 2. 5. & 21.

„ STANISLAVS, Vuarmienſis, tituli ſancti Prancatii; LV-
„ DOVICVS, tituli ſancti Cyriaci in Thermis, SIMONE-
„ TA; ac BERNARDVS, tituli ſancti Nicolai inter ima-
„ gines, NAVAGERIVS, vulgariter nuncupati, presbyte-
„ ri S. R. E. cardinales, ſacroſancti, œcumenici & ge-
„ neralis concilii Tridentini præſidentes, & apoſtolici
„ de latere legati, quæ erudite, catholice, & ma-
„ gno quodam ſtudio veritatis ſcripſit adverſus pro-
„ teſtationem triginta quatuor theologorum Auguſta-
„ næ confeſſionis pro ſacro concilio Tridentino GA-
„ SPAR CARDILLVS VILLALPANDVS, doctor
„ theologus ſanctiſſimi domini noſtri, & vicarius e-
„ piſcopi Abulenſis in hoc ſacro concilio, concedimus
„ libenter, ac deſideramus, ut typis mandentur: ad
„ quod nos præter ea, quæ vidimus ipſi, & cogno-
„ vimus in publicis diſputationibus in hoc ſacro con-
„ cilio de eius catholica doctrina, eruditione, pro-
„ bitate, & propenſione animi erga religionem chri-
„ ſtianam & apoſtolicam ſedem, inſuper etiam præ-
„ ter ea, quæ legimus, tum in hoc libro, tum etiam
„ in illo altero, quem confecit adverſus *Fabritium*
„ *Montanum*, illud quoque hortatur, quod a pluri-
„ mis doctiſſimis, catholicis & piis viris fidele ac le-
„ gitimum de præfata eius in dictis ſuis ſcriptis ca-
„ tholicæ doctrinæ ſinceritate teſtimonium acceperimus,
„ qui eius ſcripta diligentiſſime legerunt. In quorum fi-
„ dem præſentes per ipſius ſacri concilii ſecretarium ſub-
„ ſcriptas, & antiquioris noſtrum ſigilli impreſſione,
„ & ſecretarii ſubſcriptione munitas fieri mandavimus.
„ Datis Tridentini die prima Decembris. M.D.LXIII.

„ *ANGELVS MASSARELVS epiſcopus Theleſimus,*
„ *ſacri concilii ſecretarius.*

. . . .

„ *ANGELVS MELIOLVS ſecretarius.* "

Edi-

Editio secunda commentariorum & quæstionum in quinque voces Porphyrii ..... in qua tam multa ab eodem auctore immutata sunt, tam multa adiecta, tam multa detracta, ut novus videri liber possit. 4. Compluti ex officina Io. a Villanova. M. D. LXVI. Primam huius operis editionem nobis videre non contigit. Quæstiones ei præmissæ ob eruditionem & sermonis elegantiam aliquando a nobis edentur.

Commentarius in octo libros physicorum Aristotelis, præterea quæstiones, quæ ad eosdem libros pertinent, in contrariam partem disputatæ. Compluti ex officina Io. de Villanova. M. D. LXVII. fol. Sub finem legitur: *Finivi istos commentarios & quæstiones Compluti die* 26. *mensis Maii anno M. D. LXV. ætatis autem meæ XXXVIII. post reditum ex concilio Tridentino. GASPAR CARDILLO VILLALPANDEVS Segoviensis, doctor theologus.*

Commentarius in duos libros Aristotelis de ortu atque interitu. Præterea quæstiones, quæ ex his libris accipi possunt in contrariam partem disputatæ. Compluti ex typographia Io. de Villanova anno Domini M. D. LXIX. fol. Ad finem scriptum reperio: *Absolvi hanc enarrationem librorum* de ortu & interitu *Compluti in contubernio divi Illephonsi decimo quinto Kalendas Decembris M. D. LXI. quo tempore vix expleveram trigesimum quartum meæ ætatis annum.* Pag. 2. *Quæstionum præambularum* legitur hæc *Observatio*: *Quamquam multi nostris temporibus apte fortasse verterunt libros Aristotelis* de ortu atque interitu, *quos in præsentia enarraturi sumus, maluimus versione illa uti, quam* GENESIVS SEPVLVEDA *fecit, quam ulla alia, quod ea nobis præ ceteris probaretur. Nam neque paraphrastem agit, neque sermoni Latino plus æquo indulget, neque voces receptas ab schola mutat, in quibus sæpenumero magna sententiæ vis sita est; sed*

rem

rem exponit pure, Latine accommodateque. Hoc præterea debemus Hispani Hispano homini atque doctissimo viro.

Commentarius in libros de priori resolutione Aristotelis. Compluti 4. Excudebat Io. de Villanova anno M. D. LXXI. Ad finem exstat elegans MARTINI TORRE collegæ trilinguis de laudibus præceptoris sui lyricum carmen, quod hic apponere non gravabimur.

Sicut antiquæ sophiæ magister,
Cui dedit sacras Academus umbras,
Primus incultas decoravit amplis
Vocibus artes:
Non secus Musis Latiis honorat
GASPAR ornatu phalerisque linguæ
Quidquid a Graiis varios in usus
Fontibus hausit.
Non enim vires minus hic remittit,
Quam Plato grandes numeros loquendi,
Nec madent huius minus uberanti
Flumine ripæ.
Namque dicendi veneres sequutus
Vrget, impellit, remoratur, instat,
Et Periclæo quatit atque versat
Fulmine mentes.
Mulcet, & fessos animos relaxat,
Qualis argutis peramænus undis
Inter umbrosos nemorum recessus
Labitur amnis.
Hinc fit, errorum nebula remota,
Primus ut nobis aditus recludat,
Quos ad hæc clausos tenuere fidæ
Tempora sordes.
Dum viam munit facilem iuventæ,
Quam gradu posthac queat ire tuto,
Et iubet falsos avidis sophistas

Vre-

Vrere flammis.
Ergo CARDILLVM redimite, Musæ,
Vosque odoratis, Dryades, capillis,
Huic serenatam viridante frontem
Cingite lauro.
Phœbus hunc plectro resonans eburno
Tollat ignitos super orbis axes,
Qui sophistarum salebras Iberis
Pellit ab oris.

Interrogationes naturales, morales & mathematicæ. 12. Compluti. Excudebat Io. Gratianus anno M. D. LXXIII. Liber plane elegantissimus in dialogi morem conscriptus, cui locum aliquando faciemus in nostra collectione.

Commentarius in quatuor libros Aristotelis de cælo. Insuper etiam quæstiones, quæ ex eisdem libris accipi possunt in contrariam partem disputatæ, Compluti Io. Iñiguez a Lequerica excudebat. M. D. LXXVI. fol. Sequitur CARDILLVS Argyropili versionem, quod ea sibi præ ceteris non sine magna ratione probaretur.

Apologia Aristotelis adversus eos, qui aiunt sensisse animam cum corpore exstingui, cet. anno M. D. LX. 8. Edita a nobis est p. 271. seq. sed omisimus tum auctoris, tum IOAN. GENESII SEPVLVEDAE epistolas, quæ ad finem adnexæ fuerant in priori editione, quod in novissima collectione operum SEPVLVEDAE integræ legantur, uti pag. 346. huius voluminis adnotavimus.

Commentarius præcipuarum rerum, quæ in conciliis Toletanis continentur, cet. M. D. LXX. 8. Collectioni huic insertus est p. 437. sq. Ex hoc opere perspicue apparet, quam versatus esset CARDILLVS tum in ecclesiasticis antiquitatibus, tum in patriæ historia: quare miror ab AGVIRRIO cardinali in sua conciliorum collectione non admissum. Huic commentario ad-

iice-

iicere nobis est visum *epistolas* aliquot & *præfationes* ex auctoris nostri lucubrationibus erutas, quibus reliquas hic præternissas alibi adiungemus, quum ob eruditionem ac stili elegantiam dignæ sint, quæ omnium manibus terantur.

Suma de doctrina christiana, que compuso en Latin el doctor PEDRO CANISIO*, i traduxo en lengua Castellana el doctor GASPAR CARDILLO DE VILLALPANDO.* It. *Una declaracion del Psalmo* Miserere mei Deus: *en Alcalá por Iuan Iñiguez de Lequerica.* M. D. LXXVI. 8.

Catecismo breve para enseñar a los niños. Ibid. M. D. LXXX. 12.

IO. BAPT. CARDONA, Valentiæ, cui natales debet, philosophiam ac theologiam addidicit, ibique in celeberrima illa scientiarum omnium academia 1 artium ac theologiæ laurea donatus est. Multa quidem ille ob egregias suas virtutes ac doctrinam adeptus est munera, nam primus designatus est 2 canonicus, ut vocant,

1 In commentariis, quos IOSEPHUS IOACHIM. LORGA rhetorices quondam in academia Valentina professor concinnavit ex libris, qui patrio sermone vocantur *Manuals*, & eorum nomina continent, qui in illa academia graviora studia consectabantur, & philosophiæ, theologiæ aliarumque scientiarum publici professores fuerant designati, sic scriptum reperio: *IVAN BAVTISTA CARDONA natural de Valencia, que estudió sus cursos en ella; le graduó de licenciado en artes Pedro Gil, cathedratico, en* 28. *de Abril de* 1556. Et alibi: *En* 28. *de Julio de* 1562. *se certifica que IVAN BAVTISTA CARDONA bachiller en artes, i estudiante de theologia, estudió con Juan Celaia, Pedro Maza, Francisco Castro, i otros cathedraticos, cinco años i seis meses, no solo el curso de theologia, sino tambien dos años i medio la sagrada Escritura.*

2 Vid. MARTINEZ *Antiguedades de la iglesia de Origuela*, pag. 200.

cant, *Magistralis* a Philippo II. Hispaniarum rege in ecclesia Oriolensi, apostolicus fidei quæstor in Hispaniæ triremibus: quod munus sub commissarii titulo duobus fere annis exercuisse tradit 1 LVD. PARAMVS. Romam delatus anno iubilæi M. D. LXXV. *Orationem* habuit coram Gregorio XIII. Pont. O. M. *de divo Stephano protomartyre* ibi primum editam eodem anno apud Iosephum de Angelis in 4. Deinde Lugduni typis Petri Roussin eodem anno, etiam in 4. cura ac studio Alexandri 2 Bervich abbatis commendatarii B. Mariæ de Scarp, ordinis Cisterciensis Ilerdensis diœcesis.

Dum Romæ CARDONA versaretur, nihil habuit antiquius, quam ut sanctorum patrum editiones cum manuscriptis codicibus conferret, quo veram eorum lectionem anquireret, ac depravatis locis medicinam faceret: cuius rei specimen exhibuit in Hilarii & Leonis Magni operibus, ut ipse fatetur in libello *de regia S. Laurentii bibliotheca* pag. 508. nostræ editionis. Scripsit & *varias lectiones*, ut credere par est, ex ipsis codicibus erutas, quarum meminit in epistola ad ANT. AVGVSTINVM Tarraconensem antistitem Valentiæ exarata pridie Idus Iulii anno M. D. LXXXI. cuius particulam ex autographo, quod possidet cl. vir GREGORIVS MAIANSIVS, adfert XIMENVS vol. I. pag. 185.

Anno M. D. LXXVI. Romæ in lucem prodiit libellus sub hac inscriptione: *IOANNIS BAPTISTAE CARDONAE doctoris theologi, canonicique Valentini, ad S. D. N. Gregorium XIII. Pont. Opt. Max. de expungendis hæreticorum propriis nominibus etiam de libris, qui de religione ex professo non tractant. Adiecta*

******* *est*

1 *De origine inquisitionis* lib. 2. cap. 14. IOSEPHVS DORMER in opere: *Progressos de la historia en el reino de Aragon*, pag. 327. col. 2. n. 3.

2 Male a XIMENO vocatur *Beroick*.

est IOAN. MATTHAEI GRILLI, *nobilis Salernitani, ad fratrem epistola de rationibus & caussis, quæ eum moverunt, ut ad ecclesiam catholicam Romanam rediret. Cum licentia superiorum. Romæ apud Iosephum de Angelis.* 1 M. D. LXXVI. in 8.

Eo quoque tempore (verba sunt 2 ANTONII) *de regia S. Laurentii bibliotheca libellum* edidit CARDONA, *sive consilium cogendi omnis generis utiles libros, & per idoneos ministros fructuose callideque custodiendi: cui adiunxit de bibliothecis quædam ex* FULVIO URSINO, *deque Vaticana ex* ONUPHRII *schedis.* His studiis tantam sibi nominis gloriam comparavit, ut Gregorius XIII. superius laudatus, egregius & ipse ingeniorum æstimator, eum inter viros doctos adlegerit, quos repurgando ac nitori suo restituendo 3 Gratiani decreto præposuerat.

Tot scriptis clarus CARDONA, fieri non poterat, quin ad summos honores eveheretur. Quare 4 Elnensi primum, deinde Ausetano, demum 5 Dertusensi episcopatu donatus est.

Anno M. D. LXXXVII. 6 prelo subiecit Tarracone

1 XIMENUS aliam memorat Romanam editionem libri *De exp. hæret. propr. nom.* anni M. D. LXXIX. in 4.

2 *Bibl. Hisp.* tom. I. pag. 489. col. I.

3 V. libellum *de Bibl. S. Laur.* pag. 518.

4 De Elnensi episcopatu silet inscriptio mox adferenda. Sed NIC. ANTONIUS *Biblioth. Hisp. N.* vol. I. pag. 489. aliique CARDONAM præsulem fuisse Elnensem constanter adseverant.

5 CARDONAM e Vicensi sede ad Dertusensem translatum anno M. D. LXXXV. ac die 17. Maii in eius possessionem venisse discimus ex veteribus illius ecclesiæ monumentis.

6 Collectionem hanc longe rarissimam esse, magnique æstimari testatur DAVID CLEMENT vol. VI. operis inscripti: *Bibliotheque curieuse historique & critique, ou Catalogue raisonné de livres difficiles a trouver*, pag. 284. seq.

ne apud Phil. Mey I. vol. 4. opuscula a nobis edita a p. 449. Priori loco comparet libellus 1 *de regia S. Laurentii bibliotheca*, quem vernacule primum ab auctore suo exaratum adservari ait XIMENVS M. S. in eadem Scurialensi bibliotheca. Alter *de expungendis hæreticorum propriis nominibus* auctior prodiit in editione hac Tarraconensi, uti eam cum priori conferenti patebit: tertius ac postremus de 2 *Diptychis* nusquam antea, quod sciam, editus fuerat.

Obiit vir pietate iuxta ac eruditione spectatissimus in cœnobio divæ Virgini *del Puig* dicato, apud Valentinos, quo se contulerat voti exsolvendi, anno M. D. LXXXIX. ductusque est Dertusam, ubi sepultus iacet in sanctæ ecclesiæ claustro sub hac inscriptione:

IOANNES BAPTISTA CARDONA
VIR SVORVM TEMPORVM ERVDITISSIMVS,
PRIMO AVSETANAE, SECVNDO DERTOSANAE
ECCLESIAE EPISCOPVS, HIC CONDITVS.
VITA FVNCTVS EST TERTIO CALENDAS
IANVARII. M. D. LXXXIX.

Laudant plurimi CARDONAM, quos vide apud RODRIGVEZIVM & XIMENVM. NICOLAVS ANTONIVS hæc habet de viro eruditissimo: *Romæ ea fama doctrinæ, multiplicisque divinarum atque humanarum rerum peritia floruit, ut inter eos, qui instaurandorum ad veterem germanamque phrasin auctorum cura commissa erat, de-*

1 Libellus *de biblioth. S. Laurentii* integer ab SCHOTTO insertus est suæ *bibliothecæ Hisp.* pag. 68. & seqq.

2 Editionem hanc rarissimam esse docet GASP. SAGITTARIVS *de natalitiis martyrum* cap. I. §. 17. & IO. HENR. LEICHIVS in præfat. *Diatribes de diptychis veterum, & de diptycho Em. Quirini*, Lipsiæ 1743. 4. m.

lectus ſit.... Diademate pontificio inſignis, nec minus litterarum ornamento clarus ad mortem uſque vixit. Induſtriam ſuam patribus ad veram lectionem ope manuſcriptorum reſtituendis præcipue addixerat, cet.

In obitum I. B. CARDONAE, Valentini, epiſcopi Dertoſani hoc exaratum reliquit carmen ANDR. SCHOTTVS Antuerpianus, pag. 609. *Bibl. Hiſp.*

Stet moles immenſa ſuper titulusque ſepulcro,
Cippus, & inſculptus ſtemmate ſarcophagus:
Regia ſtent cælo minitantia Mauſolæa,
Marmoreque e Pario ſint monumenta licet.
Credite, tempus edax atque invidioſa vetuſtas
Deſtruet: hæc celeri ſunt peritura die.
Aſt manet æternum ingenii decus: inclita virtus
Durabit, nihil his flamma vel unda nocet.
Nec cælo miſſum fulmen, telluris hiatus,
Eluet, aut vaſtis fluctibus Oceanus.
Sic tua perpetuum pietas, CARDONA, vigebit
Doctrinæ & veræ religionis amor.
Fallor? An aeriæ flerunt tua funera nubes?
Adſiduus triſtes dum rigat imber agros?
Sedibus at poſtquam ſuperum mens ipſa recepta eſt,
Vitalesque auras deſeris, alta petunt.
Clarior ecce redit diſpergens nubila Titan,
Signaque lætitiæ terra poluſque ferunt.
Salve ergo atque vale. Cinis hic atque oſſa quieſcunt,
Spiritus æthereas dum petit ipſe domos.

IO. VERGARA, Toletanus, vir non ſolum Hebrææ, Græcæ, Latinæque linguæ, ſed & graviorum ſcientiarum callentiſſimus, ſcripſit patrio ſermone inter alia, quæ copioſius alibi recenſebimus, eruditum ſane atque utiliſſimum libellum *VIII. quæſtionum de templo Salomonis*, quibus totidem argumentis ſibi ab Ini-

nico Mendozio Infantatus principe propositis non minori eloquentiæ vi, quam doctrinæ copia satisfacit: quod adeo cumulate præstat, ut simul in sacrarum litterarum, & in historiarum ac chronologiæ studio quam diligenter versatum se prodat. Quanti vero sit habendum hoc opusculum, ex eo satis intelligi potest, quod vir eruditissimus iuxta & disertissimus MELCHIOR CANVS optimam eius partem in librum *de locis theologicis XI.* inferre non dubitaverit. Testatur id BENEDICTVS PERERIVS, Valentinus, S. I. egregius sacri codicis interpres, præfatione in librum X. *Comment. Danielis*, ubi postquam RAPH. VOLATERRANVM, IO. LVD. VIVEM & alios Berosi & similium confutatores laudavit, quibus VERGARAM præfert absque hæsitatione, subiungit: *Hic scripsit Hispano sermone libellum* de octo quæstionibus, *de quibus permulta in Latinum sermonem conversa* MELCHIOR CANVS in *XI.* *librum* de locis theologicis, *qui est* de historia, *ad verbum transtulit, & ex illis viri fontibus hortum illum suum multifariam & abundanter irrigavit.* Ipse etiam CANVS, ceu tantum decebat theologum, palam profitetur, quantum ex VERGARA profecerit, nam quum Io. Carionis ineptias quasdam explodere necessum esset, manum consulto abstinuit, quod *eas*, inquit, l. c. cap. *6. omnes sigillatim IO. VERGARA, canonicus Toletanus, vir Græcæ ac Latinæ linguæ peritissimus in libello VIII. quæstionum Hispane edito accuratius refutavit. Cuius nos opera & diligentia multum hoc loco adiuti sumus. Malumus enim, quod nos Plinius admonuit* (in procem. *N. H.*) *mutuum omnino reddere, quam in furto deprehendi*, cet.

Editæ sunt semel IO. VERGARAE *Quæstiones* VIII. Toleti apud Ioannem. Ferrer anno M. D. LII. 8. quare mirum non est libris rarioribus merito accenseri.

Mo-

Mortalium profecto essem ingratissimus, nisi testatam hic relinquerem singularem humanitatem viri supra laudes omnes, IOSEPHI MONNINI, comitis *de Florida-Blanca*, CAROLO III. a sanctioribus consiliis & secretis, qui non modo operis huius conficiundi consilium approbavit, sed & *opuscula* omnia, nostrumque etiam *commentarium*, quod non exigui beneficii loco pono, percurrere non est gravatus. Nec his contentus, summa ope nisus est, ut primum hoc nostræ collectionis volumen CAROLI regum maximi præsidio suffultum dias in luminis oras prodiret. Quo ego favore, velut calcare adhibito, incitatus, alacrius posthac, maiorique animi contentione cœptum iter pergam, nullis neque laboribus, neque difficultatibus fractus aut debilitatus. Quapropter secundum volumen, nulla interposita mora, aggrediemur.

EMENDATIONES ALIQVOT.

Pag. XVI. *lin. ult. lege* in 8. 15. 15. Caucaseasve. 17. 19. custode. 19. 1. *libertate*. 21. 13. inciperent. 26. 18. Tagus. 106. 29. cœpit. 109. 31. qui. 110. 16. potui. 112. 17. *N.* diuturna. *Ibid.* 27. *post* respicias *sic lege* : Educatur hoc in gymnasio ipsa iuventus liberaliter & feliciter. Eadem ipsa iuventus te rogat, ne... 113. 20. abigas *N.* 115. 23. crimini *N.* 28. quod. *Ibi not.* * 1. & 2. Lutetiæ. 116. 13. pungit *N.* 117. 12. *N.* te. 26. *N.* calumnia. 12. 4. POMPADORBO. 123. 4. deveniant. 17. fraudem *N.* 26. eram. 124. *in not.* Germanus. 127. 24. de *N.* petitione. 128. 21. me certiorem 129. 19. *N.* fabella. 130. 9. deque. 133. 7. De N. 23. & gymnasia. 137. 26. *post* omnia *adde* : *καὶ μετὰ σιγῆσ.* 143. 2. Vellem hoc. 144. 10. quare quum meam. 145. 22. cubicula. 154. 20. imparibusque. 32. fragrans.

Nota : GELIDAE Epistolæ XVII. & XVIII. debebant præcedere XIII.

HIE-

HIERONYMI RAMIRI

DE RAPTV INNOCENTIS

MARTYRIS GVARDIENSIS

LIBRI VI.

AD D. D. IO. CHRISTOPHORVM GVARDIOLAM

CAVSSARVM IN SVPREMO SENATV IVDICEM,

PHILIPPO II. HISPANIARVM REGI CATHOLICO

A SECRETIORIBVS CVBICVLI NEGOTIIS ET LARGITIONIBVS; GVARDIAE, ROMERALIS, ET VILLAE NOVAE DOMINVM CLEMENTISSIMVM.

MADRITI ANNO M. D. XCII.

APVD PETRVM MADRIGAL.

EDITIO II.

IOANNES A SALE
IN IVRE CIVILI DESIGNATVS
LECTORI CANDIDO.

INter opera, quæ poeta non invitis Musis in lucem edidit, studiose lector, hoc poema omnium meo iudicio elegantissimum emittitur: ubi perquam graphice GVARDIENSIS MARTYRIS INNOCENTIS depingit historiam; ex qua politioris litteraturæ professores tamquam ex viridario quodam eloquentiæ flores colligere, & poetici concentus suavitate adflari possint. Hi vero qui Dominicam passionem memoria cupiunt repetere, eius effigiem ad vivum expressam hic intuebuntur. Dum sævissimi quidam homines (si homines appellandi sunt, qui humanitatem prorsus exuere) puerum innocentissimum e matris complexu abductum verberibus adficiunt, cædunt, puniunt, perque montis dumeta, confragososque scopulos raptatum, ad ultimum supplicium deposcunt: res quidem ob atrocissimi criminis immanitatem omnium litteris atque linguis celebranda, & quæ non tantum admirationem, sed stuporem quemdam

adferat. Quis enim non admiretur in Toletano regno, qui umbilicus est & velut arx quædam totius Hispaniæ, ubi sanctissimæ leges vigent, fides catholica floret, & omnis impietas severissime vindicatur, nostris prope temporibus homines fuisse tam perditos tamque profligatos, qui easdem propemodum plagas in Christiani nominis dedecus & ignominiam puero innocentissimo incusserint; quibus Christum servatorem ac Dominum nostrum adficiendum & mactandum esse censuerunt?

Enimvero in hac quasi tragœdia adumbratæ passionis, non iudicem, qui Pilati partes agat, non venales testes, non accusatores improbos desiderabis; non sputa in venustissimam pueri faciem ex putido ore proiecta, non arundinem pro sceptro dexteræ impositam, non coronam peracutis sentibus dolorem capiti introrsum adigentem; non clavos, non lanceam, non crucem denique ipsam tenero corpusculo longe imparem, defuisse cognoces. Et ut carnifices illi crudelissimi aliquid suo, quod aiunt, Marte excogitatum adderent, novum quoddam, & post hominum memoriam inauditum tormenti genus inveniunt. Divinissimo nam-

que puero de crucis patibulo suspenso, viventi adhuc & sentienti pectus gladio resecant ac dilaniant, ut corculum illud sancti Spiritus habitaculum non sine magno doloris sensu evellerent, ut eo in pulverem contuso, per fluvios fontesque disperso, potum corrumperent, & Christianorum genus a stirpe delerent. Qua una re quid dici, aut excogitari potest immanius?

Isthæc omnia tam lepidis carminibus & sua sponte fluentibus poeta exsequitur, ut res non narrari, sed ob oculos geri videatur. Quam ob rem qui humaniores litteras profitentur, non solum moneo, sed etiam hortor, ut opus hoc voluminis specie perexiguum, at sententiarum pondere, carminis maiestate, verborum nitore ac elegantia sublime, suis auditoribus prælegant, & ediscendum proponant. Nam præter quod argumenti novitate lectorem adliciat, INNOCENTIS pueri tutelaris, divi nostris prope tectis educati, historiam complectitur. In quo exornando unusquisque nostrum ingenii sui nervos debet intendere, quum eius laus, quum sit Hispanus, ad totam quoque Hispaniam pertineat. Imitemur itaque dominum

IO. CHRISTOPHORVM GVARDIOLAM, virum mehercule magnum & incomparabilem, qui nullis sumtibus & labori parcens, non solum illi templum magnificum, & operis pulchritudine & firmitate admirandum construxit, sed cœnobium simul perinsigne ædificavit, ubi religiosi piique viri beatissimæ Triados servitio mancipati, INNOCENTIS laudes noctu diuque decantent. Cuius famam, quum apud nos celebris satis & illustris sit, ad exteras quoque nationes pervadere cupiens, amplissimis præmiis poetam invitavit, ut ad hoc opus sese accingeret, quod bimestri labore perfecit. Fruere igitur, lector optime, præclaris eius lucubrationibus, & si quid inde voluptatis ac fructus perceperis, GVARDIOLAE pietati acceptum refer: cuius ego amantissimus, suique & suorum familiaritati maxime obnoxius, ut poema typis mandaretur exoptans, auctorem invitum ac diu reluctantem excitavi, ut cygneum nescio quid & solito dulcius sibi ac posteris caneret. Vale.

HIERONIMI RAMIRI

DE RAPTV INNOCENTIS

MARTYRIS GVARDIENSIS

LIBER I.

FLagra cano, sævamque necem renovataque Christi
Vulnera, & invisæ scelus exsecrabile gentis,
Quæ trucis indomitas effundens pectoris iras
Insontem puerum prærupti in vertice montis
Compulit exiguo maiorem corpore molem
Ferre humeris, tensosque cruci præbere lacertos.
  Christe patris virtus, nostræ spes fida salutis,
Qui sacros adflas cælesti numine vates,
Vt pueros, actasque animis in bella puellas
Decantent, quæ vincla, rotas gladiosque cruentos
Sprevere adserta pro relligione parentum:
Aethereo mihi corda riga sitientia fluxu,
Et tutum coeptos in portum dirige cursus,
Vt valeam numeris late vulgare per orbem
Infantem, cui pura fides & Martius ardor
Concessit vastos præ se ridere Gigantes.
  Te quoque dum gravibus furaris tempora curis,
Et fessas mulces sopitis litibus aures,
Ne pigeat nostris vacuas dare lusibus horas,
GVARDIOLA, e cuius pendent examine leges:
Quique diu profugam Astræam, cæloque morantem
Humanas iterum fecisti invisere sedes.
Te genus a prima nascentis origene mundi
Nobilitat cum sole satum, longaque nepotum
Transfussum serie extremos durabit in annos.
Musa tuis dat serta comis, tibi præmia virtus
Iam maiora parat: te plebs, te curia patrum
Suspicit, & merito venienti adsurgit honore.

Et te Carolides multis e millibus unum
Delegit, cui sacra suæ penetralia mentis
Panderet, & regni secum molimina ferres.
Sunt equidem Hesperiæ magno data sceptra Philippo,
Et sceptri regale decus: sed cura regendi
GVARDIOLAM insomnem noctesque diesque fatigat.
Id tamen exsuperat laudum decora alta tuarum,
Quod sis sinceræ cultor pietatis, & omnes
Cælicolas plena thuris venereris acerra.
In primis sacer ille puer tua maxima cura est,
Quem niveo candore refers, cui templa dicasti
Exciso in scopulo Boreæ ridentia flatus,
Fulminaque, & tacito labentia tempora motu.
Nam quamvis nihil usque sinat durare vetustas,
Cumque suis magnas convellat mænibus urbes,
Et penetret solidæ paullatim in viscera rupis
Annoso putrefacta situ: tamen ista ruentis
Vis ævi, & fati numquam violata potestas
Haud poterit tantum illud opus, tantosque labores
Artificum delere, ruat licet æthere ab alto
Ore vomens flammas Titan, & fumida tellus
In cineres abeat: tanto nec tempore posset
Stare decus templi, nec saxa evincere mortem
Duro innata iugo, ni fulciat inclita virtus,
Famaque Guardiolæ sacræ fundamina molis,
Guardia quam supplex adeat, votisque frequentet:
Dum se præcipiti volvet vertigine cælum,
Et dum templa colet magnus Romana sacerdos.
Ergo ades, & iam iam nostris bonus adnue coeptis
O pater Aonidum & rerum tutela mearum.
Aequoreis postquam stagnasset fluctibus orbis,
Et genus humanum salsis periisset in undis:
Quum iam nec volucres sulcarent aera pennis,
Nec colerent stabula alta feræ (nam semina rerum,
Quæ se sponte movent vitali impulsa calore,
Obruerat pontus) grandi servatus in arca
Vi-

Vitisator pater ex cellis emittit apertis
Relliquias mundi, fæcundo ut perdita fetu
Restituant, & longa genus per sæcla propagent.
Divisit natis carisque nepotibus omnes
Terrasque tractatusque maris. Huic regna feracis
Armeniæ curvo rumpenda adsignat aratro:
Sorte Palæstinos illi disterminat agros.
Occulti quidam mittuntur ad ostia Nili,
Humentemque alii late dominantur ad Austrum.
Sed Tubal Hesperias primus traiecit in oras
Argento fetas & venis divitis auri,
Lacte, oleo pingui, vinoque ac melle fluentes,
Plena ubi se toto fudisset copia cornu.
Namque aliis natura parens sua munera terris
Singula concessit: messes dant Gargara tantum,
Hybla rosas mittit, collis fert Massicus uvas,
Victrices Epirus equas, pia thura Sabæi:
Cuncta tamen gremio felix Hispania gignit
Ipsa suo populis tribuens alimenta remotis,
Ac varias telluris opes. Hinc Itala classis
Vellera comportat fidos bibitura colores.
Hinc musti sibi Belga cados, hinc pondera ferri,
Hircinasque vehit, plantas quibus abdat, alutas,
Atque solum glaciale premat, salebrasque rigentes.
Palladio Bætis stuppam sustentat olivo:
Corduba fundit equos, tauros Xarama feroces,
Et Tagus evolvit fulvi ramenta metalli,
Quæ per cribra legas, terra nisi forte beata
Maiores auri cupias disquirere venas:
Bombicum nitido jactat se Murtia filo:
Murtia Maurorum terror, dum vasta tuetur
Littora, prædonesque armis ultricibus arcet.
Nonne vides quanto decurrant flumine præla
Vaccæis? quot pascat Anas armenta per agros,
Balantumque greges? quam longe citria, & altos

Medorum lucos palmosa Valentia vincat?
Et licet hac magnis Hispania dissita terris
Fluctibus adluitur, lapidosis montibus illac
Cingitur, ut facile cuivis non possit adiri:
Multi illam populi, multi petiere coloni
Vbertate soli cælique salubribus auris
Adlecti. Hesperiam Creta tenuere relicta
Curetes, Liberque pater, qui vicerat Indos,
Et qui frondosæ nemora incoluere Zacynthi.
In terras etiam Teucer penetravit Iberas
Aiacis frater, Græcique, & cautus Ulysses,
Dardaniæ postquam ceciderunt Pergama Troiæ.
Armiger huc nigri delatus Memnonis Astur
Asturibus nomen fecit, Titonia linquens
Regna, plagasque novo solis splendore rubentes.
Nec non Phoenices, veterique ex Phocide gentes
Appulsæ occiduis mandarunt semina campis.
Tu quoque Geryonis domitor felicibus intras
Auspiciis latos qua pandit Iberia tractus,
Constituisque orbi metas, comitesque relinquis,
Qui sub saxosa colerent radice Pyrenem:
Maſsagetæ venere truces, Celtæque vetustas
Liquerunt sedes. Ad nos quoque Sarmata venit,
Persaque Achæmeniis excessit finibus ultro,
Potaret dulces ut Iberi fluminis undas.
Deseruit Libyam calidas exosus arenas
Poenus, & Hesperidum miratus flumina & hortos
Posthabuit veteres celsæ Carthaginis arces.
Duxit & Italicos Hispana in rura colonos
Roma potens; thermasque suas, luxuque fluentes
Delitias oblita colit te fertilis agris,
Emerita, & canas Bætis miratur olivas.
Vandalus huc, multoque feri post tempore Alani
Navibus adscensis fecerunt vela per æquor.
Belligerique Gothi, nostris genus unde superbum

Re-

Regibus, hærentes mundi qui margine terras
Subiecere sibi victricia signa ferentes.
Sulcarunt Mauri angustæ freta fervida Calpes,
Et sceptrum tenuere diu, quod iure tenebat
Illicito heu! nimium parens Rodericus amori.
Sicut apes saltus steriles inamænaque prata
Effugiunt, quæruntque locos ubi floreat arbos,
Rosque maris, lateque thymus diffundat odorem;
Fluminaque & placido decurrant murmure fontes,
Vt vacuas dulci distendant nectare cellas:
Sic liquere suas populorum examina sedes
Damnatas genio tristi, cæloque maligno,
Et pulchram Hesperiam quærunt per saxa, per undas.
Gens etiam Iudæa plagas dispersa per omnes,
Romanus postquam Solymas deleverat arces,
Aequaratque solo, regnis consedit Iberis,
Et velut infelix lolium, fetæque genistæ
Accrevit, sobolisque ferax se sparsit ubique:
Sed non incelebres vicos, non incolit urbes
Obscuras, nec humum rastris & vomere trito
Exercere placet, nec semina condere sulcis:
Pulchrius ædificat, lætos sibi conserit hortos,
Remque facit quocumque modo: ditescit in horas,
Dum ponit miseris duplicato in fenore nummos.
Furta, doli, fraudes & erant mendacia cordi,
Sacrilegumque nefas, atque auri immensa cupido.
Illis temporibus Iudæo impune licebat
Vivere more suo, & Phasem celebrare quotannis.
Biblia Rabbini non intellecta docebant,
Aureque pendenti voces Synagoga dolosas
Ebibit, erroresque amens & somnia discit.
Inter Christicolas vanos gens perfida ritus
Propositique tenax adeo servabat, ut olim
Marmoreas coleret magno sub Mose tabellas.
Donec iam tandem fidei duo lumina nostræ

Enituere simul rex & regina virago.
Alter Aragonii generis decus, inclitus heros;
Altera nobilium generata e stirpe Gothorum,
Ambo pares ætate, pares virtutibus ambo.
Non hoc coniugium Iuno, non improbus arcu
Conciliavit Amor, sed Pax & pacis alumna,
Quæ dat cuique suum componens legibus orbem.
Et Deus omnipotens tam magnos foedere lecti
Coniunxit reges, regna ut sociata vigerent,
Quæ fuerant disiuncta diu, floreret ut alma
Relligio, impietasque orco damnata lateret.
Numquam alias superum votis atque auspice cælo
Tam clari coiere duces in pacta Hymenæi.
Isabella viro dignissima, dignaque summis
Imperitare viris tanto sine coniuge cælebs
Viveret; & coniux solus traduceret ævum,
Ni talem regni consortem fata dedissent.
Illa regit populos, populis dat iura vocatis
Ferrandum quia bella trahunt. Nunc agmina fundit
Lysiadum, regemque sibi pro dote petentem
Castellæ sceptrum cogit desistere coeptis,
Et volucri remeare fuga. Nunc cuspide frangit
Gallorum vires, rabidoque a Fonte repellit:
Obtinet & pulchras expulsis hostibus arces
Parthenopes, partemque sibi desumit utramque
Divisi late imperii: namque arma tenenti
Invitus dare cuncta solet, qui iusta negabat.
Nec sat erat cursum Hadriacas tenuisse per undas,
Sulphureisque globis Venetorum impellere turres,
Occiduas ni tentet aquas, & claustra latentis
Oceani rumpat. Te, magna Canaria, ferro
Ferrandus domat, & iustis Teneriphion armis,
Victaque regificis accessit Palma tropæis.
Nec non Hesperii divulsa a corpore regni
Ad nostros rediit pinguis Navaria census

Prin-

Principis auspiciis, qui ſeſe præbuit hoſti
Terribilem carumque ſuis, Turcasque feroces
Vicit, & extremos fama perterruit Afros.
Hic firmo pacis connexuit oppida nodo,
Vt per rura procul ferro inſequerentur & igni
Latrones cædi adſuetos & vivere rapto.
Quumque diu Granata potens, invictaque bello
Coctilibus muris, lati & munimine valli
Relliquias tegeret Maurorum, & funera noſtris
Ederet, agglomerans immenſæ ſtragis acervos:
Quumque urbes flammaque agros popularet adultos,
Et raperet pecudes, vaſtaret tecta colonis,
Denſaque Chriſtiadum vinctis per colla catenis
Agmina laurigeri ductaret more triumphi:
Et Zaharam noctu ſpoliis cepiſſet onuſtam,
Irrita nubivagis committens foedera ventis:
Rex pius & tenero Martem ſectatus ab ævo
Dedecus Heſperiæ Granatam exſcindere prorſus
Decrevit, viresque omnes intendere contra.
Non animus bello excellens, non ſtrenua virtus
Defuit optatis, vultu aut fortuna renidens.
Accipit imperium Tagara, expugnatur Alama,
Almeria evulſam Ferrando porrigit herbam,
Supplex Loſca cadit, collum ſubmittit Alora,
Cartama victa dolet, plorat ſua damna Coinum.
Nec Malacam tegit undiſonum cum fluctibus æquor,
Præruptæque viæ, patitur quæ vulnera, fecit
Militibus noſtris, illataque damna rependit.
Paullatim Mauri coguntur cedere terra,
Extremasque oras linquunt, ac tecta parentum,
Et ſe Granatæ malefida in moenia condunt,
Vt quum frigida mors, poſtremus & halitus inſtat,
Quo ruat in tenues corpus mortale favillas,
Vitalis calor ardentes diffuſus in artus
Senſim extinctus abit, primum veſtigia & ambas
Des-

Deserit inde manus, naresque ac labra relinquit,
Et velut invictam recipit se cordis ad arcem,
Vnde fugax etiam impulsu maiore recedit.
Sic pridem Maurus possessas liquerat urbes
Ferrandi cogente metu, gladioque potenti,
Granatamque petit. Sed nil latissima prosunt
Moenia, sint quamvis triplici circumdata muro.
Nil rubeæ turres, cano nil vertice montes
Magnanimi regis cursum potuere morari.
Singilis ad ripas metatur castra, latetque
Gentis Agarenæ tectis inclusa propago:
Nec iam se effundit portis, nec cominus audet
Cum nostris conferre pedem: se dedit & urbem,
Quæ tenuit sceptrum multos invicta per annos.
Turribus adspexit tum primum Alfambra sub altis
Vexillum pendere crucis: lætatur Olympus
Evicisse fidem, choreas Hispania ducit,
Ardentesque faces obscura nocte coruscant
Compita per latasque vias ac tecta domorum.
Reginæ in primis pertentant gaudia mentem,
Barbaricas cum cernit opes, regnumque superbum
Deletum, nobis quod sæpe inflixit adactas
Introrsum plagas, bello dum fulmina torquet.
Vix imo cohibere valet sub pectore plausus:
Gestit, & augusti collum complexa mariti,
Humidulis fovet ora labris dulcissima libans
Oscula, sint quamvis adspersi pulvere vultus,
Et sudor riget imbre genas: namque ille redibat
Ex acie victor, qualis fusso hoste triumphans
Mars Paphon, aut Amathunta petit ruiturus in arctos
Matris Acidaliæ amplexus. Stant vertice cristæ,
Et multis perfossa locis gerit arma, per artus
It sudor, pulvisque levis sedet ore cruento.
Talis erat regis species, quum coniugis altæ
Oscula grata legit, quum nectit & ipse lacertos

Re-

Reginæ inspirans liquefactis ossibus ignem.
Illa viro demit clypeum, galeamque comantem,
Armaque robustis aufert Mavortia membris,
Et salsas ori detergunt lintea guttas,
Lintea Cecropiæ superant quæ pensa Minervæ.
Postquam rex calidos exhalans pectoris æstus
Ex humeris posuit fabrefacti pondera ferri,
Sic illum adloquitur lecti fidissima conjux.

Fregisti tandem, fortunatissime regum,
Maurorum vires, opibus quos vincere nullis
Maiores potuere mei: tibi subdita paret
Vrbs dominata diu, sceptrisque est addita nostris.
Hesperia optatos vidit te rege triumphos,
Promittitque sibi ventura in sæcula pacem,
Hostibus evictis, qui bellis bella trahentes,
Oppida funesto replebant cuncta tumultu.
Ante tuos superata pedes iacet Africa collo
Ferrea vincla gerens. Quid possit Gallia sensit
Pulsa loco, gentesque Italum vel nomine terres.
Quæcumque infracta gessisti prælia dextra
Sunt pugnata tibi, dum regna tueris avorum,
Aut maiora facis titulis & finibus augens.
Iam curas omnes ad relligionis amorem
Converte, o dulcis coniux, & pectore toto
Res superum bellator agas, quando omnia cælo
Dona fluunt, nobisque deus tot sceptra, tot urbes
Regnandas dedit, exhaustis nunc undique bellis.
Iudæos hinc pelle procul, ne virus inhalent,
Inficiantque pios, gelidum trudantur ad Istrum:
Caucasesve petant rupes, aut Bracmanas ultra
Concedant, linquant hortos, Pulchrosque penates,
Si renuunt Christo nomen dare: cur mala passim
Gramina, cur lappas steriles tribulosque nocentes
Innasci segeti fido patiemur in agro?
Evelle hos sentes, tolle has radicitus herbas.

Quæ

Quæ nil frugis habent, purga sata pinguia Christi,
Et genus invisum Stygio sub flumine conde.
Si, coniux dilecte, mihi tam iusta potenti
Adnuis, o qualem Hesperiam, quantoque videbis
Extendi imperio: condes nova sæcula mundo,
Relligioque obstricta tibi pietasque manebit.
Dixit. Mellifluæ Ferrandus nectare linguæ
Coniugis adlectus, fideique impulsus amore
Flectitur, & precibus submittit pectora iustis.
Edicit patriis festinent cedere ab oris
Iudæi, extremasque plagas trans æquora quærant.
Edicto trepidant, tabescunt corda dolore,
Nec quid agant, subit: adsuetos deponere mores
Extincta cum lege piget: sedesque quietas
Linquere, & incerta profugos tellure vagari.
Quidam florentis patriæ dulcedine victi
Aegra salutifero respergunt membra lavacro,
Contractas sordes vitæque piacula tollunt.
Ossibus ast alii Moses quibus insidet imis,
Constituunt mutare solum: pars tendit ad Afros:
Pars petit Italiam: subito pars turbine rapti
Invisunt Gallos, sulcant aut navibus undas,
Turcarum expansis adeuntes opida velis.
Ceu nigro turdi complentes agmine campum,
Decussa ut spicis, avidisque relicta colonis
Grana ferant alvo, pastor si verbere fundam
Intorquet, sonitumque ciet, sparguntur in auras
Immites volucres: varias sic orbis in oras
Imbellem fundunt regis præconia gentem.
Neve aliquis fidei mysteria sacra perosus
Ad vomitus moresque patrum, nebulasque rediret,
Insignes pietate viri, legumque periti
Sunt lecti, quibus hæc in primis cura recurset,
Occlusisse vias sceleri, componere mores,
Et linguas cohibere malas, & pellere densas

Er-

Errorum tenebras, animisque infundere lucem,
Vt puri vigeant, defæcatique fideles,
Et firmo maneant in relligionis amore.
Iudicibus sacris magnas dat habere per urbes
Rex pius obscuras metuendi carceris umbras,
Dat manicas, dat vincla pedum, rigidasque catenas,
Durateos & equos, flammisque ardentibus ignes:
Et data crux scapulis, latoque a pectore pendens
Panno insuta brevi, & rubeo signata colore:
Vt poenæ gravitate malos ad crimina pronos
Terrere, & possent iuste punire nocentes.
Dum bella extremis Hispania gentibus infert,
Cæruleumque legit ratibus mare, dum domat Indos,
Atque novas quærit terras, nova sidera cælo:
Aut Belgas valido pacat tirone rebelles,
Vel premit amentes delecta classe Britannos,
Vltores fidei visu speculantur acuto,
Hæresis interea nostras ne reptet in urbes,
Littoraque & portus vigili costode tuentur.
Nam quid collatis prodesset vincere signis
Externos hostes, si bella domestica nobis
Sævirent, hominumque animos invaderet error,
Impietasque manu crudeles spargeret ignes
Per vicos, per tecta, domos ac fana Tonantis?
Hæreticos vafro gestantes pectore fraudes
Vulpes esse reor, quæ per vineta, per agros,
Perque urbes longa mittunt incendia cauda,
In cineres ut cuncta ruant. Pia Gallia quondam
Exarsit, Christi postquam descivit ab aris.
Pannonia obscuri nebulas amplexa Lutheri
Corruit, infussoque tumet per membra veneno.
Nec non, pro facinus! temulenti in verba magistri
Belgica iuravit tellus, excussit honestum
Infida cervice iugum, divina profanis
Permiscet, rectoque patrum de tramite flectens

Perfidiæ meritas æquo dat iudice poenas.
Tendit ad interitum bellis agitata cruentis,
Militibusque obsessa diu nec vivere tuto
Intra tecta potest, nec semina condere terra,
Secura nec pace frui: Mars undique sævit,
Et curvæ falces nitidos conflantur in enses.
En quo perduxit miseros amentia cives,
Contemtusque Dei; quantis tolluntur in altum
Fluctibus, & rursus quanto se gurgite mergant:
Postquam gemmiferis labrusca inculta racemis
Præposuere, acido damnantes mella palato.
Et tu præcipiti mentis cæcata furore,
Anglia, quo raperis? quæ diverticula quæris
Per vepres salebrasque: sciens in tartara ferris
Immemor ipsa tui, certam dum linquis avorum
Quam tenuere viam, dum tu tibi somnia fingis,
Romanumque patrem solio detrudere ab alto,
Deque manu sceptrum, ceu magno fulmina curas
Extorquere Iovi: compilas templa deorum,
Connubioque sacras iungis malesana puellas,
Quæ purum Christo corpus mentemque dicarunt.
Nec satis hoc, liquidum fundis per saxa cruorem
Sanctorum rectamque fidem sensumque sequentum.
Ausa es letiferum Roffensi immergere ferrum,
Pro pudor! Henrici crudelia iussa capessens.
Et te, More, neci veræ pietatis amator
Anglia devovit, dirus caput abstulit ensis:
Vnde tot eximiæ voces, tot scripta, tot artes,
Consilia & versus fluxerunt sponte cadentes,
Quos ipse ad citharam doctus cantabat Apollo.
Te nemora & fontes, teque umbriferæ convalles
Flevere, & sparsis Musæ per colla capillis:
Elogiumque notis hoc incidere sepulcro.
Hic situs est MORUS generis cognomine clarus,
Clarior ingenio, vita clarissimus acta,

Quam

Quam fidei egregia pro liberate profudit.
Non hic Anglorum præses, non optimus ille
Antistes, nec tu gladium, regina, furentem
Sanguine tinxisses angusti carceris umbra
Clausa diu, laribus regnoque extorris avito:
Nec vos, magnanimi patres, qui ad retia tractos
Sumitis in victum pisces (quia tangere carnes
Relligio est) partim e terra trabs alta levasset,
Pressaque nodosæ fregissent guttura funes:
Nec ferrum medios partim secuisset, & imas
Dextra ferox sacro traheret de corpore fibras,
Si tales tantosque viros ea terra tulisset,
Iustitiæ qui lance pari dant præmia dignis,
Corripiuntque malos, longe qui pellere curant
Errores, rabidosque lupos ab ovilibus arcent,
Tutanturque fidem, ritusque ac dogmata patrum;
Nos quoque naufragio forsan reperemur eodem,
Gallia quod patitur, quod tota Britannia fecit,
Horribilisque lues, quæ sese effudit in orbem,
Hesperias etiam vastasset funditus urbes.
Sed vos, o proceres, fidi custodia cætus
Impia reptantis sensistis furta Lutheri,
Occultosque dolos, & iniquæ toxica linguæ,
Te quibus ad certam lactabat, Pintia, mortem,
Pintia Vaccæos inter celeberrima tractus.
Qualis nostra foret respublica, quale maneret
Imperium, & quantis ruerent nunc tecta procellis,
Pestiferum si forte malum per regna domosque
Serperet, & puros late macularet Iberos?
Non fas, non pietas, non regum iura valerent,
Non starent delubra deum, non oppida fossis
Cincta cavis: Bellona ferox, scelus, arma, rapinæ,
Atque animi præceps error, rerumque novarum
Ambitus, ad certas traxissent cuncta ruinas.
Sed pater omnipotens oculis nos adspicit æquis:

Nam dedit Hesperiæ veluti sub monte Sionis
Castellum fidei non expugnabile telis,
Vnde arcus pendent, rigidoque ex ære dolones,
Loricæ, & magnis crispandæ viribus hastæ,
Pendent cristatæ galeæ, celeresque sagittæ,
Enſesque, clypeique pares, duræque bipennes.
Hic agit excubias procerum manus optima visu;
Hinc simul arma capit, sævos quibus impetat hostes;
Pellat & ad Scythicos feralia crimina montes,
Incæstus magicosque dolos, periuria, sordes,
Pactaque connubii repetita, superstite nupta,
Quæ sit communi primum socia addita lecto.
Hinc fera terribili mittuntur fulmina dextra
In linguas, quæ foeda Deo convitia iactant,
Cælitibusque bonis: ardens hinc fulgurat ignis,
Sectarum vindex, & adurens corpora flammis.
Si gramen letale, nocens si pullulat herba,
Tristiaque incultos serpunt aconita per agros
Exitium pecori, curvata falce secantur:
Namque etiam hic cernas pendentes ordene falces
Ad similes usus: aut quum non utilis hæret
Ramus inarescens trunco, vel sentibus aspris
Aruit atra seges rapido tradenda camino.
Qua te laude feram, dignoque ad sidera cantu
Extollam, FERRANDE potens? quo carmine nomen,
ISABELLA, tuum galidas ego ferre per Arctos,
Regna per Antipodum valeam, Morinosque remotos.
Horrida vos sævi clausistis limina Iani
Multiplici religata sera: vos densa latronum
Agmina grassantum, cædesque ex orbe fugastis.
Sed nil suggessit sollers prudentia vobis
Vtilius terris, superis neque gratius ipsis,
Quam reperisse modum, quo stirpitus atra periret
Hæresis, & poenas luerent pro crimine sontes,
Ne fausto eventu scelera impunita tumerent.

HIE-

HIERONYMI RAMIRI
DE RAPTV INNOCENTIS
MARTYRIS GVARDIENSIS
LIBER II.

TRansiliunt profugi vastæ iuga celsa Pyrenes,
Vnde agros lætæ Hesperiæ, tractusque iacentes,
Et purum nitido prospectant lumine cælum.
Vbertim lacrymæ ex oculis volvuntur inanes,
Et dolor occulto rumpit præcordia sensu:
Dum cernunt quam dulce solum, quam pulchra relinquant
Regna, laresque sibi multo post tempore amatos.
Sed quum paullatim tenui vanescere visu
Runcatæ incipierent valles, lateque patentis
Hesperiæ regio terræ se conderet umbra,
Suspirant, imoque trahunt de pectore questus,
Aeternumque vale dicunt felicibus oris.
In loca præcipiti tandem planissima lapsu
Descendunt, qua culta suos Aquitania campos
Ruderibus pascit, curvoque exercet aratro.
Iam te piscoso qui laberis amne, Garumna,
Transierant flentes, quum Gallica protinus arva
Contingunt, variasque domos, diversaque quærunt
Exsilia, & lato miscent sese agmine Celtis;
Non tamen impuros mutant cum sidere mores,
Mens eadem scelerata manet, rerumque sacrarum
Immortale odium. Nihil est Vulcanius ignis,
Ensis hebet, mors ad poenas quæcumque moratur,
Vt cito Christicolas adigant in funera cunctos.
  Zacharias scelere ante alios crudelior omnes,

Cuius ab ore diu fallax Synagoga pependit,
Infremit, ardentique irarum perfurit æstu,
Quum ſeſe eiectum patria, dubiiſque videret
Sedibus errantem, mundique extrema petentem.
Ergo triſtitia atque odio ſtimulatus acerbo
Hæc ſecum: Cur terra vorax non ſponte dehiſcit?
Aut cur ſe effundens clauſtris non proſilit æquor?
Fulmineoſve iacit celſis e nubibus ignes
Terrificus Moſes, ut Chriſto addicta propago
Diſpereat, tantumque nefas tollatur ab orbe?
Invitis ſuperis floret, pro dedecus ingens!
Iura dare, & mundo iam ſe præponere tentat,
Noſque genus ſimplex, nec formidabile cuiquam
Legibus exagitat, magniſque laboribus urget,
Quos vix maiores Phario ſub rege tulerunt,
Dum lateres fingunt paleas per rura legentes.
Nec ſatis eſt mulctare bonis, expellere tectis:
Solem, ſi poſſet, nobis auferret & ignem,
Et prohiberet aqua, cælique patentibus auris.
Si quidquam tamen ira valet iuſtiſſima, ſi quid
Lædere forte poteſt læſus dolor, ipſe meorum
Damna, fugam, luctus, maculaſque ulciſcar inuſtas,
Inveniamque modum, quo vis furioſa veneni
Diffuſa in latices mortis compendia quærat,
Potantumque animas imo ex pulmone revellat.
  Talia dicta dabat revomens e corde furores
Hoſtis atrox, facinus tam deteſtabile nollet
In longos differre dies, ſed cogitur iram
Supprimere, atque altum vultu ſimulare dolorem.
Nam pueri evulſum derat cor, hoſtia derat
Viva placenſque Deo pro mundi oblata ſalute,
Vaſa quibus conſtant atro ſpumoſa liquore.
Dum pendet dubiūs, mentemque per omnia verſat,
Oſtendit fortuna viam, quæ immanibus auſis
Dat facilem curſum ſæpe, & connivet iniquis.

Vir quidam vicinus erat, qui clara parentum
Stemmata, & expressos vultus monstrabat avorum.
Sed prope nobilitas generis demersa latebat
Paupertate gravi, atque animos adimebat heriles
Res angusta domi: proles numerosa capacem
Circumstat mensam Fabiorum prandia carpens,
Fluminetaque adsueta sitim restinguere lympha.
Raro edit aut capræ iecur, aut farcimina porcæ
Solemni donata die. Properaret ad istas
Pythagoras ædes crebro conviva vocatus.
Sobrietas, mediisque habitat pax aurea tectis,
Recta fides, socialis amor, germana voluntas.
His laribus turres & picta palatia regum
Mutares, nisi te forsan terreret egestas.
Tentat Apella virum cultu nummisque carentem,
Oreque magnifico spondet se grande daturum
Argenti pondus, quo tandem emergeret, & se
Fortunæ eriperet sævæ, tritasque lacernas
Exueret membris, angues ceu sole fruentes
Deponunt segnem primo sub vere senectam,
Si cor molle daret nati de corpore tractum.
Ille mari similis, refiua quum fluctuat unda,
Huc illuc animo rapitur, dubiusque vagatur.
Hinc amor & pietas, tangit quæ corda parentum,
Bella ciet, natique monet defendere vitam:
Illinc dira fames stimulat, cogitque potentis
Rumpere naturæ leges, ut compleat alvum.
Pauper eques propere consueta in tecta reversus,
Vix lacrymis parcens uxori singula narrat.
Illa virum complexa, inquit: Dulcissime rerum,
Consorti gratare tuæ, & curam exime cordi,
Inveni namque ipsa viam, qua perfidus hostis
Deceptus tribuat nummos sine sanguine nati:
Absit tale scelus; tu, si quid fraudibus audes,
Aggredere egregium facinus, sponsæque monentis

Vo-

Vocem audi. Est clavo nobis religata trabali
Porca: neci dedas, & cor de pectore velle,
Quod tu pro vero exhibeas. Cur anxius hæres?
Ne dubita, impones cupido, expiscabere nummos.
  Dixerat. Extemplo vir spe meliore levatus
Coniugis admonitu fert cor animantis obesæ
Persimile humano, ac veluti lacrymantia tergit
Ora manu, queriturque necem fecisse puelli.
Accipit optatum pignus Iudæus, & illo
Pascit inexpletos oculos, gravioraque volvit,
Quum sibi tam recte videat procedere vota.
Ergo ubi cautus eques non indonatus abivit,
Muneribus corrumpit anum crucis impius hostis,
Vt quum divorum mensæ discumbat, & atro
Ore Deum capiat, suavi se temperet esu,
Extractumque ferat. Promissis obruta magnis
Paret anus dictis, fidoque innixa bacillo
Templa petit, geminasque manus ad sidera tollens,
Quo circumfussæ plebi sese approbet, agnum,
Immaculatum agnum, & delentem crimina mundi
Pane brevi clausum sumit. Non improba mandit
Cælestes epulas, grato nec pectora gustu
Exhilarat, nimiave replet dulcedine mentem;
Angelicum sed ab ore cibum depromit, & aufert
Dulce animæ nectar, digne si sumere vellet.
Lucentes gemmas atque aurum nobile porcis
Proiicit, & dominum cæli rerumque parentem
Femina avara nimis sceleratos vendit in usus.
Iudæus furto lætus nihil abfore credit,
Quin iam Christicolas penitus sub tartara mittat.
Haud voluit magicis virus medicarier herbis,
Quærere nec cineres placuit phoenicis adustæ,
Prærabidive canis spumam, lapidesve sonantes
Alitis armigeræ, non lumina torva luporum,
Non anguis pellem Libyci, cervique medullam
Quæ-

Quæritat, aut funes, hominum quæ guttura nodis
Fregere, effetæve placet iecur addere lyncis:
Sed duo, quæ vitam tribuunt mortalibus ægris,
Præparat ad mortem contusaque pulvere miscet,
Cor vegetans corpusque Dei. Nox atra replebat
Cimmeriis orbem tenebris, & lumina parcus
Demebat Titan evanescentia lunæ,
Quum liquidos ruit ad fontes crudelis Erynnis.
Corda tument rabie, suffusaque sanguine gestat
Lumina, pallescunt vultus, terrentque furore:
Vasque tenens dextra: Triplici nunc, Cerbere, rictu,
Tuque ait, o Phlegethon, ades, Eumenidesque malignæ,
Inficite hos latices, rabidos potantibus haustus
Virus atrox, luctus & tristia funera volvant.
Quod si letiferi vis est iam nulla veneni,
Nec quidquam Stygii faciunt ad carmina manes,
Labere, virga, polo, tactu quæ noxia quondam
Sanguine dividui maculasti flumina Nili,
Et vires ostende tuas, undasque perennes
Succo immisce malo, rabidumque immitte furorem.
Dixit, sanguineosque oculos post terga retorquens
Virus sparsit aquis, & nota in tecta recessit.
Ceu postquam stimulum depicto corpore vespa
Infixit sævum linquens sub pelle dolorem,
Continuo moritura volat: sic hostis abivit
Impius, ut mediis potum vitiavit in undis.
 Ignivomos iam Phoebus equos sublimis agebat,
Quum gravis arentes exurit Syrius agros,
Oblitæque hiemis resonant per rura cicadæ,
Ecce sues, grex magnus, aquas & frigora captat,
Illi vix avido potarant ore liquores,
Quum fusi per saxa volant, per devia tesqua,
Grunnituque replent valles, terrentque subulcos
Attonitos novitate rei: non funda minæque
Currentes inhibere valent: in celsa feruntur

Culmina, seque gravi mittunt per inania lapsu.
Non aliter, si parva licet componere magnis,
Quam quum pascentes porcos sub culmine montis
Irruere in stagnum dæmon violentus adegit
Præcipites, terrore vagos, umbrisque paventes,
Permittente Deo, voluit qui compede vinctum
Solvere, & humano furias e corpore pulsas
In foedos clausisse sues. Deus optimus idem
Fons vitæ lucisque parens innoxia fecit
Vasa viris: referunt plenas humoribus urnas
Carmina dulcisona modulantes voce puellæ,
Nec cuiquam infuso latices nocuere veneno.
Quin potius Galli, detecta fraude, furentes
Artificem sceleris lapidum sub monte sepultum
Supplicii exemplum populis liquere futuris.
At socii vertere solum formidine poenæ,
Atque insperato notissima tecta revisunt
Propter aquas, Tagum undosum quibus exit in æquor.
Herculeis quidam præcinctam moenibus urbem
Festino petiere gradu, quam maximus olim
Bamba suæ celebrem protendens gentis honorem
Muro instauravit pulchro templisque decoris.
Ast alii circum vicina per oppida fusi
Aedificant, clauduntque sibi vivaria septis,
Incumbuntque opibus per furta dolosque parandis.
Interea ultores fidei per Iberica regna
Iudæos etiam plectunt, qui pectore nondum
Expulerant Mosem, vetitæ sed dogmata legis,
Atque Neomenias & Phases festa colebant.
Præcipue tamen Isacidas in turpe relapsos
Hæresis indicium ferro flammaque severa
Insequitur, variisque modis urbs clara Toletum
Cincta Tago, flexu triplicis circumdata muri,
Feta viris, armisque potens studiisque Minervæ.
Hanc Virgo terris fertur magis omnibus urbem
In-

Incolere, æternum Virgo quæ lacte tonantem
Fovit, & illæsi peperit sine labe pudoris.
Hic templum augustum centum sublime columnis
Pyramidas Memphis superat, Rhodiosque colossos,
Paciferique adfectat opes & munera regis
Vincere, gemmarumque globos, paterasque micantes,
Picturas, lances, cochleas, laquearia, postes.
Huc genitrix adlapsa Dei sub marmore plantas
Pressit, & attactu sacravit templa beato,
Pastori eximio portans mirabile donum,
Eius perpetuos quod defendisset honores
Voce pia, fusoque in multa exempla libello.
Semper ab EugenI felici tempore nostris
Cura Toletanis fuit hæc, vestigia Christi
Indubitata sequi, divumque accurrere ad aras,
Romanamque fidem colere, & submittere sese
Pontificum iussis cælestia sceptra tenentum.
Curabant etiam errores expellere longe
Egregii cives, aditusque occludere sectis,
Hæreticosque arcere malos, aut urere flammis.
Neve animos forte inficerent contagia foeda
Iudaici pecoris, sponte admisere verendos
Consilio vitaque patres, quos numine dextro
Nuper in Hesperia rex & regina crearant,
Iudæo expulso. Sed quis non crederet illos,
Qui patrio mansere solo, caligine mentis
Discussa, Christique sacro iam nomine censos,
Perpetuo nostros fore, propositique tenaces?
Ecce datæ fidei immemores propriæque salutis
Conspirant multi, qui quum manantia cælo
Pabula gustassent, Aegypti obsonia quærunt,
Atque iterum impingunt desuetæ legis amore.
Conveniunt noctis tenebris, ritusque sepultos
Ceu postliminio repetunt, faciuntque parentes
Quæ fecere sui, quum lex onerosa manebat,

Sabbata ſanctificant, non tangunt ore ſuillam,
Exſpectantque diu, quem nos veniſſe fatemur,
Vt cælo terras, terriſque adiungeret aſtra.
Quod poſtquam excubias ſacris pro rebus agentes
Olfecere patres, trudunt in vincula ſontes:
Atque alte prius exſtructo de more theatro,
Infami quoſdam producunt veſte notatos,
Quoſdam lugentes opera ad fabrilia mittunt,
Aut remo per tranſtra iubent agitare triremes,
Vt fracta attenuent diuturno membra labore.
Indecores alii portant in vertice mitras,
Puniceoſque gerunt nexus per colla fluentes,
Ad mortemque ruunt. Medio latiſſima campo
Fit pyra fraxineis ramis atque ilice pinguis,
Arenti folio ſiccaque intexta geniſta:
Ardet, ſuppoſitis facibus circumque ſupraque,
Flamma vorax crepitat, fert fumus ad æthera nubem.
Vruntur trabibus conſtricta cadavera longis,
Ore oculiſque ignem totoque e corpore volvunt,
Et tabo liquefacta fluunt, ſemiuſtaque fumant.
Quale virens truncus gelidæ ſub tempora brumæ,
Lumen ubi evomuit conſumtis viribus ignis,
Paullatim denſos ſpargit per tecta vapores,
Donec eum calor in cineres & fruſta reſolvit:
Vſta rebellantum ſic mittunt corpora ſurſum
Fumiferam noctem, & cælum caligine complent.
Territus Aetnæas fugeret Vulcanus in umbras
Iudæis parcens iam vita & lumine caſſis,
Contactu ne forte malo quid labis ab illis
Contraheret, foedaque ignem corrumperet aura:
Sed patris imperium ſummi, cui ſidera parent,
Continuit, iuſſitque ſuas expromere vires,
Vlciſcique rogo ſcelera, & punire nocentes.
Quin etiam pueri balearis verbere fundæ
Contorquent medios ſtridentia ſaxa per ignes,

Fu-

Fumantesque petunt geminatis ictibus artus.
Qui rebus lapsis Iudææ mente favebant,
Edita quum plebi cernunt exempla suorum,
Vincula dura, neces, lacrymas, ludibria, casus,
Dentibus infrendent, rabidasque feruntur in iras:
Sed timor occulto cohibet præcordia motu,
Atque graves differt in idonea tempora poenas.
In Carpetanis locus est celeberrimus agris,
GVARDIA nomen habet muro vallata vetusto,
Frumenti vinique ferax, & pinguis olivo:
Ostentat longe pulchram venientibus arcem,
Quæ quantum æthereas transcendit vertice nubes,
Fundamenta gravi tantum se pondere mergunt.
Non Boreæ flatus, nec aquosi fulmina cæli,
Adsultusve timet Martis, non sentiet ævum,
Cincta decennali non obsidione fatiscet.
Si celsas turres spectes, lateque patentes
Prospectus, muros & propugnacula, pinnas,
Impluvia, & clara radiantes luce fenestras,
Belligeræ nihil esse putes Capitolia Romæ.
Vrbs hæc pontificum quondam parebat habenis,
Sed læta nunc pace vigens & legibus æquis
GVARDIOLAE imperio regitur, quem sancta dederunt
Numina, ut adflictis ferret sæcla aurea rebus.
His sedere locis multi de semine Iudæ,
Qui quum vidissent torvo spectacula vultu
Facta Toletanis, bacchantum more feruntur,
Et spumas iaciunt ore, & crudele minantur.
Messuras furit ante alios, pedibusque trementem
Errabundus humum quatit, & convitia iactat
In superos, Christum diris & devovet atris.
Ergo sic loquitur sociis in tecta vocatis.
Quæ nos segnities, aut quæ formido moratur
Imo in corde latens: glacie cur deside nobis
Membra rigent, tantumque animam salis instar habemus?

Corripimur flammis, sparsi toto orbe fugamur,
Et sumus insano facti iam fabula vulgo,
Ludibrium pueris. Quis tot, nisi plumbeus, excors
Damna ferat, miseramque velit sic degere vitam?
Formicis sua bilis inest, muresque pusilli
Norunt intrepidis expellere morsibus hostem:
Nos vero genus electum, cui militat æther,
Cuique alta iratos substernunt æquora fluctus,
Perque undas se pandit iter, moriemur inulti?
Non ita, sed revocate animos viresque potentes,
O socii, quas maiores in prælia nostros
Exseruisse ferunt, Libani quum montis ab umbra
Flumen ad Euphratem populos domuere feroces:
Quumque Machabæi fratres, horrentia Martis
Fulmina, fregerunt acies currusque superbos
Antiochi, pro re, pro vita ac lege parentum.
Nonne gigantæos conculcavere furores
Hebræi quondam pueri? Non femina victrix,
Bethuliæ decus, ense ducem iugulavit acuto,
Suspenditque caput, fusosque exterruit hostes?
Et nos, qui validis hastam torquere lacertis
Possumus, Isacidæ proles certissima gentis,
Vt mites moriemur oves? nec splendor avorum,
Nec mala, quæ patimur, subdent calcaria nobis,
Iusta lacessiti capiamus ut arma, piosque
Nostrorum manes ferro ulciscamur & igne?
Quod si tale decus nobis fortuna negabit,
Nec iusto ad pugnam liceat nos credere campo,
Longe aliud tentemus opus. Iam quærite raptum
E matris gremio puerum, subducite panem
Ex ipsis adytis, quem plebs ut numen adorat,
Gallicaque in fontes spargamus vasa perennes.
Dixit: eoque magis placuit sententia cunctis,
Quod renovanda Dei mors lamentabilis esset
Exiguo in puero, quem sidera clara parabant

Di-

Divorum ut numerum nobis augeret & aras.
Mandatur Franco raptus puerilis iniquo,
Qui domitare boves & ducere plauſtra ſolebat,
Sævus homo, durumque gerens in pectore ferrum,
Contemtor ſuperum, periuria fundere ſuetus,
Et verſare dolos, pecudesque avertere caulis.
Iam pariles Francus cogit ſub lora iuvencos,
Optatum iam carpit iter, ſolitasque Toletum
Comportat merces, puerum quo nomine quærat.
Dum vehitur currumque citat, crudele volutat
Mente ſcelus, parat & ſeſe tam grandibus auſis.
Lux alma hebdomadæ currens ſtatione ſecunda
Belligero ſacrata Deo iam lumina terris
Grata dabat, vicibusque ſuis & munere fungens:
Quum lato ſtat turba foro, populique coacti
Emporium celebrant, cernas rude fervere vulgus,
Et querulas gravido collidi ventre puellas.
Hic cæpas, acri mercatur & allia morſu,
Fictilibus replet ille domum, tenuiſſima quærunt
Lini penſa nurus: hic ſunt emtoribus uvæ
Solibus arentes, illic venalia pandunt
Frumenta agricolæ, & proſtant ſuis aſpera terga.
Quisque foro expoſitas merces, quibus indiget, ambit;
Aut emit annonam, longum quæ duret in annum,
Aut calathos violis, pulvinos, fulcra, tapetas,
Calceolos auriga pares, pictumque galerum
Emtitat, & rubeo poma inſignita colore,
Cruſtula blanda, nuces, pueros quibus ille tenellos
Callidus hamatis ceu piſces falleret eſcis.
Intentis oculis vicos & compita luſtrat
More lupi, qui ſæva diu ieiunia paſſus
It, redit, & clauſo circum inſidiatur ovili.
Incidit in pueros raptor, dum permeat urbem,
Sed timet adſpectus hominum curamque parentum:
Namque hoc ſtelliferi magnus fabricator Olympi

So-

Soli CHRISTOPHORO decus immortale reservat.
Is tum, quum medio se ferret in æthere Titan,
Matrem exspectabat modulantem carmina voce
In superum laudes, demti solatia visus.
Stat puer augusti lato sub limine templi,
Qua Virgo ingressa est cælo delapsa sereno,
Divorum effigies candenti e marmore factas
Contemplans vultu tacito, gaudetque beatæ
Virginis ora tuens, pressumque ad pectora natum.
Miratur niveo pendentia fornice saxa,
Artificumque manus, & postes ære rigentes.
Divinos illi per membra adflarat honores
Natura, & pulchro flavos in vertice crines,
Ad nexusque aptos dederat, lac miscuit ori,
Purpureasque rosas lacti, duo lumina lucem
Sideris instar habent, Tyrios labra bina colores.
Ardentem cunctis ex se spirabat amorem
A capite ad talos totus pulcherrimus imos.
Talis erat, ni vana serunt mendacia vates,
Aligera in cælum quondam puer alite raptus.
Ingenium præcox illi, rationis & usus
Contigit ante diem, roburque virilius annis,
Vt sub persona crudelia vulnera ferret,
Quamque tulit Christus mortem, grata hostia patri.
Haud illo quidquam vidisses mollius umquam,
Nec magis ad præcepta sequax, dabat indole pulchrum
Virtutis specimen, roseaque in fronte micabat
Quid puero maius, celeres non texere cursus,
Non lapides torquere iuvat, non voce penates
Mane ferit poscens resono ientacula luctu:
Sed facilis matri partus, spes sola senectæ,
Duxque benignus erat, mensæ & parasitus egentis,
Vrbis amor, summique ingens iam cura tonantis:
Quum sic letali prolectat carmine Siren.
Quid puer hic impransus agis! sol altior undas
Ex-

Excoquit, & stratis fumant obsonia mensis.
Sume nuces, dubia quas possis vincere sorte,
Nectarei cape mellis opus, cape mitia poma,
Quæ nec læsit hiems, vento aut cecidere procaci,
Vni lecta tibi, quando parcissima mater
In seram differt frugalia prandia noctem.
Si vis calceolos, adsunt; iam tegmine nudos
Conde pedes, ornaque caput, frontemque galero,
Cui Numida ignivoro plumas ex alite misit,
Quemque emi tibi, belle puer, dignissime magno
Pocula ferre Iovi, mensisque accumbere divum.
Si sequeris, meliora dabo, sunt tympana nobis
Pulchra domi, celeresque pilæ, crepitacula, nolæ,
Est trocus, in gyrum rapido quem turbine verses.
Mecum in tecta veni vita fruiture deorum.
  Dixit. Continuo non æquis passibus infans
Adsequitur, ceu quum catulus iam ludere gaudens
Ante fores, spes agricolæ, terrorque futurus
Altorum nemorum, manibus plausuque sonanti
Deceptus trahitur, proiecta & cominus offa,
Indeprensa sequens cauti vestigia furis.
Successu exsiliens Francus, sub nocte silenti
Plaustro imposuit onus fulvo pretiosius auro,
Matris delitias, atque urbis amabile pignus,
Quæ primum amplexa est fidei mysteria nostræ,
Quæque per Hesperidum terras, dum bella tonarent,
Afrorumque furor repleret cuncta tumultu,
Inter Agarenos mansit purissima ritus,
Sacra colens, Christique piis altaribus hærens.
Quam claros tulit illa viros bellique togæque,
Quotque patres sacra gestantes fronte tiaras,
Exemploque graves: tellus quos extera quamvis
Edidit in lucem, potuit sibi iure Toletum
Adserere, & propriis adnectere civibus illos,
Quos habuit vitæque duces, clerique magistros.

Sed te nascentem vidit, Leocadia, teque
Plorantem in placidos adlexit carmine somnos;
Dulcia lactifluis instillans ubera labris:
Te quoque, Virginei defensor magne pudoris,
Audiit implentem teneris vagitibus auras:
Vt tantus talisque fores, ut munera cælo
Acciperes, & digna palam præconia divum
Audires gladium exsertans, quo Virginis almæ
Rupisti vestem toto mirante senatu.
Quid memorem indigenas reliquos, gravitate verendos,
Doctrina insignes, vitæ candore probatos?
Vel qui per cultros & ahena undantia flammis
Ad superos fecere gradum? Nunc optime nobis
Cunctorum instar eris, puer o, quando aspera iam te
Multa manent, ruis & plaustro ad tormenta citato,
Ornamentum ingens patriæ, tutela decusque.
Ad notas iam raptor atrox remeaverat ædes,
Laxaratque boves foeno præsepia complens,
Quum socii accurrunt, tolluntque ad sidera Francum,
Francum omnes laudant, Francum amplexantur ovantem,
Franco dona ferunt, lautæ & pulmenta culinæ.
Illi est tam pulchri custodia credita raptus,
Quoque magis simulet, populum rumoribus implet
Christophorum esse suum, turpique in fornice natum,
Inculpata thori quum nondum gaudia nosset.
Miratur pueri claros vicinia vultus,
Sidereosque oculos, atque aurea fila capillos.
Illum multiplici licet auctæ prole parentes
Optavere sibi, fortunatamque vocabant
Quæ tulerat gravida tam pulchrum pignus in alvo.
Excipit has laudes invitis auribus infans
Mæsta verecundo suffundens ora rubore.
Dumque animo gratique lares, materque recursat
Aegra nimis, famæque malo traducta susurro,
Ingemit, & lacrymis humectat lumina fusis:

Sed

Sed nullos triſti proferre e pectore queſtus,
Edere non voces audet, non murmura lingua,
Impellente metu: cuſtos nam perfidus armat
Terribilem dextram loris, & verbere ſævit.
Nunc terræ partum appellat, nunc claudit in umbras
Ieiunum, ſeroque atri dat fruſtula panis.
Sed quodam magis ille die truculentus & acer
Colligit in rabiem ſeſe, atque exſuſcitat iras:
Incuſansque moras, & iam ſolemnia damnans
Supplicia, inſani reprimit vix pectoris æſtum.
Ne tamen indocilis puer ad maiora maneret
Tormenta, auratos rigido ſecat ungue capillos,
Et turpat livore genas, pulcherrima tundens
Ora manu, mortiſque ciet ſimulacra futuræ.
Puſio carnificis vultu commotus, & alto
Poenarum ſenſu vicinas fugit in ædes,
Et latuit ſub fulcra thori: ſed proditus inde
Vt pictura tacet, nec Franci furta recenſet.
Quin potius laudata ſequens exempla magiſtri
Labra premit, ceu mitis ovis, cui vellera tonſor
Diſſecat, & reſonos adſpectat forcipis ictus.
Magne pater, quæ vis fragili maturior ævo,
Aut quæ tanta rudes docuit prudentia mentes
Infantum, cohibere levem ſub pectore vocem,
Virtutemque ſequi, & laudem adfectare virorum?
Quum nuclei, quum poma placent, quum mollis arundo
Admiſſa Aeliadum curſus imitatur equorum.
O vigor ætatis teneræ, o conſtantia nullis
Cognita temporibus, quamvis te Roma, Papyri,
Celantem ſecreta patrum ſuper æthera tollat.
Flet deſiderio matris puer, intima tentat
Corda dolor, ſævamque pia pro matre novercam
Extorris ſentit, patruum pro patre furentem,
Et tacitus perſtat, vireſque excedit adultas.
Nil adeo imbelle eſt, ægrum ac ſine viribus ullis,

Quod si divino firmetur numine , casus
Non possit tolerare graves , & spernere mortem.
Qui currens per saxa latex , quæ cera liquenscens
CHRISTOPHORO mage blanda fuit? Sed lecteus infans
Adflatus virtute Dei crudelia Franci
Verbera sustinuit , cruciatus , vincla , dolores ,
Ieiunosque dies & frigora noctis opacæ.
Nec sunt ista satis , multo graviora voravit.

HIE-

HIERONYMI RAMIRI
DE RAPTV INNOCENTIS
MARTYRIS GVARDIENSIS
LIBER III.

IVre Deus vatum solvens in carmina linguas
Exprobrat Hebræis ingratæ crimina mentis:
Nam quum legisset populis ex omnibus illos
Ad decora, & sobolis magna incrementa beatæ:
Quumque acres Pharaonis equos validasque phalanges
Aequoreis mersisset aquis, fugientibus undas
A dextra lævaque tenens, ut pervius esset
Transitus, & solidi premerent vestigia gressus:
Gens hæc corde gravi, libertatisque receptæ
Immemor, ac semper recto de tramite flectens
Haud cessat iustas incurrere numinis iras
Responsans ducis imperio, iussisque tonantis.
Nunc præfert pingues epulis cælestibus ollas,
Appetit & cepas, dubiæque obsonia mensæ:
Nunc vitulum ex auro conflat, cui substruit aras,
Incurvatque genu, & sacros decernit honores.
Quin etiam æqualem patri, cunctisque priorem
Progeniem sæclis indigna morte peremit.
Nec sat erat Solymos furiis crudelibus actos
Flagrorum nodis, & iniqui pondere ligni
Adflixisse Deum: seri nunc ecce nepotes
Ore truci, & patulis efflantes naribus ignem
In Christum sub corde fovent odia aspera avorum:
Quumque neci verum nequeant addicere Christum,
Quem scirent plagas olim subiisse cruentas,

Fa-

Factitium punire parant. Iam menstrua Phoebe
Lumine furtivo circum repleverat orbem,
Hebræi quo mense patres de more solebant
Victricem celebrare diem, quum stantibus undis
Instar montis, iter medium fecere per æquor:
Nos quoque lugentes eadem sub tempora Christi
Mortem instauramus, quum victo ex hoste triumphans
Transiit ad patrem, clausum & reseravit Avernum.
Ergo Iudæi, quos Guardia dives alebat,
Conveniunt, quique oppidulis sedere propinquis.
Stat cunctis renovare Dei lacrymabile funus,
Flagra, crucem, vepres, & hiantia vulnera clavis,
Dedecus in nostrum & fidei ludibria sacræ.
Guardia patrandæ visa est aptissima cædi,
Quod regione, situ Solymæ foret æmula terræ,
In qua Christus obit: nam sese attollit in auras
Rupibus imposita, & virides prospectat olivas,
Quæ speciem montis (tanta est concordia) præbent
Cecropiæ quondam laudati fronde Minervæ.
Si geminas arces, nubes quibus ardua vincit,
Adspicias, quasque illa procul venientibus offert,
Cantanen dices, & vastæ molis Aphelem,
Isacidum turres & propugnacula gentis.
Hic quoque Calvariæ locus est salebrosus & asper,
Cedrorumque rapax torrens, est vallis aperto
Iucunda intuitu, non illi dissona prosus,
Quæ late humanum capiet genus, omnia quando
Corpora de ruptis surgent animata sepulcris.
  Grata quies hominum mulcebat corda sopore,
Latratusque canum per tecta obscura silebant:
Rura tacent, nullosque ciet natura tumultus,
Stridulaque inclusi deponunt murmura venti:
Quum fera gens rabidos acuens in vulnera dentes
Infremit, & pueri poenas cum sanguine poscit.
Itur in exesam rupem, quæ surgit in altum

An-

Anfractu acclivi, summo sed vertice fessis
Planitiem præbet, camposque adspectat amænos.
Hic specus agricolis picea fuligine sordens
Sæpe receptus erat, gelidos quum sidera rores
Nocte dabant, vel sævus aquas spargebat Orion.
Procedunt cuncti: gerit hic, quæ tempora circum
Hæreat, intextam dumis tribulisque coronam.
Pertrahit ille crucem pondus temonis obusti:
Fert alius clavos, alius madefacta pruinis
Vimina, cornupetis detractaque lora iuvencis.
Est quoque qui cultros dextra prætendit, ut imas
Rimetur fibras, & corda latentia quærat.
It puer indutus chlamydem, saxisque rigenti
Insistit pede nudus humo, duplicataque restis
Nodo colla premit candore simillima lacti.
Adsequitur stipante manu deiectus ocellos,
Præsumensque animo mortis simulacra futuræ.
Ventum erat ad montem, magnus quum sistitur infans
Aetheris ut celsi dominum, rerumque parentem
Oraret genibus flexis, ceu Christus in horto.
Sed puer haud fictas mittit de pectore voces,
Quumque oculis geminas tendens ad sidera palmas
Hæc ait: O genitor, nutu qui concutis orbem,
Quique humiles cælo exæquas, & ad ima superbos
Præcipitas animos parvis fortissima vincens,
Adfer opem, maiusque annis mihi suffice robur,
Vt nati tormenta tui, & grave funus adumbrem,
Vnde homini largo manant tot commoda fluxu,
Vita, decus, vires, puræ & constantia mentis.
Vix hæc: quum supera delapsus ab arce minister
Imbriferas pennis tranat velocibus auras,
Aeternique patris fidus mandata reportat.
Adstitit, & pura seu sese in veste videndum
Obiiciens, seu clam transfundens dicta per aurem
Adloquitur puerum: Macte o virtute potenti

Aggredere haud dubiæ certamen nobile palmæ,
Iamque humeros suppone cruci, da membra flagellis
Acribus, & pectus cultris immitibus offer.
Non cedes, puer alme, malis: nam conditor orbis
Adspirans, magnoque tibi se numine miscens
Suggeret ingentes infirma in pectora vires,
Multorum ut superes insigni laude triumphos,
Qui sibi mansuram peperere in sæcula vitam
Morte obita, & strictos cælum meruere per enses.
Euge licet poenas iam sis subiturus acerbas,
Quas ego magna voco celebris præconia famæ,
Et monimenta tui, ruptis quum vulnera costis
Sublimi e ligno ostendes, & stigmata Christi.
  Talia dicta dabat fandi doctissimus ales,
Quum subito erumpunt omnes, puerumque fruentem
Colloquio superum densa obsedere corona,
Iniiciuntque manus, vinctumque per ardua ducunt
Teste polo, cunctisque simul cernentibus astris:
Nam quæ patrabant, ipsis haud magna videntur,
Nec digna ut fugerent oculati lumina cæli,
Conspectusque hominum: sed iam, quia maxima restant,
Noctis amant latebras, & sese in tuta receptant
Antra, scelusque atrox umbris horrentibus abdunt.
  Quo gens cæca ruis? quamvis trans ultima curras
Aequora, desertosque agros, locaque invia quæras,
Fessa volucripedes ponunt ubi cornua cervi:
Aut Tanaim, Nilive petas septemplicis ortus,
Teque vel obscuræ condas in viscera terræ,
Ex alta veluti specula Deus omnia late,
Sive die, seu nox vastum quum amplectitur orbem,
Prospicit, atque oculis Acheronta subintrat acutis.
Nunc quoque concilium infandum videt, & videt atra
Vt fundunt lingua falsi periuria testes.
Audit ab excelso causam Ribera sedili.
Hic nummos ipsis solvendos rite calendis

Exi-

Exigere ante diem, & certo numerare lapillo
Doctus erat, miserisque dolos versare paratus:
Vnde amplas quæsivit opes, ædesque superbas,
Iamque suburbanos septis concluserat hortos.
Nunc demum ignotam iuris deflexit ad artem,
Pilatum sic fatus agens: Quid vultis, Hebræi?
Nil obiecta probant, testes non voce cohærent.
Esto, sit ille latro, pecoris sit abactor, & exlex:
Aut regale decus, sacrosve adfectet honores:
Optate, ex binis utrum dimittere vobis
Adridet? Christumne, an tardum compede furem?
Inclamant, mittique virum de carcere poscunt
Furta latrociniis, gladiisque minacibus ignes
Miscentem, inque deos convicia foeda vomentem.
Christum autem (Christus puer est, sed ludricus) omnes
Ad cædem clavosque petunt, ad pondera ligni.
Tum iudex Siculos agitans sub corde tyrannos
Invitum obstreperæ simulat se cedere turbæ,
Ac puerum indignis quatiendum tradere loris.
Trabs alta infoditur terræ, similisque columnæ,
In qua magna domus pars inclinata recumbit.
Huic puer applicitus circumdat brachia nexu
Consociata gravi, nudus stat corpore toto.
Expromunt animos alternis ictibus acres
Carnifices sævi, binique ad verbera fessis
Succedunt, plagasque novas, sensumque recentem
Incutiunt. Artus multo livore tumescunt,
Flagraque dira sonant, sonituque impellitur antrum.
Qualiter Aetnæi quum conflant arma gigantes
Magnanimo gestanda duci, vel fulmina ab aure
Nubiferi iaculanda Iovis, vi brachia tollunt,
Alternantque vices, resonantque incudibus ictus.
Non aliter nocturna cohors puerilia membra
Taurino corio, lento quoque vimine cædit.
Cælicolæ claro, penetrant quo tartara, vultu

Adspectant teneri tormentum immane puelli,
Et votis animoque favent. Tuque optima bello
Turba infans, regis gladios experta feroces
Aequalem stupefacta tuum miraris acerbis
Tot superesse malis, nec Christi nomine tantum,
Sed veluti Christum mortem sentire cruentam.
Et Simon numquam laus interitura Tridenti,
Idem lacteolus puer, atque ex ubere matris
Raptus ab Isacidis, & ligno erectus in auras,
Transfixus clavisque manus, plantasque pusillas,
Et corpus terebratus acu, te lumine cernit,
CHRISTOPHORE, inmoto, & poenæ gravitate fatetur
Se vinci, quum flagra videt liventia membris,
Ad numerumque vocat, pluresque instare dolores
Sentit, & in furias odia increbrescere gentis
Infantes etiam, Hesperiis quorum alter in oris
Vrbis ad augustæ pomoeria natus & undas,
Quas secum leni deducit flumine Iberus,
Irruit in tumidas recutiti seminis iras,
Christiparæ dulces caneret quæ Virginis hymnos:
Alter apud Treviros simili prope funere mersus
Nomine Wernerus patriæ memorabile pignus,
In te sidereos figunt, o Guardia, vultus,
Vt puerum adspiciant, partes & cuique tributas:
Vtque sit hic iudex, utque ille sit improbus actor,
Hic sceleratus Anas, hic sit quoque testis iniquus,
Ille ferus tortor, quamvis id munus obire
Gratum adeo est cunctis. Iudex capit acre flagellum
Oblitus decorisque sui, legumque sacrarum,
Testis sputa iacit, pugno ferit ipse sacerdos,
Personasque fori, confusaque munera cernas.
Ceu tragico in luctu Pyladem qui nuper agebat,
Belligerumque ducem, aut vastantem regna tyrannum,
Nunc satyrum lascivus agit, tremulamque Cybelem:
Sic illi partes mutant, sed mente furenti

Con-

Conspirant, animisque petunt concordibus omnes
Extremas puerum ad poenas, & funus acerbum.
Mirantur non voce queri, non hiscere labris,
Nec flecti ad gemitus validis potuisse lacertis.
Ipsi & carnifices lenti segnesque videntur
Esse sibi, fletus quod non exculpere possent
Tam parvo in puero. Stabat velut aspera cautes,
Quam Boreas flatu, aut canis ferit unda procellis.
Res miranda quidem, veterique incognita sæclo,
Monstra licet passim referat veneranda vetustas.
Ore tacet, cohibetque alto sub corde dolorem,
Dum flagra, quæ ferret, tumidis exstantia membris
Aequarent numero, quæ sunt incussa magistro.
Pluribus at postquam creverunt verbera nodis,
Extemplo incrementa puer superaddita sensit,
Conquestus lacrymis nimium sævire tyrannos,
Qui quum plorantem audirent tactumque dolore,
Vicimus, exclamant, fas est iam dicere Pæan,
Vicimus, ingemuit multo qui pisce replebat
Retia, qui poterat supra conscendere solem,
Et terris æquare polos, qui monte sub alto
Annona tenui plebis tot millia pavit.
En qui sæpe oculis usum Titanis ademti
Restituit, teretes volvit per lumina guttas,
Qui rex noster erat, servo nunc vilior adstat
Contusus loris. Tune es divina propago,
Furcifer, obscænæ proles foedissima matris,
Tu figis leges, & quum vis, ipse refigis?
Talia sacrilega vibrabat toxica lingua
Progenies invisa astris, infestaque Christo,
Et sese ad poenas stimulabat sæva recentes,
Maiorum quærens irritamenta malorum:
Nam flagra lassatæ iam sunt fastidia dextræ.
Ergo brevem flexu capiti posuere coronam.
Spina nocens hæret cerebro, magnumque dolorem

Per venas introrsum adigit, rigat aurea sanguis
Lumina, purpureasque genas & eburnea colla.
Neve vacet poena pars corporis ulla, tenaces
Subiiciunt pedibus sentes, scapulasque flagelis
Concisas refricat morsu paliurus acuto.
O præceps furor, o rabidi inclementia cordis,
Ne propera, nox multa manet, lentoque Triones
Ducunt plaustra gradu: cessent tormenta sequestra
Intermissa mora, dum sese colligit infans
Ad pugnam, viresque novas animumque resumit.
Ne mala continuo subeat tam grandia ductu,
Plus cruciant suspensa diu. Vix tempora duri
Confixere rubi, quum protinus incutit ictus
Solis inarescens radiis, nodosaque arundo.
Sputa volant, & frontis honos ac gratia vultus
Humoris foetore latet. Rex maxime regum,
Fatur, ave, tibi terra patens, tibi subditur æquor,
Et nos ecce tuis proni damus oscula plantis.
Quam pulchrum diadema caput venerabile cingit?
Pro gemmis tribuli, pro sceptro est canna palustris,
Murice pro Tyrio suffusus sanguine livor
Membra tegit: nos turba sumus, quæ claudit utrumque
Ense latus. Salve, o mundi clarissime rector,
Salve, & digna tuis iam suscipe præmia factis.
His illi atque aliis iaciunt convicia verbis.
Tum præses sacri testatus numina cæli
Lavit utramque manum tanto se crimine solvens,
Ac demum ligno figendum tradidit alto
Insontem furiæ cedens, precibusque luporum
Clamantum, duramque crucem clavosque petentum.
Tu mihi nunc, Deus, ora move, mihi coepta secunda
Adlabens, viresque novas in carmina funde.
Numquam alias humeros sensi sub pondere tanto
Succubuisse meos, nec se locus obtulit umquam,
Quo magis optarim divini numinis auram,

Vt

Vt portum ex alto adspiciens vada tuta tenerem.
Narrandum subit ecce nefas, quo grandius ullum
Numquam posteritas cernet, nec sæcla priorum
Viderunt quondam, quamvis habuere Nerones,
Marmaricasque feras, aliena & voce gementes
Aeris opus tauros. Nihil hæc, aut parva fuerunt,
Si scelera & cædem, cruciatus, vulnera, casus
Speluncæ immanis reputes, & nocte sub una
Annales rerum tacitus cum mente revolvas.
Crux gravis infanti gestanda imponitur, ille
Sponte subit se maius onus, perque aspera fertur
Culmina saxosæ rupis deductus ab antro,
Vt plus nitendo tanta sub mole laboret.
Pondere depressus vestigia lubrica figit,
Sæpe etiam titubante gradu per lævia tendens
Labitur: at lignum flexis tenet usque lacertis,
Oscula dat ligno, cum ligno tollitur una,
Vt pedibus loca senta premat. Quatit halitus artus
Crebrior, & salsis sudor fluit undique rivis.
Quid iam compressos digitis puerilibus angues
Fama canat, vatesque ferant super astra labores
Herculis invicti, partosque ex Dite triumphos?
Monstra licet domuit rictu metuenda trifauci,
Sustinuitque humeris immensa volumina cæli,
CHRISTOPHORI fortasse crucem tolerare nequiret,
Cuius vivifico præcordia compluit imbre
Ipse Deus sese insinuans, viresque potentes
Sufficit, heroas magnos ut robore vincat.
Dumque evincit iter durum, dum transit anhelans
Saxa effusa solo, sublimi ex æthere cernit
Aerumnas pueri ingentes oblita laboris
Cynthia clara sui, cæloque immobilis hæret
Attonitæ similis; noctemque Aurora morari
Plus solito queritur lecto iam fessa senili,
Et per furta novum fieri putat inscia rerum

Am-

Amphitrioniaden, Phoebumque impendere lucem.
Postquam in speluncam venerandi simia Christi
Devenit, lignum ex humeris deponit, & illi
Veste tegunt longa prærupti montis hiatum,
Ne vox, aut liquidas prodiret lumen in auras
Indicium sceleris. Vacuo crux sternitur antro,
Malleus elicitur, resonant ad vulnera clavi,
Lataque pelvis adest, & corda novacula quærens.
Iudæis rabidi gliscit violentia cordis,
Ne forte extremo scæne feralis in actu
Corruerent. Chlamydem exuitur venerabilis infans,
Non vultu velut ante rosas, non aurea vincens
Astra comis, totus sed iam mutatus ab illo,
Qui forma ardentes animis spirabat amores.
Ora fluunt tabo, cruor & suffussus ocellis
Aufert omne decus, pauci stant ordine dentes,
Labra tument, lacerosque caput de vertice crines
Spargit, & obliquis livescunt membra flagellis.
Non qui purpureos exacto vere racemos
Calcat, & expressos fundit per prela liquores,
Squallet tot corpus maculis, & fæcibus unctus,
Sanguineas quot habet guttas, & vulnera toto
Corpore deformis puer, & vix cognitus ipsi,
Qui rapuit stantem sacri sub limine templi.
Sed pulchro licet ore sibi coniungere mentes
Non valeat, pietate tamen vel saxa moveret,
Ni tam crudeles esset delapsus in hostes.
Non sunt flagra satis, nec tot convicia linguæ,
Nec pugnis violasse genas, faciemque venustam,
Aut læsisse rubis dignissima tempora lauro;
Ecce cruci scapulas infans plantasque manusque
Admovet, haud totum dimensus corpore lignum.
Hæreat ut pendens clavis transfigitur imis,
Horrisonosque cadens excercet malleus ictus,
Perque trabis latæ nodos transmittit acuti

Du-

Duritiam ferri. Chordis puer ipse canoris
Tensior erigitur, nec crux, cui fixus inhæret,
Infoditur tellure, suo se pondere firmat
Speluncæ dorso incumbens. Gens improba ludit
De more, & curvant ut foeda ciconia collum.
Si Deus est, descendat, ait, sibi consulat ipse,
Corpora qui clausis dudum mandata sepulcris
Ad puras iterum revocabat luminis auras.
Hæc illi, atque etiam mordax in pocula vinum
Admovisse ori fama est, ne forsan inausum
Quid sinerent, Christi funus quod triste referret.
 Messuras, nondum cuius deferbuit ira
Tot saturata malis, aliquid nunc addere tentat
Marte suo inventum, ne per vestigia patrum
Curreret, & notas inglorius iret in artes.
Abscindit cultro tenues per brachia venas
Fixa cruci, pelvisque capit sitibunda cruorem,
Aspera ne fluxu macularet saxa rubenti
Fusus humi, factique foret damnabilis index.
Exhausto prope iam pueri de corpore sanguis
Fluxerat, & raris manabant vulnera guttis,
Venarum quum sector atrox (seu pectoris æstu
Nubilus, obfususque oculos caligine noctis,
Sive volente Deo, dextram qui duxit iniquam,
Vt faceret vulnus, Christo quod cuspide miles
Fecerat eliciens puro cum sanguine lympham)
Percussit dextrum ferro latus, intima quærens
Corda manu, & digitis vellens spiramina vitæ.
Tum puer: Hac quid quæris, ait, sævissime tortor?
Si cordis latebras nostri rimaris, aberras;
Ad lævum te verte latus, nec plura loquutus.
Ille opus inceptat rursus, cultroque mamillam
Percutit oppositam, magnique foraminis instar
Rimam aperit, diram qua condat in ilia dextram.
Molle iecur, fibras occultaque viscera tactu

Læ-

Lædit, in optati donec penetralia cordis
Incidit. Hoc postquam digitis atque unguibus atris
Attigit, actutum vitali e sede revulsit,
Exoptans oculis tantum iam cernere pignus,
Per varios casus, per tot discrimina partum.
Pendet onus lugubre puer, sine sanguine corpus;
Vertice demisso veluti flos natus in agris,
Cui decus & formam vomer crudelis ademit.
Sicne, infans divine, rigent tibi frigore membra?
Sic palles ut cera recens? sic lividus ore
Ostendis convulsa suis præcordia claustris?
O sitis humani numquam satiata cruoris?
O vis, o feritas imis innata medullis?
Corporis abstrusos tangis, Messura, recessus,
Crudelisque tepet manus intra viscera vastans
Naturæ vigilantis opus, mirumque laborem,
Nec tua tam blando mollescit dextera tactu.
Misit ubi digitum lateris per vulnus aperti
Discipulus dubitans, clavorumque attigit ictus,
Continuo senssit liquefactum pectus amore,
Expulit & mentis tenebras, lumenque recepit.
Tu vero truculenta lues, furialis Erynnis,
Fæx hominum, gentisque malæ deterrima proles,
Contrectans pueri fibras & mollia corda,
Durior efficeris, sævoque Lycaone peior.
Turres & magnos feriunt cita fulmina montes,
Ventus in obiectas frangit sua sibila quercus,
Et maris unda procax scopulis illisa resultat.
Languescit virtus, nec quo se prodat, habebit,
Si nihil obstiterit. Nulla est victoria belli,
Si sudore vacet, si det qui vincitur, hosti
Vltro ad vincla manus, Martemque capessat inermis.
Is sacrata Iovi scandat Capitolia curru,
Qui valido instructas domuit tirone phalanges,
Vique viam fecit conferta per agmina pugnans.

Vs-

Vsque adeo oppositas pulchrum est evincere moles.
Qui tamen imbellem puerum vix ora moventem
Verbera tot diramque necem tolerare coegit,
Quod decus, aut quanta peperit sibi laude triumphum?
Crudeles Decii, crudelia monstra Nerones
Non nisi maiores quærebant undique prædas,
Pontifices ætate graves, linguaque disertos
Præcones fidei, & iuvenes splendentibus armis
Conspicuos, animisque duces in bella ruentes.
Hos variis vexare modis, religare catenis,
Attenuare fame, vastumque immittere in æquor
Ducebant pulchrum: namque apta laboribus ætas,
Et mentis vis acris erat, sensusque vigebat.
Spernebant pueros, culices velut Indica parvos
Bellua contemnit, nec dignos esse putabant,
In quos evomerent iras, poenasque virorum.
Cæsarei quoque iura fori puerilibus annis
Prospiciunt, quibus error abest & prava voluntas.
Nec non sæpe feræ (si vera est fama) puellos
Expositos auris dudum, cæloque patenti
Naturæ immemores fidis aluere papillis.
Capra Iovi lac dulce dedit, quum fulmina nondum
Posset habere manu, nec ferre sub alite fraudem.
Et lupa nutrivit vagitibus excita fratres
Marte satos, genus unde tibi, Romane, superbum.
Effera bruta fame, regum decreta, tyranni
Aetati parcunt fragili, vitamque tuentur
Criminis expertem, subeat ne funus acerbum,
Neve det immeritas, nequeat quum lædere, poenas:
Et tamen hi, quibus antra placent, gens sæva piique
Sanguinis hostis atrox ausa est contemnere leges,
Et puerum mactare sacrum, quo maius ab alto
Aethere nil umquam vidit crinitus Apollo,
Sed neque posteritas sæclis revoluta videbit.
Debuit esse satis probris onerasse, malisque

Innumeris, dum ſenſus erat, dum vita manebat.
Nil iam debentem ſuperis, & lumine caſſum
Vexant Iſacidæ duri, atque ab ſtipite tractum
Conculcant pedibus, perque antrum ignobile raptant.
Mandandumne foret telluri exſangue cadaver,
An magis incultos ſpargendum in fruſta per agros,
Vt fratrem perhibent quondam laniaſſe Medeam,
Ambigitur. Corvis pars cenſet edacibus illud
Tradendum: pars Chriſtiadum vult ponere menſis
Pro miſſu, & lauto genialis munere coenæ.
Pluribus illa tamen potior ſententia viſa eſt,
Admiſſum ſepelire ſolo cum corpore crimen:
Vt puer egregius, qui Chriſtum mole laborum
Expreſſit moriens, tumulatus & ipſe referret.
Eſt locus haud longe ſpeluncæ a faucibus atris
Valle cava diſtans, ubi primum Guardia dives
Fundamenta ſuis fertur poſuiſſe colonis.
Mutato nunc illa loco ſe nubibus æquat.
Antiquæ remanent urbis veſtigia nullis
Imbribus, aut ævi morſu deleta ruentis.
In primis exſtat ſacrum tibi, Virgo, ſacellum,
Virgo Dei genitrix, mundi tutela labantis,
Relligione frequens, donis precibuſque piorum.
Hoc prope deſpectus terra puer abditur ima,
Magnanimus puer ille, canet quem fama ſuperſtes,
Cuius & indictis adſcribet nomina faſtis.

HIE-

HIERONYMI RAMIRI
DE RAPTV INNOCENTIS
MARTYRIS GVARDIENSIS
LIBER IV.

QVam gravis arbor erat, rigidisque asperrima nodis
Quæ tenuit Christi tam duro stipite membra?
Florigera non fronde virens, sed spreta tot annos,
Atque æstus cælique imbres perpessa cadentes
Aruerat divulsa solo: postquam illa cruore
Tincta Dei maduit corpus complexa sacratum,
Floruit, & Stygias radices egit in oras,
Astraque, & occlusum reseravit vertice cælum,
Complectens ramis, & inumbrans frondibus orbem.
Salve, teque genu supplex & thure Sabæo
Infidus veneretur Arabs, & ad oscula pronos
Submittat vultus, meritosque indicat honores,
Crux o sancta Dei, silvæ decus. En pavet ingens
Cerberus, & vanum premit ad tua nomina murmur,
Et trepidi toto litant Acheronte Cerastæ.
Illa olim æthereo Paradisi consita in horto
Arbor opaca ferax, quæ dulci tempora gustu
Inconsumta dabat, vitamque, annosque perennes,
Signabat virtute crucem, quæ contulit orbi,
Morte triumphata, mortis contemnere vires.
Iure igitur, crux alma, pio tibi fumat odore
Ignis, & excelso te magni in vertice reges
Sublimem gestare solent, auroque nitentem.
Dat pulchras tibi terra rosas, tibi concinit æther
Eximias laudes, vates tibi carmina fundunt,

Quando Dei crudo tenuisti brachia ligno,
Transfixosque pedes ferro, & liventia membra.
Ipse quoque infirmis te sum veneratus ab annis,
Et mea victrici munivi pectora signo,
Ne ruerent labefacta malis aut dæmonis astu.
Parcito tam iusto, lector studiose, labori,
Sic nunc Musa canit sacri vexilla triumphi,
Et vulgata crucis tentat miracla referre,
Qua Deus omnipotens, & qua puer ille pependit,
Cuius in adflictis experta est Guardia rebus
Semper opem facilem, præsensque ex æthere numen.
Ergo ades, & nostris placidus nunc adnue coeptis.
Spirabat tumidas animo Maxentius iras,
Danubiique amplas compleverat agmine ripas,
Adfectans terras ac æthera more gigantum.
Mille acies ductabat ovans currusque superbos,
Et vix armatas capiebant rura phalanges.
Vicini circum populi, totusque tremebat
Orbis, & immani curvabat sceptra tyranno.
Constantinus opes tanti dum pensitat hostis,
Seque videns equitum turmis ad bella minorem,
Nec tam præstantes sub signis ferre cohortes,
Mæstus erat, curaque animum perculsus edaci,
Non poterat dulci committere lumina somno,
Cernere nec vultu cæli convexa sereno.
Volvebat tacitus secum, quibus artibus hostem
Luderet; aut sævæ posset se opponere pugnæ.
Deplorata quidem cernebat cuncta, nec ullum
Suppetere auxilium, quo regna cadentia firmet,
Ni Deus ipse polo tribuat miseratus ab alto.
Evictus tandem curis, pressusque sopore,
Non plumis lecto exstructo regalia membra
Committit, nec fulcra premit substrata tapetis:
Sed solio innitens somnum vix tradit ocellis.
Alta regebat equos iam luna, atque ultimus ignis

In cineres resolutus erat, gallique priores
Ediderant cantus, thalamoque Aurora cubabat:
Quum subito igniferis descendens nuntius astris
Adloquitur regem. Vanum depone timorem;
Suspice & in cælum placido, dux inclite, vultu.
Ille graves oculos cælo defigit in alto,
Invictæque crucis cernit mirabile signum,
Cui circum titulus nitido fulgebat in auro:
Victor in hoc signo referes ex hoste triumphos.
Confestim Princeps detergit pollice somnum,
Seque levat, magnisque replet clamoribus aulam
Arma petens, clypeumque sibi fulgore micantem,
Poscit equum, iam iamque cupit dare fræna volanti
Per medias acies, hostemque invadere ferro.
  Ast ubi Phoebea lustrata est lampade tellus,
Fugeruntque atræ discusa umbracula noctis.
Decrevit campo se Constantinus aperto
Fundere, & ad pugnam sensim prodire cruentam.
Prævia signa gerit sacro circumlita signo,
Quod clausis oculis vidit sub nocte silenti.
Buccina rauca sonat, Martemque accendit ad arma.
Hinc turmas ferus ille suas Maxentius urget
Ad belli feralis opus, stimulatque fremendo.
Illinc oppositæ procedunt ordine gentes
Portantes fidei vexilla salubria nostræ.
Fit cædes utrimque, quatit cælum undique clamor.
Corpora multa cadunt, & inundat sanguine tellus.
Iam trepidat pedibusque labat Maxentius ægris,
Corripiente metu: crucis impenetrabile robur
Tunc primum sensit, quum vinci posse negabat.
Ergo quum dæmon ligni simulacra verendi
Adspiceret iam thure coli votisque piorum,
Eius ut effigiem penitus deleret in orbe,
Iudæis dedit hanc mentem, ut sub viscera terræ
Ima crucem Christi inſorderent, simul atque latronum.

Gem-

Gemma nitens, mundique salus immersa latebat
Ignota tellure diu, & quo fallere possent
Lumina quærentum, Veneris de marmore factæ
Imposuere super simulacrum ignobile gentes.
Non tulit omnipotens genitor, qui prospicit alto
Cuncta polo, abstrusis terræ latitare sub umbris
Pondera sancta crucis scapulis admota beatis.
Admonet in somnis Helenam, cui tempus utrumque
Cingebat diadema potens, ut præpete cursu
Quæsitura crucem Solymas properaret ad arces.
Illa volat montes transmittens, flumina, valles,
Devenitque locum, quo crux despecta iacebat.
Fossores agitare iubet regina lacertos,
Ac tam præstantem manibus iuvat ipsa laborem.
Nunc versat nitidos turba spectante ligones,
Egerit & terram, cophinisque capacibus effert.
Nunc quoque cessantes opera ad præclara lacessit
Promta manu, validosque cupit superare colonos.
Tres animosa cruces invenit femina tandem,
Altius effossa terra, nec scire valebat
De tribus appensi quæ crux foret inclita Christi.
Quandoquidem titulus trunco divulsus ab ipso
Non poterat plane rem definire latentem.
Macharius præsul divino numine plenus,
Qui Solymas pascebat oves, verboque salubri
Reddebat pingues, dubiis fert lumina rebus.
Nam spectare placet quænam de pluribus arbor
Vna foret, Christi quondam perfusa cruore.
Femina iam pridem morbo cruciata iacebat,
Et desperata plorabat mæsta salute.
Nil huic profuerat medicis Epidaurius herbis,
Vitaque iam tenui pendebat languida filo.
Egregius pastor fuerant quæ ligna latronum,
Admovet ægrotæ, sed fracto in corpore nullam
Sentit opem, pedibusque gravis velut ante vacillat.

At

At postquam Domini tetigit crux alta iacentem,
Redditus est membris vigor, & vis pristina cordi.
Pallor ab ore fugit, macies iam pulsa recedit.
Tunc Helena ut lignum vidit cæleste repertum,
Inflectit genua, & palmas ad sidera tendit,
Grata salutifero defigens oscula trunco.
Inque loco, thesaurus ubi latitaverat ingens,
Erexit regina potens memorabile templum,
Atque aras centum niveas, & lumina centum
Victuris semper posuit lucentia flammis.
Ex illo Cæsar Christi iam sacra professus
Edicto vetuit, ne crux sit poena nocentum.
Lex hæc ad nostros firmissima manserat annos.
Rescidit hanc nemo, cuncti violare timebant:
Impia gens donec tenebroso clausa sub antro
Ausa fuit iustam longo post tempore legem
Solvere, & augustas primum contemnere voces:
Quum te, parve puer, divulsum ex ubere matris
Sustulit in lignum, quod per iuga celsa trahebas.
Hæ tuæ erunt laudes, hæc sint solatia mortis,
Quod purus sceleris poenas pro sonte dedisti.
Dic, o quæ potuit contingere laurea fronti
Pulchrior ulla tuæ, decus aut virtutis adultæ,
Quam fieri similem meruisse per omnia Christo?
Ille insons, tu labe cares. Tulit ille flagella,
Tu quoque das teneros loris crudelibus artus.
Ille cruentatos terebrato in vertice sentes,
Perfossumque latus mucrone ostentat acuto:
Et tibi vulnificam posuit gens dira coronam,
Purus & inciso fluxit de pectore sanguis.
Præbuit immiti liventia brachia ligno
Christus, & infixas sociavit vulnere plantas:
Crux etiam in superas, puer o, te sustulit auras
Hærentem clavis sub iniqui pondere ligni.
Denique calcata Christus de morte triumphat

Si-

Sidereas scandens agili cum corpore sedes:
Et tu sublimi raperis super astra volatu
Corporis exuviis, carnisque indutus amictu.
Sed cur tam gracili tento percurrere versu
Divinæ miracla crucis? mihi ferrea quamvis
Lingua sonet, vocemque ærato e gutture fundat;
Castaliæ quamvis agitent præcordia Musæ,
Mæoniumque melos possim superare canendo,
Illa equidem numquam, quum sint tam multa, referrem.
Tu, lector, dispersa legas, utque optima quondam
Femina silvarum cultrix, parcissima victu,
Grande Paretoniæ decus & laus unica terræ
Hoc signo munita sacro transiverit undas
Sicca pede, & rabidos sopiverit ipsa dracones.
Nec non invenies libris exempla vetustis,
Quæ deceant tetro spumantia vasa veneno
Sumta viro intrepide, qui Pathmi in littore signans
Corda cruce innumeris exemit tuta periclis.
Sese etiam obiiciet populis cantatus Iberis
Paschalis, qui signa manu victricia portans
Agmina per, densasque acies evasit inermis,
Ad Navas quando commissa est pugna Tolosæ.
Sed mihi iam per prata crucis silvasque vaganti
Fontibus irriguas, & multo flore vigentes,
Consueto tandem liceat decurrere campo.
O scelera, o mores, o corda impura nocentum
Dedita nequitiæ, vitiisque accincta nefandis?
Si semel improbitas claustris se effundat apertis
Impunita manens, ausuque exsultet inulto,
Gliscit, & abiectis fertur rationis habenis
Per quodcumque nefas: illam non optima virtus,
Non monita aut lacrymæ possunt inhibere volantem.
Tantum poena solet cives compescere pravos.
Ceu silva in magna late quum maximus ignis
Per ramos frondesque furit, dumosque iacentes
Flam-

Flante Noto, nisi forte manus robusta coloni
Vicinas quercus cædat splendente securi,
In fumum cineremque ruat nemus omne necesse est:
Crimina non aliter successu elata secundo
Lascivire solent, reprimat nisi dextera vindex.
Coniurata cohors victoris more triumphat,
Moliturque novis cumulare piacula culpis:
Quum tantum patrasse nefas impune videret:
En maiora parat: nihil est demergere leto
CHRISTOPHORVM, Christum tentat violare veneno
Impius æditimus, terrisque invisus & astris
Servabat templum, cui primas Guardia fruges
Læta offert, Cereris spicas, Bacchique racemos.
Nullus eum ingressu, divumque arcebat ab aris,
Sive intrare die, seu clauso vellet Olympo:
Quandoquidem poterat commissis clavibus ambas
Templi aperire fores, dentato & iungere ferro.
Isacidæ hunc adeunt, quando prognatus eisdem
Esset avis, coeptis atque opportunus iniquis.
Promittunt illi vestem post terga fluentem
Triginta appensam drachmis, qua in funera nostri
Vtuntur cives pulla ferrugine tecti,
Si furto abstractum corpus venerabile Christi
Traderet occulti miscenda ad vasa veneni.
Conditio placuit. Tum custos ille sacrorum
Pessimus, adlectus vili mercede nigrantes
Exspectat tenebras, atque astra cadentia cælo.
Cuncta tacent, matresque colos vigilemque laborem
Deposuere, gravi perflantes pectore somnum,
Quum sese ad templum scelerato proripit ausu.
Dextra gerit claves, ferro quas abdit in imo,
Impellensque fores sensim de cardine movit.
Ingressus loca nota petit, flammaque maligna
Ductus ad occlusi tendit sacraria Christi,
Contrectàtque manu. Cur non polus intonat ingens,

Et Pater omnipotens iaculatur fulmina dextra?
Cur triplices furias rabidus non evomit Orcus
Vlturas tam grande scelus, fibrisque piandum.
Si, quia declivem tetigisset federis arcam,
Vindicta periit cunctis trepidantibus Oza:
Cur tu, summe Pater, duro qui crimina vultu
Prospicis, & damnas æterno carcere sontes,
Dedecus illatum nato, furtumque nefandum
Perfers, & fracto cælum non corruit axe?
Terra timet, manesque pavent, superique tremiscunt,
Aligerumque chori, fragili quum panis amictu
Velatum adspiciunt Christum, nec tangere quisquam
Audet sacratas aras, ubi rite sacerdos
Pro nobis offert tam puri velleris agnum:
Et iuvenis non mente pavens, non corda timore
Perculsus, spretaque Dei pietate fideque,
Christum, pro facinus! digitis squallentibus audet
Surripere ex adytis, & iniquæ tradere genti.
Ergo sucessu læti, votisque potiti,
Quum coeptis magis atque magis fortuna faveret,
Concipiunt animos, & iam sibi plurima fingunt
Spe vana elati nimium, rebusque secundis.
Vasa fore haud dubie cunctis letalia credunt,
Quæ miscere parant. Iam iam genus omne piorum,
Censores sacros fidei patresque verendos,
Matres atque viros, pueros tenerasque puellas,
Innocuosque greges ovium, pecorumque magistros
Casuros rabidi sperant ardore veneni,
Et sese Hesperias habituros sceptra per oras,
Plurima iam magno designant iugera templo,
Quod referat Salomonis opus, iam victima Phases
Quæritur, & ritus properant renovare sepultos.
Vnus Mesuras crucis infestissimus hostis
Deligitur coetu ex omni, qui sacra beati
Corda ferat pueri magno cum pignore Christi.

Mittitur ad socios qui Zamorana colentes
Moenia legiferi servabant dogmata Mosis
Interdicta piis, ut iniquam disceret artem,
Lurida qua possent aconita parare bibenti.
Sublimi legatus equo per strata viarum
Advehitur, superatque cito fastigia cursu
Cantillans. Illum circumstant agmina divum,
Alituumque acies venerans comitatur euntem,
Quod posita in panno pueri præcordia vili,
Et dominum tenui gereret velamine tectum.
Adriperent hostes Stygii post terga sequentes
Sacrilegum furem, vivumque in tartara ferrent:
Ni superi expellant furias in flagra ruentes.
Sed passu quamvis procedat lenta moroso
Ira Dei, at iusta quum punit crimina poena,
Supplicii gravitate moras compensat, & acrem
Vindictam sumit, ne felix culpa triumphet.
Sicut avem volucri qui vult configere telo
Fronde super viridi, vel celso in culmine tecti,
Quo magis adducit retrahitque ad pectora nervum
Cunctanti dextra, citius volat acta sagitta,
Et ferit incautam graviori vulnere prædam:
Sic Deus omnipotens iram si colligat omnem,
Consuevit delicta manu punire severa.
Mesuras licet ipse sibi supplaudit, & alto
Lætitiæ motu exsultat, iam poena minatur,
Corripiat quæ immane nefas ardente camino.
In mortem ruit ecce suam: nam moenia postquam
Est Abulæ ingressus saxo fundata vetusto,
Frenum demit equo, removentur ephippia costis,
Et palea & multis saturat præsepia granis.
Detrahit e pedibus calcaria, pulvere plena
Excutitur vestis, faciem lavat inde manusque,
Conceptos pellens undis algentibus æstus.
Vtque oculos hominum specie virtutis & umbra

Falleret, approperat Christi genitricis in ædem,
Fundat ut ore preces: quo postquam perfidus intrat,
Lustrali se spargit aqua vestigia flectens,
Eque sinu promit detersum pomice librum,
Obtectum corio lævi, minioque rubentem,
Hostia ubi iucunda Deo compressa latebat.
Se versus simulat vatis recitare canoros,
Psalmographi vatis, cithara qui dulce canebat,
Mussanti sed labra sono, non corda movebat
Marmora & infractum circum gestantia ferrum.
Vir quidam tunc forte aderat, qui pronus ad aras
Aurea supplicibus pulsabat sidera votis
Ora rigans lacrymis, quatiens & pectora palmis.
Sed precibus fusis consueta in tecta revertens
Respicit ecce virum multo splendore micantem:
Nam liber, immotis in quem spectabat ocellis,
Ardentes spargit radios ignemque coruscum,
Ceu lampas Phoebæa vomit, quia Christus in illo est.
Territus hoc monstro totos expalluit artus
Ille pius divum cultor, secumque putabat
Plebeia de fæce hominem, natumque pudenda
Alluvie scelerum, sublimi ex æthere lapsum:
Quod multa obsessum radiorum luce videret.
Oscula fixisset pedibus, sed luminis ardor
Perstringens oculos, & mens correpta timore
Ire vetat propius. Postquam lux alma resedit,
Egreditur templo gentis legatus iniquæ,
Pone subit testis, tacitusque observat euntem,
Exploratque omnes aditus, quo tendere pergat,
Atque ubi iam tandem sero se vespere condat.
Postquam hospes notas pervenit lætus in ædes,
Indigena ad patres vitæ morumque magistros,
Qui rebus fidei præsunt, miracula defert
Visa sibi, ac tali coram sermone profatur:
Egregii proceres, rarum decus urbis & orbis,

Per

Per quos alma fides animis immota piorum
Floret, & evictis ecclesia sancta procellis:
Vos precor huc hilari mentes convertite vultu,
Iudicioque gravi, trutinæque examine recto
Pensate, o patres, rari miracula casus:
Quandoquidem vestrum est falso discernere verum,
Et certa obscuris proferre oracula rebus.
Fundebam de more preces, veniamque malorum
Poscebam lacrymans niveas ad Virginis aras,
Quæ peperit sine labe Deum: quum pergere vellem,
Votaque fecissem superis, superumque parenti,
Adspicio quemdam seu cæli e civibus unum,
Seu magicas vafro gestantem in pectore fraudes:
In dubio res est, id vos expendite, patres,
Qui genibus flexis venerans altaria divum
In vocem vix labra movet, librumque tenebat,
Quem tactu innocuo circum, mirabile dictu!
Lambit flamma micans, ut quondam fertur in agro
Exarsisse rubus magno haud violatus ab igne.
Si studia & mores hominis, si discere vitam
Vultis, & unde satus, quid nostris captet in oris,
Quove petat; sit latro ferox, an perfidus hostis,
Vel potius superis gratus sine crimine vivat,
Ostendam vobis tectis quibus ille quiescit.
Dixerat. Eximius procerum sapiensque senatus
Decrevit sacrum ducatur ut ante tribunal
Hospes dicturus causam. Clam mittitur illuc,
Qui trahat incautum tenebrosa in vincula furem.
Ille cibis ventrem lautis atque ora replebat,
Dulciaque annosi libabat pocula Bacchi,
Quum motæ crepuere fores. Color excidit ore,
Lingua hæret, titubantque pedes, stupefacta tremiscunt
Ossa gelu: ut primum lictor penetravit in ædes.
Quæ gazæ, quæ sceptra ducum, quæ purpura regum,
Aut quæ delitiæ, quæ luxu effusa voluptas

Gra-

Gratior esse potest, quam præstantissima virtus,
Aut mentis secura quies? Qui criminis expers
Vivit, nec pallet culpa sibi conscius ulla,
Non ventos imbresque timet, non fulminis iras
Horrescit, licet astra cadant, legesque minentur,
Ponit corde metus, & in aurem dormit utramque.
At qui nequitia, scelerumque libidine plenus
Transigit infelix ævum, terretur inani
Murmure, seque pavet, dulci nec lumina somno
Declinat, nusquamque potest sibi vivere tuto,
Quamvis lustra colat, vastis & montibus erret.
Quam melius, si mente deum, si dogmata patrum
Amplectens, Mosis non deflexisset ad umbras
Proditor hic Christi manifesto proditus igne?
En trahitur, diroque latens sub pectore crimen
Præ se fert vultu, cæloque abstractus aperto
Consuetas non ore dapes, non pocula tangit,
Sed saxo similis tacet atque immobilis hæret.
Ceu quum per frondes nemorum, ramosque virentes
Advolitat philomela loquax, si callidus auceps
Deceptam tenui iunco vel vimine condat,
Moesta silet, nec libat aquam, nec vescitur esca:
Sic ille obscuri mandatus carceris umbris
Tristitia languet: moerenti prata recursant
Amissa, & patrios lacrymans reminiscitur agros.
Sistitur ante patres fidei iurisque columnas,
Atque unus, cui longa ætas & plurima virtus
Iudicii partes concessit habere priores,
Voce reum adloquitur: Quo cursum dirigis, hospes?
Quod genus? aut quæ causa viæ? Tene appulit isthuc
Error? consilione venis animoque volente?
Fare age, quis circum nitido te lumine sepsit.
Ille oculis humili paullum tellure moratis
Sustulit ad cælum palmas: Te, numen Olympi,
Testor, ait, te, Virgo parens, vos sidera testor,
Et

Et te, qui claro lustras, sol, omnia vultu,
Me nulli nocuisse umquam, nec crimine tantum
Demeruisse malum. Non quovis transfuga vento
Deserui vexilla ducis, non sæva bibenti
Vasa propinavi, Petri neque liquimus aras.
Sum pius, antiquo gentis sum sanguine cretus,
Quæ pinguem attrito suspendit vomere terram,
Nunc ubi se valido circumdat Guardia muro,
Guardia dives opum, glebarumque ubere felix,
Plena mero dulci, ramisque virentis olivæ.
Zamoræ tecta alta peto visurus amicos.
Non igne armamus dextra, non urimus agros,
Ardentesve faces hominum iaculamur in ædes.
Ergo si cura est recti mortalibus usquam,
Si veri studium viget, & sine crimine vitam
Transegisse iuvat, me nunc absolvite, patres,
Et liceat tandem coeptos persolvere cursus.
At iudex blandæ suetus non credere fronti
Tortorem accersit. Strictis venit ille lacertis,
Ore ferox, funesque gerit resonasque catenas,
Et manicas, & vincla pedes nexura fugaces.
Ligneus hic substratur equus, qui membra negantum
Funiceo nexu constrictisque orbibus urget.
Illic stant plenæ lymphis manantibus urnæ,
Humida quæ tenues rapiant per guttura vittas,
Tormenti genus. Vt poenas ante ora cruentas
Mesuras instare videt, formidine torpent
Membra gravi, tædetque viæ, tædetque veneni.
Sed tunc maiori coepit trepidare tumultu,
Demere quum voluit tortor de corpore vestem,
Nudatos dolor ut premeret vehementior artus.
Iam muta in claras erumpunt pectora voces,
Iam crimen vulgare placet cogente timore.
Ergo sic loquitur toto mirante senatu.
Quum nihil hic prosit falsos componere vultus,
Nec

Nec lacrymis simulare scelus, quum fallere nemo
Vos valeat, patres, vincat licet arte Sinonem,
Quandoquidem Deus est, qui vobis abdita pandit,
Audite, æthereas dum singula ferre sub auras
Conor, & occulti miracula prodere facti.
Ipse ego nutricis fateor cum lacte vetustos
Exsuxi ritus Mosis, vestigia patrum
Iam damnata sequens: mihi plus Synagoga placebat,
Inflatas quam cymba Petri iactata per undas.
Sunt multi sectæ socii, sunt pulpita, classes,
Et loca sunt nobis coetu celebrata frequenti,
In quibus antiquæ profitemur dogmata legis
Ad muros, liquidis quos Guardia nubibus æquat.
Christicolas, Christumque ipsum, cælique Quirites
Despuimus cuncti, atque odio exsecramur acerbo.
Nil animo mentique subit noctuque diuque,
Quam rutilas per rura faces, per templa domosque
Mittere Christiadum, cunctosque absumere ferro.
Rumor erat gentes inter dispersus Hebræas
Nuper apud Rhodanum nostro de littore pulsos
Iudæos latices atro vitiasse veneno.
Nos quoque currentes fluvios fontesque perennes
Reddere letales volumus sitientibus æstu.
Sed derant nobis lactentis corda puelli,
Derat item sacri venerabilis hostia Christi,
Quo dare possemus dispersum virus in undas.
Vnus de nostris, querulo cui iungere plaustro
Moris erat validos domita cervice iuvencos,
Promittit puerum, tribuat qui corda veneno.
Ille vehens merces insignem fertur ad urbem,
Quam Tagus auriferas eructans gurgite arenas
Adluit, & circum sinuosis flexibus ambit.
Dumque oculis densasque vias & compita lustrat,
Quæreret ut prædam, sacram devenit in ædem,
Quam pedibus quondam fertur tetigisse beatis

Vir-

Virgo parens adlapsa polo. Cava limina templi
Circumstant miserique senes ægrique gementes;
Quique oculis nequeunt rerum spectare colores,
Communi nec luce frui, pia carmina cantant,
Et stipis auxilio vitam transmittere discunt.
Femina consuetis recitabat vocibus hymnos,
Capta oculis, ieiuna fame, vilissima cultu,
Cui puer ore ruber fusis per colla capillis
Dux erat, adspectu superis gratissimus ipsis,
Sola quies matris, miseræ spes sola senectæ.
Hunc colludentem nucibus, vel moenibus arces
Fingentem luteas, vel terram forte cavantem
Fur blande adloquitur, parvisque ad retia donis
Adlicit. Ille mali sequitur vestigia furis,
Et plaustro impositus largo rigat aurea fletu
Ora, Toletanam numquam rediturus in urbem.
Attulit has merces nobis auriga triumphans,
Quas Arabes numquam, nec fortunata Canopus
Navibus imposuit, nec vidit decolor Indus.
Servamus puerum, patimur nec abire licenter,
Quo vellet, datus est custos qui traxerat illum.
Cynthia iam pleno replerat cornua vultu,
Quum gens nostra solet tempus celebrare quotannis,
Quo maris horrisoni sicco pede transiit undas.
Victima iam nobis de more litanda paratur,
Proque agno captum volumus mactare puellum.
Ex duro temone crucem, tristemque coronam,
Tempora quæ premeret, tribulis conflamus acutis.
Sunt clavi cultrique truces, qui pectora cædant,
Nec desunt strictis horrentia verbera nodis.
Progredimur cuncti per amica silentia noctis,
Ducimus & puerum gestantem vincula collo.
Non procul a patriis rupes altissima muris
Distat, quæ vallem late prospectat amoenam.
Adscensu acclivi surgit, cæloque propinquat,

Planitiem feſſis præbens in vertice ſummo.
Hic ſpelunca vetus nigro ſe pandit hiatu,
Incertum manibusne hominum ſit facta, potentis
Naturæ an genio, denſa fuligine ſordet:
Namque huc agricolæ noctis ſe tempore condunt,
Vel quando imbriferas Auſter quatit humidus alas.
Pondere crudeli puerilia membra gravamus,
Impoſitamque crucem portat mitiſſimus infans.
Oppreſſus ſed mole labat, totosque per artus
It ſudor, dum rumpit iter, dum ſaxa laborat
Nitenti ſuperare gradu. Quum venit in antrum,
Veſtibus exuimus; flagriſque & vulnere multo
Cædimus. Immiti corpus livore tumeſcit,
Humectatque pio reſperſam ſanguine terram.
Præterea vinctum probris oneramus acerbis,
Incutimus capiti reſonos & arundinis ictus.
Non his ſuppliciis rabies ſaturata quievit,
Namque aliud, quod tentet, habet: ſæviſſima duris
Plectitur e tribulis frontem læſura corona
Arcta nimis, cerebroque hæret peracuta cruento.
Inde crucem puer immanem, quam traxerat ipſe,
Corpore inæquali ſtratus metitur & ulnis.
Pendebat, claviquе manus plantaſque tenebant,
Nec dum deſeruit moribundos ſpiritus artus
Quidam viſceribus cor ut divelleret imis,
Seu noctis tenebris cæcus, mentiſve furore,
Invaſit dextrum cultro latus. Optimus infans,
Si cor quæris, ait, non hic, ſed parte ſiniſtra
Palpitat, ad lævam dirum converte mucronem.
Tunc ille audaci reſerat præcordia ferro,
Et tenerum gemino diſrupit vulnere pectus,
Quumque ſuis evulſa fibris corda impius hauſit,
Quæ mihi ſunt commiſſa, patres, quæ perfero mecum.
Tandem quum gelida clauſiſſet lumina morte
Iam puer, inflectens pronos ad pectora vultus,

Per

Per declive iugum trahimus, deforme cadaver,
Per lapides rigidosque rubos ad Virginis ædem,
Quam pia turba colit, nec longe diſtat ab antro,
Nos ubi tale ſcelus cædemque patravimus illam.
Sed non Virgineo frigentia membra ſacello
Condidimus; tumulata iacent ſine honore ſepulcri,
Terra adſperſa gravi, ſpretoque infoſſa ſub agro.
Reſtat ut alterius facti nunc perſequar auſum:
Expediam paucis, animis advertite, patres.
Nos pretio haud magno iuvenem tentamus avarum,
Cui fuerat patrii cuſtodia credita templi,
Vt Chriſti corpus, quod conficit ore ſacerdos,
Traderet ad fraudes & inevitabile virus.
Connivet precibus, pretioque adducitur ille
Egregius templi cuſtos, panemque ſacratum
Vendidit: hunc etiam compreſſum codice geſto.
Iam peccaſſe piget, veniam date, quæſo, fatenti.
Aut ſi iam duro ſontes clementia vultu
Reſpuit, & pietas humana haud pectora tangit,
Me damnate, patres, me vivum abſumite flammis,
Quandoquidem merui, & fas eſt me ſolvere poenas.
Sic fatus triſti finem dedit ore loquendi.
At proceres tanto ſtupefacti crimine vultus
Deiecere graves, hærent in pectore voces
Inſolitæ novitate rei, veroque putabant
Iam prope abeſſe fidem, quod nullum credere poſſent
Tam pravum, plenumque odiis ac mente carentem.
At iudex ætate prior ſic denique moeſto
Adfatur ſermone reum: Da corda puelli
Quæ geris occiſi, ſacri da pignora Chriſti.
Tunc ille immittit digitos in clauſtra crumenæ,
Quam zonæ hærentem veteri de more ferebat,
Vnde rudem profert ullo ſine pondere pannum.
Quem poſtquam explicuit, nuſquam præcordia cernit:
Sed tantum oſtendit puro lita ſigna cruore.

Exclamat non rapta dolo, non esse relicta,
Nec cecidisse sibi, corio quum clausa laterent,
Numine sed divum loculis exemta crumenæ
Servari meliori loco. De codice puri
Sacramenta cibi coram proferre iubetur.
Quæ postquam licet exiguo sub tegmine patres
Conspexere, ruunt faciem multo imbre rigantes:
Quum dominum vitæ, divumque hominumque parentem
Illotis manibus tangi, & sine honore viderent.
Illum circumstant auro nitidisque lapillis,
Accenduntque faces, & digna in sede reponunt.
Huius adhuc facti monimenta perennia durant,
Quæ nec flamma vorax poterit, nec longa vetustas
Delere, aut nigras Lethe celare sub undis.

HIERONYMI RAMIRI
DE RAPTV INNOCENTIS
MARTYRIS GVARDIENSIS
LIBER V.

POstera luce dies tenebras ex orbe fugarat,
Et rorem viridi sol matutinus ad herba
Depulerat: iam rura sonant, iam curvus arator
Alternas nitido proscindit dente novales:
Sollicita quum mente patres de more coacti
Concilium insomnes magnis de rebus habebant.
Cura subest animo sontes religare catenis,
Vlciscique fidem. Cæco latet abditus antro
Hospes atrox, umbrasque manu contrectat, & hæret
Moestus humi, ingenti constrictus pondere ferri.
Mittuntur qui digna trahant in vincula sævos
Carnifices pueri, quorum iam nomina, mores,
Et tecta, atque habitus scirent, certosque recessus.
Illi plaudebant crudeli cæde peracta
Securi rerum, meritas pro crimine poenas
Evasisse putant, & iam felicibus urbem
Ingressum auspiciis socium, mixtoque veneno,
Per notas remeare vias: reducique triumphos,
Lautitiasque parant, & opimæ fercula mensæ.
Exsultant, nec ea contenti cæde, quotannis
Disquirunt alias: fervent præcordia motu
Terrifico, spirantque minas, & virus anhelant.
Non sic ursa lupum, non sic lupus ipse capellam
Appetit ad morsus, vacuique ad prandia ventris,
Vt gens illa cupit ritus abolere piorum,

Fun-

Funditus & Christum totum delere per orbem.
Iræ in corde latent, sed quum datur ulla facultas,
Erumpunt, odioque animus se promit acerbo.
Qualiter inclusus pulvis tellure sub ima
Ex nitro factus, magnas ut diruat urbes,
Quum nequeat prodire foras, obstructaque tentet
Spiramenta luto, furit atque exæstuat intus,
Et sese æthereas profert furibundus in auras.
Sic cohibere solet truculenti pectoris æstus
Progenies recutita metu, dum claustra pudoris
Effringat, rabiemque animi vomat ore cruento.
Lictores patrum iam per divortia nota
Carpentanorum superatis montibus altis
Attigerant vallesque cavas, collesque supinos,
Guardia pulchra, tuos, iam sese in tecta ferebant
Diversa regione viæ, ne multa ruentum
Turma equitum parvam simul ingrederetur in urbem,
Et strepitu sontes, quibus est mens conscia pravi,
Forte fugam adriperent, taciti se in mœnia condunt,
Quum iam defessi repetunt præsepia tauri,
Et redit agricola, & terram perstringit aratro
Illuxit veneranda dies, qua rector Olympi
Prosiluit tumulo superas redivivus in auras.
Hanc choreis lucem, ramisque virentis olivæ
Christicolæ de more colunt, & templa frequentant,
Permittuntque boves plaustro per rura solutos
Errare, & dulces discerpere graminis herbas.
Ergo pastores cruda vestigia pelle
Induti, agricolæque comis per tempora fusis,
Et pueri tremulique senes, comtæque puellæ
Templum adeunt, cumulantque piis altaria donis.
Gens quoque, quæ puerum miseranda morte peremit,
Devovitque neci, sacram festinat in ædem
Composita ad laudes & vulgi ignobilis auras
Captandas, fluxumque decus vanumque favorem.

In-

Insertos filo resonis quatit ictibus orbes
Plebs, quibus effusas ad puræ Virginis aras
Consuescit numerare preces. Si forte videres
Incessum vultusque hominum pallore notatos:
Si verba ex imo non erumpentia corde
Audisses, tantumque sono resonantia Christum,
Iurares illos cælestem degere vitam
Criminis expertes prorsus, sortisque caducæ.
Qui non virtutis solidæ radicibus hæret,
Sed vulgi adspectum atque umbras venatur inanes,
Pictori est similis, qui tantum lumina pascit,
Non addens tabulæ fibras, non vivida corda,
Sed superinducto velat simulacra colore.
Iam mixtum in templum confluxerat undique vulgus,
Antistes iam sacra facit, iam præco canorus,
Ambrosiæ dulces fundens de pectore voces
In populum spargit divini semina verbi:
Mellifluo cuncti pendent ex ore loquentis
Obliti rerum atque sui, cælestia gaudent
Auribus ebibere, & superas volitare per oras.
Fucatis mundi discunt non fidere rebus,
Amplecti nec opes, nec gaudia lubrica vitæ.
Discunt effrenes carnis componere motus.
Extremumque timere diem. Per lumina cunctis
Decurrunt lacrymæ, gemitu sonat undique templum.
Tantum lingua valet mensque inculpata docentis.
Plebs factis iam rite sacris exire parabat,
Et remeare domum consuetæ ad prandia mensæ:
Lictores quum templi aditus & limina magno
Agmine circumstant, ut nemo erumpere posset.
Turba pavet; magnosque ciet stupefacta tumultus;
Quum sese clausam adspiceret. Quid vincula, funes,
Quid lictor, quid virga velint, ignorat, & hæret
Eventu suspensa novo. Lætissima tandem
Tecta laresque petit, dum quæ sibi quisque timebat,

In gentem vidit merito conversa rebellem.
Vincti omnes, captique plagam cecidere sub unam,
Vnaque lux tribuit multos ex hoste triumphos.
Nam quot erant sontes & monstra horrentia Ditis,
Tot lauros palmasque putes. Non lætior urbem
Approperat præda ingenti venator onustus,
Quam qui inculta petens Abulæ pomoeria traxit
Nigræ noctis aves, omen ferale canentes.
Diversas petiere vias. Hac Francus, & illac
Aeditimus fertur turri cantare sub alta
Suetus, & imbriferas sonitu dispergere nubes.
Nunc gemit & tristes vix audet promere voces.
Sed quamvis capti non uno tramite pergunt,
Deveniunt ferme sub eodem tempore cuncti,
Quo delicta vocant. Cellas mittuntur in arctas,
Tardant vincla pedes, oculis se Delius aufert.
Continuo patres iuris legumque severos
Evibrant gladios, verum depromere curant
E puteo, iustaque reos expendere lance.
Quid tamen heu prodest sollers prudentia cauti
Iudicis, arsve iuvat, sævi aut tormenta Perilli,
Si reus aut vino commiscet thura, vel omnes,
Vt fugiat mortem, statuit superare dolores?
Vidi ego cantatum pueris per compita furem,
Qui caulas ovium, clausasque intrasset in ædes,
Elingui similem statuæ, dum verbera ferret,
Discerptoque graves toleraret corpore poenas;
Nec vinci potuisse, licet tormenta redirent
Tormento reparata novo, ceu saxea rupes
Perstabat valido tortorem pectore ridens.
Postquam Deucalion mundi stagnantis origo
Perdita restituit iactis pro semine saxis,
Contraxere homines durum per membra rigorem,
Cordaque duritiem venas sparsere per omnes,
Vt iam nec doleant natorum morte parentes,
Ex-

Exoptentque patrum crudeles funera nati:
Tanta adeo vis est mortalibus insita cunctis.
En faciunt exempla fidem, torquentur iniqui,
Exercetque suas ultrix Rhamnusia vires,
Nec linguam nec labra movent, nec vera loquuntur:
Sed tantum questus animo dolor exprimit ingens.
  Consumtis poenis censores ultima tentant.
Vt caussam fidei, qua possent arte, iuvarent,
Et scelus elicerent, coram prodire iubetur
Mesuras mærore gravi confectus & umbra.
Quem postquam extractum socii nil tale putantes
Conspexere, tacent, pallor simul ocupat ora:
Quemque vident, vidisse piget, ludibria noctis
Esse putant, tenuique aliquam cum corpore larvam.
Nam qui Zamoræ claram venisset in urbem,
Ignari rerum subito mirantur adesse.
Iam credunt oculis, visus caligine pulsa,
Legatum nec adhuc commisso munere functum
A patribus vinctum subit, & iam crimina fassum.
Ergo quum tormenta nihil superasse valeret,
Nec sparsisse leves vernacula carmina in auras,
Mesura prodente scelus, quæcumque fatentur:
Vtque fides facti magis inconcussa pateret,
Ad montis prærupta viri mittuntur, ut ipsis
Perlustrent oculis diræ vestigia cædis.
Approperant, & equo fertur sublimis in alto
Auriga, haud solitus properato tendere cursu:
Sed lento se ferre gradu, dum plaustra bovesque
Adsequitur, scanditque rotas iam corpore fessus.
Nunc vinctus maturat iter, loca nota revisens,
Et docet unde puer coepisset pondera ligni
Subiectis portare humeris, qua parte labori
Succumbens cecidit, quæ saxa cruore rigasset,
Quodque subobscurum fessus penetravit in antrum.
  Itur Virgineam, quæ non distabat, in ædem,

Vt puerum tumulo effoderent, sed non puer usquam est,
Signa tamen manifesta vident iacuisse sepultum,
Et terram inversam. Veluti quum dextera sollers
Agricolæ campo e pingui, pluviaque madenti
Ad coenam radit fecundum tuber inemtam:
Ipsa diu suspensa manet, revolutaque tellus
Ablatas ut monstret opes: sic ille beati
Infantis tumulus leviter commotus ademtas
Corporis exuvias puro cum corde canebat
Ad superas volitasse domos, quo tempore cælum,
Alme puer, tibi serta parat lætosque triumphos.
Nam pater omnipotens dum figit lumina terris,
Atque hominum duros sublimi ex arce labores
Despicit, & rapido concussas turbine frondes,
Granaque formicas angusto calle trahentes;
Ad te convertit sacros, o Guardia, vultus,
Et spectat pueri ferri per saxa cadaver,
Mandarique solo, postquam tam sæva tulisset
Verbera, & immanem saturasset sanguine gentem.
Ergo hominum divumque pater, cui maximus æther
Paret, & iratos substernunt æquora fluctus,
Cælicolas omnes ad magna palatia cæli
Acciri iubet, unde oculis late omnia lustrat.
Ipse sedet solio claris lucente pyropis
Arduus, a dextra natus virtute parenti.
Adsidet æqualis longaque ætate coævus.
Hunc alta de mente pater sine semine fudit,
Ante mare & terras, cælique novemplicis orbes.
Adspicit immoto genitorem lumine natus,
Et genitor nati lætatur cernere vultum.
Mutuus ardentem spirat conspectus amorem,
Qui quoque procedens utroque a numine cunctas
Res alit, imperiisque regit communibus orbem.
Tres licet exsistant, non est divisa potestas,
Sed Deus est simplex, cui sese curvat Olympus,

Cu-

Cuius cælicolæ veniunt in tecta vocati,
Sive ii, qui Eoas læti spatiantur ad oras,
Seu qui fessa vident languentis lumina solis,
Aut Austrum Boreamve colunt, septemque Triones,
Vicinosque Deo meritis tenuere Penates.
Hos super alma parens æterni federis Iris
Ingenti splendore micat coniuncta tonanti,
Et fessis hominum rebus mundoque labanti
Succurrit, fulmenque Deum vibrare parantem
Mitigat, & iustas divini pectoris iras
Demulcet, quoties deposcunt crimina poenas.
Hanc superum manus alta colit, veneratur, adorat,
Quos pater omnipotens sic ore adfatur amico.
 Aetherei proceres, faustos qui degitis annos;
Non cæli anfractu, spatiisque volubilis ævi
Currentes, namque his mecum regnatis in oris,
Et senium a vobis vita meliore fugastis:
Quam sit grata mihi, quæ non adoleverit ætas,
Vos equidem scitis: quod nulli texere fraudes
Noverit, aut vana mendacia fundere lingua:
Munditiam quod mentis amet, quod nescia labis
Exæquet primos animi candore parentes,
Dum virides inter silvas, nemorosaque Tempe
Dæmonis insidiis impervia corda gerebant.
Sæpe mihi sævos pueri domuere tyrannos,
Carnificumque minas, gladiosque ante ora micantes;
Sæpe truces fregere rotas, lætumque canentes
Riserunt densos flammis crepitantibus ignes.
Sed cui tot decora & laudes, tantosque triumphos
Bellatrix peperit virtus lactentibus annis,
Quam puero, immanem quem vos sub vertice montis
Ferre crucem, funusque pati vidistis acerbum,
Matris ab amplexu raptum carisque propinquis?
Ergo iam vitreas agili cum corpore sedes
Scandit ovans, portasque poli bipatentis adintrat,

Pergite in occurſum, ſetasque agitate choræas,
Et puerum ad ſolium plauſu deducite noſtrum.
Dixerat, actutum procedunt ordine longo
Cælituum diſtincta manus. Volat agmine primo
Alma cohors, quæ bella olim civilia fratrum
Deteſtans magno voluit ſervire tonanti,
Et retinere fidem. Veloces explicat alas,
Pulſat & argutas aurato pectine chordas
Dulce canens, divumque aures concentibus explens.
Inde patres ætate graves, caniſque verendi,
Qui vaſtam implerunt fecundo ſemine terram,
Incedunt, quique inſtinctu præcordia ſacro
Adflati populis oracula certa ferebant.
Hos ſceptro fundaque potens citharaque canorus
Præcedit vates, dulci qui carmine quondam
Infantum cecinit laudes, linguasque diſertas.
Nunc eadem ſuavi cantat præconia voce
Poſt multos repetita dies, & pollice tangens
Harmoniæ vocalis ebur ſic ora reſolvit,
Applaudens puero, cui late effunditur æther.
Euge anima egregia, & cælo ſpatiare ſereno
Aligeris comitata choris: venerabilis ævo
Adſurgit tibi turba patrum, tibi condita fundunt
Lilia virginei coetus, lauroſque comantes
Subſternit nitidis fulgens exercitus armis,
Qui ſævos domuit magna virtute tyrannos.
Et quum ſtelliferi luſtraveris atria cæli,
Alme puer, qua plauſtra trahunt ignita Triones,
Et qua ſe occiduis Titan demergit in undis,
Adſideas Chriſto propior, cui morte fuiſti
Proximus, infixis oſtentans vulnera clavis.
Hæc & plura canit divino percitus oeſtro
Veridicus vates, acies quum nobilis inſtat,
Non clypeo, non enſe potens, armatave ferro,
Sed libris inſtructa ſacris, & docta per aures
Mit-

Mittere ferventes, cogant quæ pectora, voces.
Quorum alii procul a patria coetuque frequenti
Per montes solisque plagas ardore perustas
Secura innocuæ tenuere silentia vitæ
Suspensi cælo, atque animo super astra volantes.
Ast alii celsa frontem cinxere tiara,
Et monitis magnas rexere salubribus urbes,
Gens vigil, humentes per agros, viridesque per herbas
Sueta greges ductare, acri & compescere funda.
Quatuor adspiceres fulgentes lumine magno
Ire viros, supraque omnes capita alta ferentes,
Qui scriptis & voce palam docuere fideli,
Et germana sacris hauserunt sensa libellis.
Ad plantas stola longa fluit, cunctique canentes
Stelliferi sensim ad portas gradiuntur Olympi.
Hos sequitur non ampla cohors, sed lecta, nivesque
Exsuperans, aurique decus, pulcherrima visu,
Virginitatis amans, conservatrixque pudoris.
Serta gerit non decidui de floribus agri,
Nec quæ longa dies, aut æstus lædere possit,
Sed quæ perpetuos ostendant frondis honores.
Prætendit dextra ramos felicis olivæ
Secura iam pace fruens: nam fortiter olim
Bella rebellantis plusquam civilia carnis
Sustinuit. Felix blandos qui evincere sensus
Curat, & ardentes superare Cupidinis arcus,
Quique, manet dum vita comes, sine compare lecti
Exegit noctes, Veneris neque gaudia novit.
Classica iam, lituique sonant, iam maxima denso
Agmine procedit legio, cui pectora circum
Aes triplex ac robur erat, splendentibus armis
Induitur, duros clypeos, fideique trilices
Gestat loricas, quibus imperterrita magnos
Adfata est reges, gladiosque hebetavit acutos.
Cælituum primus iam iam processerat ordo

Ad portas, quum lenta premunt veſtigia cuncti
Conſiſtuntque ſimul, proceres medio agmine tendunt,
Biſſeni proceres, quos udo e littore traxit,
Et media de plebe Deus: cælestia primi
Dogmata, veridico prolata ex ore magiſtri
Per vaſtum ſparſere orbem, genteſque repoſtas.
Claudere nunc pueri pergunt latus. Obvius illis
Angelus infirmis comes indivulſus ab annis,
Et puer accurrit multo formoſior aſtris.
Fert humero vexilla crucis rutilamque coronam,
Quæ Phoebi claros perſtringit lumine vultus,
Non tribulis, nec iam paliuro tempora pungens,
Aurea ſed radiis vincens diademata regum.
Vulnera, quæ fuerant inhoneſta atque horrida viſu,
Adliciunt ſplendore oculos, totoque tumentes
Corpore livores, violas aut lilia dicas
Miſta roſis, quæ terra ferax, quæque educat aura.
  Iam redeunt divum inſtructæ mira arte phalanges
Ad ſolium ſublime Dei, nec tramite recto
Ire placet, ſed grata viæ diſpendia quærunt,
Vt ſeſe lata poſſint effundere pompa.
Nam modo ſumma petunt, modo per declive feruntur,
Lactea nunc ipſos ducit via, nunc quoque pergunt
Limite in obliquum ſecto, quo ſigna fluentem
Enumerant annum variis diſtincta figuris.
Aſtra puer, lunamque vagam contingere planta
Gaudet, & immenſo ſpectare ex æthere terras,
Aequora, cumque ſuis turritas moenibus urbes.
Sed comes & cuſtos lateris fidiſſimus inquit:
Deſine nunc, venerande puer, mortalia pronis
Adſpectare oculis, læto & iam conſpice vultu
Egregios cæli cives, qui ſanguine fuſo
Hoc regnum pepere ſibi, vitamque beatam,
Quando per ſimiles & te vis ignea cordis
Iactavit caſus, terramque cruore rigaſti.

Ille,

Ille, vides, magna qui se fert mole, geritque
Evulsas palmas dextra ab radicibus imis,
Adsuetus quondam ripis & fluminis alveo,
Perque undas vectare homines, summumque tonantem
Promtus, & incoeptos noctis perrumpere somnos,
Christophorus certe est, Lycios qui sanguine cultros
Imbuit, & Dagni crudeles pertulit iras,
Quique suo proprium mutat tibi nomine nomen.
Corpore terrificos vincat licet ille Gigantes,
Ipsum, parve puer, meritis ingentibus æquas.
Aequales en cerne tuos, quos abstulit acer
Herodes, ceu turbo rosas. Simul adspice fratres,
Henareæ fratres decus indelebile ripæ.
Qui dum prima ferunt pictis elementa tabellis,
Carnifices adiere truces. Ignatius ille est,
Frumentum frugale Dei, quem dente leones
Dissecuere fero. Viden' ut præcordia Christus
Occupat, utque sacro cælatus nomine fulget?
Ostentat lapides Stephanus fortisimus heros
Illisos capiti: præfert Laurentius ignes,
Vulnificam Catherina rotam, dignissima primum
Sorte tenere locum, calathis fusisque relictis,
Inter laurigeras acies, belloque potentes,
Quando viris magnis potuit concurrere virgo.
Ille senex iam maturo venerabilis ævo
Rexit oves quondam liquidas ad Tibridis undas,
Quum Christi veneranda fides adolescere primum
Occiperet. Decii gladio percussus. ad istas
Migravit sedes, Marti quod thura negasset
Armipotens Xistus fama super æthera notus.
Proximus incedit pietate insignis & armis
Clemens, & custos ovium, quem traxit ad imas
Ferri pondus aquas. En pendens anchora collo,
En quoque Chrysogoni fractam virtute securim.
Non opus est claros iam longe intendere visus,

Par-

Parve puer: cerne hic fidei primordia sacræ
Hærentes lateri proceres, qui fortia bella
Victrici gessere manu, fusasque cohortes
Ad turpem pepulere fugam, pacemque sequestram.
Qui gerit e rubeo detractam corpore pellem
Adsertor Christi nigros penetravit ad Indos.
Andreas fert ecce crucem, fortissima Petri
Vna manus claves, lignum tenet altera sævum,
Vertice cui prono, plantisque supinus adhæsit.
Sed longum est nunc velle, puer, percurrere cunctos
Ordine cælicolas, partosque ex hoste triumphos,
Ex ipso tu disce Deo, quem lumine cernens
Cognosces quæcumque voles. Pulcherrimus ales
Ore dedit finem, magnus quum sistitur infans
Aeterni patris ante pedes, quibus oscula præbet
Dulcia, iucundaque illum sic voce precatur:
Magne pater, quod non tribuas hoc tempore munus,
Densa serenato quum pellis nubila vultu,
Lætitiæque vacas? quum iam mihi ferre dolores
Haud parvos dederis fundens in pectora vires?
Ob quod nunc agimus, rector tibi maxime, grates:
Quodque etiam facie te contemplemur aperta
Innixum solio, terras unde adspicis imas,
Et manes, curasque hominum sub corde latentes.
Vnum restat adhuc, quod des, pater optime, nobis,
Quam sit cæca mihi, quam tristis & indiga mater,
Nosti, quamque gravi traducat tempora luctu.
Tu solare inopem, precor, & sucurre relictæ.
Da solis decus ut videat, cælumque coruscum,
Quando illi ablatus dux est & rector ademtus,
Et vis ipse coli, qui nos genuere, parentes.
Adsensere omnes superi, Deus adnuit æquus,
Et Christi pectus strinxit pietatis imago,
Dum subit, in terris vitam quum degeret olim,
Qua cura matrem & custodem Virginis una

Sus-

Suspiceret, puerique videns in corpore plagas,
Occurrunt quas ipse tulit, convicia, sentes,
Cruxque gravis; iuvat & veterum meminisse laborum.
 Capta oculis mulier stabat confecta dolore
Ante fores templi, primi sub lumina solis
Absentem puerum, & sera sub nocte vocabat.
Dicebat lacrymans: Proles dulcissima matri,
Desertæ tutela domus, spes sola senectæ,
Qua regione lates? quis te mihi fluctus ademit?
Anne Tagus rapido decurrens flumine salsum
Detulit in littus, ripa dum ludis aperta?
An magis es nigras putei delapsus in undas?
Seu te, clare puer, rapuit manus impia nobis,
Vitalesque auras carpis, seu forte supernas
Iam colis ipse domos, & calcas sidera plantis,
Huc converte oculos, ægræ & memor esto parentis.
Tales fundebat mater de pectore questus
Luctibus indulgens, cæcis quum pulsa repente
Luminibus caligo fugit, cælumque serenum,
Errantes & cernit aves, rerumque colores.
Gaudet & augusti miracula cernere templi,
Ex auro divum effigies, vitreasque fenestras.
Miratur visus plebs circumfusa receptos,
Discussasque oculis tenebras, miratur & ipsa
Exhilarata parens, aquilas quod vincere posset,
Quamvis intuitus Phoebea in lampade figant.
Nescit quo vitæ merito, quo numine cæli
Nacta sit amissos iucundæ lucis honores.
Non etenim mater fortunatissima norat
Cælicolam genuisse, Deus cui panderet aures,
Et cuncta adnueret. Tempus sed iam tamen instat,
Virtutis quum signa tuæ dispersa per orbem
Adsuesces dare, sancte puer, votisque vocatus
Innumeros pelles languenti e corpore morbos.
Visum oculis lucemque feres, qui cernere clarum

Non potuere diem: membris torpentibus æquas
Restitues vires: per te distorta coibunt
Ora simul, surdasque fluet vox missa per aures.
Atque etiam exstincta vento perflante lucerna,
Excuties subito duris e cautibus ignem,
Qui circum stuppas pingui flammescat olivo,
Sacra tibi vigili careat ne lumine rupes.
His tu prodigiis fies notissimus orbi,
Cunctorumque per ora virum volitabis & urbes.
GVARDIOLAE in primis virtus pietasque fidesque
Rergna per Europæ, Libyæ & sitientis arenas,
Perque Asiæ latos fundet tua nomina campos.
Nam petet, ut fama est, Romano a patre beatis
Vt te cælitibus numeret, numerosaque condat
Carmina, Christophorum quibus omnis concinat ætas,
Christophorumque sonent valles & cærula Doris.

HIERONYMI RAMIRI

DE RAPTV INNOCENTIS

MARTYRIS GVARDIENSIS

LIBER VI.

QVI putat exstingui penitus cum corpore mentem,
Eque rogo superesse nihil, delirus aberrat:
Nam Deus haud ullo perituram tempore partem
Condidit, & fragili septam velavit amictu.
Hæc est effigies ad vivum expressa tonantis,
Lucis inexstinctæ, cæli terræque patentis,
Cunctarumque capax rerum, quas ambit Olympus,
Et circum vasto complectitur æquore pontus.
Quadrupedes, quas fixit humi natura, rudemque
Abiecit tantum ad pastum, vilemque laborem,
Nil sensus post facta manet, mors funditus ipsas
Delet: dumque fuit vita hæc quæcumque, fuerunt.
Ast homo divini satus ad commercia regni,
Ad decus, ad claros famæ vocalis honores,
Perstat, & e tumulo surgit victurus in ævum
Parte sui meliore, tegunt nam busta caduci
Corporis, exuvias terrena mole gravatas.
Pauci, quos ardens tollit super æthera virtus,
Quæ posuere semel, frigentia membra resumunt
Ante diem, quo labentem tuba rauca per orbem
Clanget, & abruptis tellus commota sepulcris
Depositum reddet. Numeres ex agmine tanto
Quatuor, in puro retinent qui corpora cælo.
Cunctorum primus mundi infelicis ab ortu
Christus ovans niveis pressit vaga sidera plantis.

Tu quoque, Virgo parens, superum decus, anchora nostræ
Fida ratis, pelagi adversis quæ fluctuat undis,
Postquam tabescens curis animique dolore
Saucia duxisses extrema per omnia vitam,
In nubes adsumta poli fulgentia tecta
Scandis, plena gerens divini viscera amoris,
In quibus æternum latuit sine semine Verbum.
Nec non æquoreæ quondam bonus incola Pathmi,
Christi amor, æthereas totus volitavit in oras,
Vt narrat pia turba, pie cui credere fas est.
Nec quisquam dubitat, puer o sanctissime, carmen
Dulce mihi, Musisque ingens iam cura Latinis,
Quin inflicta sacris ostentes vulnera membris
Cælicolis magnis, scapulas & verbere cæsas.
Non erat exuviisque tuis & pulvere tellus
Digna satis, non capsa nitens, aut nobile marmor:
Ipsa nec irriguo sensim labentia trunco
Balsama tam purum meruerunt ungere corpus.
Ergo te vitrei cepit plaga lucida cæli,
Vnde preces audis multorum, atque antra videre
Sæpe iuvat perfusa tuo, puer alme, cruore,
Pastorum iam non olidis accomoda caulis,
Nec fumo iam plena nigro & caligine noctis,
Pervia sed soli, vigilique micantia flamma
Thure pio redolent, & spargunt floribus aras.
Hic ubi balabant divulsi a matribus agni,
Vbera dum pingui exspectant turgentia lacte,
Nunc patres sacro Triadis de nomine dicti,
Lecta manus, procul a strepitu & popularibus auris,
Angelicos dulci fundunt e gutture cantus
In superum egregias laudes, puerique beati
Berbenæ foliis, & anetho altaria velant.
Iam vates sileant orbis miracula septem,
Plus satis extremas fama vulgata per oras.
Desinat & patrium Segovia tollere pontem,

Pen-

Pendeat in vincuo rudibus licet aere saxis,
Admixtum nil calcis habens, plumbique tenacis.
Et sua centifores taceant iam moenia Thebæ
Dulcisona fabrefacta cheli. Sub rupe cavata
Adspicies miranda ævo monumenta futuro,
Limina, templa, aras, chocleas, triclinia, cellas,
Tecta, focos, adyta, & lustratas sole fenestras.
Quæ dedit excellens virtus, pietasque fidesque
GVARDIOLAE dura superantis saxa bipenni:
Cuius ego eximias postrema in parte laboris,
Adspiret si Musa, velim percurrere laudes,
Quando illas cælo puer haud invitus ab alto
Audiet, e mortis rapuit qui faucibus olim
Guardiolam, præstantem animam iam iam ore vomentem,
Quem mihi sancta diu viventem numina servent.

Nulla mora es: propero quo me rapit impetus, & quo
Pectoris ardor agit. Valeant præcepta disertis
Vsurpata viris, non est opus arte magistra.
Sed veluti ingrediens castæ nemora alta Dianæ
Cæsurus ferro truncos & brachia silvæ,
Quum videt hic cælum tangentes vertice pinos,
Illic proceras ornos, quercusque vetustas,
Fraxineasque trabes, & duris robora nodis,
Hæret suspensus dudum, queat unde laborem
Ordiri, manibusque gravem vibrare securim,
Donec villosos detracta veste lacertos
Expedit, & primo obiecta secat arbore truncum:
Non aliter numerosa seges, mentique recursans
Virtutum, quibus ille nitet notissimus orbi,
Reddit me dubium, capere unde exordia possim.
Illarum quæcumque tamen, sive obvia sorte,
Iudicio seu lecta mihi, pulcherrima nostris
Coepta dabit numeris, nihil est de fæce popelli
GVARDIOLAE sumtum, nil non mirabile præfert.
Illum equidem natura vigil formavit ad unguem,
Haud

Haud ignara parens, quantus qualisque futurus
Esset in Hesperia, fesso quamque utilis orbi.
Membra dedit robusta; dedit venerabile corpus,
Et dignam imperio faciem, dedit ubere glebæ
Florentem patriam, cui mille armenta per agros,
Mille greges errant ovium, totidemque caprarum.
Bombyces prædives alit, pretiosaque Serum
Fila legit, linique ferax, ac mellis abundans,
Temperie nulli cedit, victuque salubri
Iumilla illimes fundens per pascua lymphas.
Hic genus antiquum, celsis e mœnibus arcis
Pernoctans, vigilumque aures clamoribus implens
Tecta sibi posuit multis exstantia sæclis.
Hinc ortum trahis ipse, sacris spes unica Musis,
Christophore, & nimium magno dilecte Philippo.
Sic iam per cunctas volitasti nomine terras,
Consilio clarus, studiisque iuvantibus orbem,
Vt decus addideris generi, fatisque tuorum.
Si genitus Tersite fores, fraterve Gigantis,
Virtus ipsa tibi pro nobilitate fuisset,
Stemmata quæ vincit foribus pendentia regum.
Ne tamen ex omni non dici parte beatus
Possis, ingenuum patrem, matremque pudicam,
Et primos numerare potes sine labe parentes
Cantabricas inter rupes & frigora natos;
Sed tractu meliore poli, campisque benignis
Iumillæ adlecti patrios liquere penates.
Clarior adrisit fausto tibi Iuppiter astro
Nascenti, & Musæ generosa a matre cadentem
Excepere ulnis, solidæ & virtutis amorem
Et curam haud tenuem vatum, studiumque sophiæ
Insevere animo, multo maiora daturæ
Munera, quum primum florens adoleverit ætas.
In cunis examen apum contraxit in ore
Mella tuo, dulci flueres ut nectare totus,

Nec

Nec quemquam paterere domum diſcedere triſtem.
Res quæ præcellunt, voluit natura quibusdam
Insignire notis, simul ac eduntur in auras.
Spem facit agricolæ prælucens indole pulchra
Arbor, quæ pomis ramos curvabit olentes.
Quique pharetratos posternit calcibus hostes
Acer equus, per prata prius vernantia lusit
Transmittens spatia ampla fuga, vallesque replevit
Hinnitu, corpus maculis interlitus albis.
Et tu clara dabas virtutis signa futuræ,
GVARDIOLA, infirmos ageres quum parvulus annos.
Prætermitto libens latissima tempora, frontis
Expensæ decus, & radiantis sideris instar
Ardentes oculos, vultusque virilis honorem,
E quibus eliceret divinum mentis acumen
Quisque tuæ; potiora animi argumenta latentis,
Et veræ pietatis erant, coluisse parentes,
Diligere æquales, capitique adsurgere cano,
Suspicere & doctos ut numina sacra magistros.
Non tu crudeli figebas lumina dextra
Cornicum, fundave graves in tecta foresque
Torquebas lapides, non septos cratibus hortos
Irrumpis dulces rapturus ab arbore ficos.
Sed tibi litterulas depingere, ducere versus
Marginibus clausos, sanctorum discere vitas,
Nec non expressos illorum cernere vultus
Ludus erat. Quandoque etiam carbone per ædes
Aligeras volucres, piscosumque æquor adumbras,
Virtutis specimen, natæque ad grandia mentis.
Quo nunc te dicam studio, quam præpete motu
Ingenii linguam penitus didicisse Latinam?
Testis erat schola tota, prior quam semper adibas
Fabrorum vincens operas, vigilesque lucernas.
Testis præceptor, cui tu, si solus adesses,
Pro cunctis aderas, solus te absente tacebat.

Tunc

Tunc lætas vectus Parnassi montis in umbras
Dulcia vatidicas hausisti in pocula lymphas.
Tunc aurem dextra sapiens tibi vulsit Apollo,
Admonuitque lares & tecta parentum
Desereres, Musisque sacris loca nota videres,
Quæ vitreus lato præterfluit Henarus amne.
Hic ars nata foro, linguaque micantia vibrans
Fulmina pendentis moderari frena theatri
Sponte tibi indulsit: dedit hic Dialectica sollers
Tendere subtiles laqueos, nodoque tenere
In varias sese mutantem Protea formas.
Hic etiam Vranie cælo suspensa sereno
Signa, potestates stellarum, nomina & ortus
Te docuit; quis clara novæ det cornua lunæ,
Volvat & æthereos diversis motibus orbes;
Quid terris nitido portendant igne comoetæ,
Et ferrugineo Titanem obnubat amictu.
Sed cur consumtos studiis puerilibus annos
Commemoro spatiis chartarum exclusus iniquis?
Iam me cunctatem duplicis prudentia iuris,
Iam vocat & Tormis, vocat & Salmantica dudum,
Quæ te doctrinæ præclaris dotibus auctum,
GVARDIOLA, Henareæ traxit de margine ripæ.
Haud ullus memorare queat, licet ille potenti
Eloquio sævas possit lenire novercas,
Quam fausto cursu ingenii, quam mollibus auris
Vectus, inexhaustum legum sulcaveris æquor.
Non regum voces, cani non iussa senatus,
Non responsa virum, non plebiscita, nec illæ
Bissenæ tabulæ, veteris moderamina Romæ:
Nec quidquid bonus ille Solon, sapiensque Lycurgus
Dictavit, poenisque Draco furantibus acer
Divinam potuere tuam, vir maxime, mentem
Obruere, aut studio corpus lassare tenaci.
Haud umquam stomachosa tibi fastidia virtus

At

Attulit, aſt aliquid meditari & diſcere ſemper
Dulce fuit. Nunc illa quidem ex te ipſe repoſcis
Abditus in latebras, quæ præceptoris ab ore
Audieras: nunc iuris aquas ſine cortice rumpens
Per te ſacrarum nodoſa ænigmata legum
Solvis, & antiqui reſeras myſteria Galli.
Quin & ſæpe legis ſinuoſa volumina Baldi,
Nocturnaque manu verſas, verſaſque diurna
Victuris quidquid ſcripſit per ſæcula chartis
Bartolus, & denſas pallens Accurſius umbras.
Non eſt ullus apex in toto iure, nec ullus
Angulus intuitus aliorum & lumina vitans,
Qui tibi perſpectus non ſit, minioque notatus.
Illa quoque abſtruſi decreta voluminis ipſis,
Qui docuere diu, vix intellecta magiſtris,
Sunt tibi ceu digiti, demorſi cognita ut ungues.
Sed cur tam præſtans virtus, tamque alta lateret
Cognitio rerum tectis incluſa parentum?
Qui fuit ad laudem & vivacis nomina famæ,
Ad patrias commune bonum, atque ad maxima natus,
Conſpectu populi gaudet, cœtuque frequenti,
Et cupit egregiis orbi innoteſcere factis.
Præcelſas ideo Granatæ nobilis arces
Ipſe petis, ſigna ingenii manifeſta daturus,
Doctrinæque tuæ. Dictu mirabile quanto
Vrbs ea te excepit plauſu, conventus & ille
Iuſtitia Heſperiis longe clariſſimus oris.
Hic tu flexanima defendis voce clientes,
Et deſperatas ſumma probitate fideque
Victor agis cauſſas, multoſque a morte reducis
Damnatos capite, & gladio iam colla parantes.
Illa tuas inter prima eſt victoria palmas,
Marmoreis ſignanda notis, & Apolline digna,
Quod patrocinium divi ſuſceperis æquum,
Magnanimi divi, qui res tutatur Iberas,

Et sæpe hostiles acies turbavit, & albo
Vectus equo stravit flavas ut messor aristas.
Huic tu frumentum per sæcula longa negatum
Curasti reddi, quod rex fortissimus olim
Vovit, laurigeri monimentum insigne triumphi.
Nil non undanti legum de fonte petisti,
Seu nostros recolens mores, seu tempora patrum,
Egregiam ut caussam scriptoque & voce iuvares.
Quo certe obsequio sacrum cum præsule clerum
Devinctum tibi semper habes, ipsumque Iacobum,
Thuricremas cuius ditasti frugibus aras.
Nemo Granatæ fama te notior uno
Degebat, nemo cunctis qui civibus esset
Carior: optabat fidum te quisque patronum
Fautoremque sibi, fractisque in rebus amicum.
Quod Romæ virtute fuit Cato maximus ille,
Cecropidis Pericles, rapido dum fulgurat ore,
Id Granatensi fueras, nec fallimur, urbi.
Illa senatorem de nobilitate cooptat,
Illa patrem patriæ te nominat, & tua cingit
Tempora civili quercu, atque adsurgit eunti.
Tecta superba dedit, fecundæ & iugera terræ,
Magnificas & opes, opibusque adiunxit honores.
Nil tibi iam derat felicem ut ducere vitam
Inter mortales posses, quam nobilis uxor
Corpore præstanti, studiis & dedita honestis,
Quæ tecum placide sociales degeret annos.
In sortem cecidit vultu Violanta modesto,
Clara atavis, probitate micans, laudata pudore,
Lanificæ studiosa colus, & docta Minervæ
Nocturnis calathos pensis implere capaces,
Femina labra premens, vano non turgida fastu,
Promta manu, pede tarda, viro fidissima coniux,
Quæ te iam feceret numerosa prole parentem.
Huius ego in primis inter praeconia pono
Exi-

Eximiumque decus, quod ſit digniſſima neptis
Pulgarl magni, cuius præſtantibus armis
Belligeraque manu victrix Hiſpania crevit
Ad ſummum, & Libycos turbavit cominus hoſtes.
Rex bonus Heſperiæ tantum illi credidit uni,
Vt quum conſcenſis ſuperandæ turribus arces,
Aut capienda forent diſruptis oppida muris,
Aut acclive iugum, præceps ve ad tartara ſaltus,
Pulgarl diſcrimen erat. Fulgarius omnes
Evincit moles animæ contemtor opumque,
Non potuit Salar arce ſua, non vulnere tantum
Propulſare ducem, non de ſtatione movere
Baſta ferox potuit, quamvis bipatentibus illa
Erumpens portis noſtrorum terga feriret
Diſpalata metu, capta & vexilla referret.
Stans acie in prima ſolus Pulgarius omnem
Suſtinet incurſum Martis: ſæpe ille labantem
Reſtituit pugnam, paveſactaque corda ſuorum,
Candida pro amiſſo ſuſpendens lintea ſigno.
Corpore ſæpe ſuo, dextra dum fulminat, hoſti
Intercluſit iter, celeri ſæpe ocior Euro
Labenti reſilivit equo, non pondere preſſus
Argolici clypei, fractusve ingentibus armis.
Obſeſſa, heu plane rueres, Salobrenia, longa
Iam prope victa ſiti, repleres ſanguine Mauros,
Divitiasque tuas, pueros, tenerasque puellas
Duceret in ſpeciem læti Granata triumphi,
Ni te Pulgarl tegeret Mavortia virtus,
Et data legato phiala, & gravis amphora lympha.
Si ſe cæruleum Cocles demiſit in amnem
Fracto ponte ruens, Stygias ſi Curtius umbras
Vidit equo inſidens, plus eſt per fluminis alveum
Irrepſiſſe urbi, vigiles & fallere nocte,
Et templi valvis lata deſcripta papyro
Figere verba, quibus rubefecit Virginis ora

Alipotens iuvenis portans mandata tonantis.
Ante maris bibulas numero complectar arenas,
Vel quot habent arbusta comas, vel grana papaver,
Quam possim exhaustos bello memorare labores
PulgarI, pugnas, cædes, data vulnera, palmas,
Captaque signa manu, versasque in terga phalanges.
Quantum uxoris avus supra sese extulit omnes
Virtute armorum, tu tantum, magne senator,
Consilio præstas reliquis, & laude togata.
Non minus est pulchrum studiis florescere pacis,
Quam bello meruisse decus. Per tela, per ignes
Irruere, atque viam vi pandere, cædere & hostem,
Et victo dare iura, fuit laudabile semper,
Horrisonos etiam populi sedare tumultus,
Conservare bonos, lites sopire molestas,
Liberaque ultrici compescere crimina dextra,
Quis regum curam esse neget, munusque deorum,
GVARDIOLAEque mei? vires quo sospite numquam
Iustitia amittet, probitas nec victa queretur.
Tanta viri virtus, cunctis & dedita terris
Gloria, non potuit, Rex o te magne latere,
Hesperiæ columen, Carli successor & heres.
Hæc tua sit fortuna prior, quod talibus ipse
Imperium moderere viris, quod semper ad omnes
Ancipites casus, magnarum & pondera rerum
GVARDIOLA utaris caro fidoque ministro,
Qui tibi non parvam demit de pectore curam,
Dum dat cuique suum, iuris dum discutit umbras
Diffindens pacem populis. Ille inclita regna
Lysiadum, piperisque rates, auroque refertas
Iure tibi attribuit, stimulosque infixit acutos,
Vt quod maiorum communia stemmata, quodque
Fas legesque dabant, peteres victricibus armis,
Sanguineum quando poscebant omnia Martem.
Nec solum partes scriptis præstantibus æquas

GVAR-

GVARDIOLA adseruit, veterum monimenta rovolvens:
Sed Lusitanas orator missus in oras
Dixit voce palam deberi regna Philippo
Fulgentes inter clypeos inimicaque tela.
Vix referam quanto vitæ discrimine duram
Sustinuit caussam, qua libertate fideque
Suasit, ut imperium acciperet gens illa tumultus
Marte ciens, regesque alios excire parata:
Munere honorato functus, spretisque periclis
Castellæ pro re, mundi pro pace ruentis;
Vnus eras, quem vulgus iners, quem curia patrum,
Claraque nobilitas oculis iam ferret & ore,
Et multas optaret opes, annosque voveret.
Eximium id natura tibi, superique dedere,
Christophore, auratis ut amoris retibus omnes
Involvas, de te vere bona cuncta loquentes
Per fora, per vicos, per compita lata, per ædes.
O laus, o probitas hominum dignissima linguis,
O numquam auriferæ mens rapta cupidinis æstu?
Divitias aliis, & opes & munera Croesi
Guardiola impendit, ditat, beat, implet & omnes;
Solus eget. Non asse fuit locupletior uno
Factus, ubi mundi coepit dispergere gazas,
Quæ quondam Granata dedit, patrumque voluntas
Vltima. Coniugio quidquid, pactisque hymenæis
Accrevit, retinet tantum, nihil addidit ultra.
Nonnullis inflata crepant præcordia fastu,
Erigit & cristas vultu fortuna sereno,
Et sublimis honor: sed quamvis dextra benigni
GVARDIOLAE multos reddat fortasse superbos,
Quos iuvat, & titulis evexit ad æthera magnis,
Tu tamen haud quidquam videas humanius illo.
Non gravitate tumet, populi non ebrius aura est,
Gratia non inflat regis, nec lata potestas
Auratos currus, abacos, aulæa, clientes,

Aut celeres quæsivit equos, artemve culinæ.
Decrevit luxus, quantum ipsa potentia crevit.
Vt sol vitali perfundens lumine terras,
Altior a cæli meta quum distat utraque,
Lentius approperat, laxasque adducit habenas:
Sic ille eximii iam culmen adeptus honoris,
Compressit motus animi, vanumque tumorem,
Mortalem sese agnoscens. Heu fata, brevemque
Vitam hominum, nihil heu miseris durabile terris.
Hesperiæne salus, ingens tutela bonorum,
Gloria Pieridum, rarique exemplar honesti,
Doctrinæ & quidquid superest, sanctique pudoris,
Iustitiæ fideique, viro consistat in uno,
Cui quoque mors impendet, eo ut moriente caduci
Intereant simul orbis opes & candida virtus?
Parca vel hoc nimium sæva est, & iniqua putatur;
Aequa quod est cunctis, nec saltim parcere discat,
Quos superesse diu humanis est utile rebus.
Sed quoniam lex una iubet, moriamur ut omnes,
GVARDIOLAE, o superi, longæ date tempora vitæ,
Ex quo iuris honos, pax & sanctissima pendet.
Tu quoque, magne puer, cui templa sacravit & aras,
Dexter ades, placidoque illum bonus adspice vultu,
Vxorem & natos, & qui nascentur ab illis.

EPI.

EPITHALAMION

DE NVPTIIS PHILIPPI II.

HISPANIARVM REGIS CATHOLICI,

ET D. ANNAE MAXIMIL. ROM.

IMP. FILIAE.

QVIS mihi tam læto titillat pectora motu,
Et rapit ad plausus, dulcemque imitatus Olympi
Concentum, adsidua dum se vertigine volvunt
Orbes ætherei, complet sonus Entheus aures?
Vt me tam late nugis & mollibus odis
Adsuetum, manesque edoctum flere sepultos,
Ad regum thalamos, generosa ad carmina regum
Musa vocet, stimuletque novum tentare laborem?
Ipsa quidem cultus iam nunc induta priores,
Hesperia, ipsa suos, discussa nube, nitores
Explicat, & læto perfundit pectora plausu,
Respirans, lauroque comas & tempora velans:
Ac si quæ Libycas inter caput extulit urbes
Terra viris armisque potens & feta rapinis,
Capta sit, & Solymis late domus inclita templis.
Quin etiam superi tædis, orbique faventes
Festivum Pæana canunt, velut æthere ab alto
Quum male præcipites egit Iovis ira Gigantes.
Temperie numquam maiori & foedere vincta
Servarunt elementa fidem: furor impius Austri,
Ventorumque minæ ponto siluere quieto,
Et zephyri blando demulcent murmure terras,
Quum canas de more nives, amnesque furentes
Præcipitet glacialis hiems e montibus altis.

Exar-

Exarmata tepet vultuque adridet amico.
Hanc rerum faciem Deus atque hæc tempora donat,
Non temere certatim omnes animisque volentes
Coniugio festisque favent, ac munera reddunt
Cælicolæ, & radiis connivent astra benignis,
In primis genialis Hymen & pronuba Iuno
Multa parant, lætoque accendunt omine tædas.
Hic dulces annos dextra lævaque cubile
Illæsum gerit, & pendentia vincula collo:
Illa Arabum merces, lapidesque oriente petitos,
Et pallam insignem, castasque in tempora vittas
Læta offert, orisque decus sanctumque pudorem
Rectus Amor, qui pacta thori sollemnia sancit,
Innectitque animos, & nulli obnoxia culpæ
Gaudia permittit, circum plaudentibus alis
Ibat, & auratam regis properabat in aulam.
Olli se Charites una iunxere venustæ,
Et Nymphæ Idaliæ. Sed ubi Capitolia plantis
Alatis tetigit, nubes atque aera tranans
Constitit, & paullum commoto pectore anhelans,
Auratam tinctamque rosis violisque sagittam
Aptavit: rapido illa furit per inane volatu,
Ac tandem stetit usque tremens, pectusque Philippi,
Qui tunc pro rapta fundebat coniuge questus,
Traiecit, subitoque Annæ inflammavit amore.
At rex illato stimulatus vulnere amoris,
Ecquis, ait, lacrymis modus, ecquis fletibus istis
Finis erit? semperne animo servabo dolores?
Et me sol oriens, & me nox atra videbit
Lugentem? querulæque piis plangoribus urbes
Vsque adeo resonent? nec quis mihi ludet in aula
Carolides, patremque vocet? Ergo advena nostras,
Quod superi avertant, heres tractabit habenas,
Sceptraque iam pridem serie deducta parentum?
Ah quantum nostris sese implicat Anna medullis.

Et

Et placet, & ſanctos animo iam ventilat ignes,
Quamvis iuncta mihi materno sanguinis ortu;
Communes ſortitur avos: iam denique vincat,
Vincat amor tua tela, puer, tua vulnera teque
Accipio agnoſcoque libens, & publica curans.
Ad thalamos adſpiro procus. Sic fatus acerbas
Sopivit curas, lacrimasque & lumina terſit.
Iam ſceptrum regale manu, iam vertice celſo
Ignivomum diadema gerit, radiisque capillos
Intonsos pectit fusamque in pectora barbam.
O quantum decus ore nitet? Sic aurea quondam
Adflavit Venus Aeneam, faciemque rubore
Pinxit, & æthereos oculis diffudit honores,
Quum nati adſpectu miseram liquefecit Elisam.
Numquam alias casto devincti foedere lecti
Tam magni coiere duces: hic ore, manuque
Belligera, clypeoque viros & fortibus armis
Vincit: & illa poteſt præ ſe ridere lacenam.
Sunt tamen ambo pares, & non eſt coniuge coniux
Inferior quidquam, ſi ſpectes ſtemmata & altos
Auſtriacæ gentis titulos, & nomina avorum.
Conſilium rerum, gravitasque in fronte renidens
Par ambobus ineſt, & primis inſita ab annis
Maieſtas iam digna polo regnare ſereno.
Sed terris contenta modo ſceptroque minori,
Res hominum foveat tenues & ſidera donet:
Quod iam lanificæ firmarunt numine Parcæ,
Quum bene connubii ſenſerunt orgia ſacri,
Phoebæasque lyras, atque exſultantia plauſu
Tecta poli. Nunc turba mihi dilecta ſorores
Exſiluiſſe decet, nunc ora remittite ſævis
Torva ſuperciliis, Lacheſis ait; anxia vitæ
Stamina; fatalesque manu deponite telas.
Exemta arbitrio noſtro mortalibus ægris
Tempora eant, nec fila colo ſuſpenſa trahantur,

Dum festus celebratur hymen, lateque resultat
Hesperiæ tellus, & felix Mantua gaudet;
Mantua Niliacæ superans miracula Memphis,
Et regum generosa domus sacrata triumphis,
Quam male, pro facinus! lacrymis oppressimus usque,
Funereisque rogis, virides dum principis annos
Demetimus, regemque thoris & coniuge cara
Fraudamus, fetuque uteri. Iam cædis abunde est.
Firmemus thalamos, Pyliique senilia vivant
Lustra senis pulchris implentes regibus orbem.
Finierat Lachesis, nec dictis abnuit ulla;
Consilium sed voce probant, pariterque volentes
Impia fatales iurarunt verba sorores.
Interea virgo tectis egressa parentum
Regificis, roseasque genas & eburnea fletu
Ora madens, dum matris amor pietasque recursat,
Cæruleum mare sulcabat, ratibusque superbis,
Credita dotales cursu tendebat in oras.
Quaque, ait, Nereidum chorus, & Neptunia Thetis
Motas sternit aquas, & mixtas floribus algas,
Purpureasque rosas & rubra coralia fundit,
Adspiceres ora exsertos & verbere caudæ
Plaudentes thynnos raptosque e littore nautæ
Delphines bibulæ sistebant margine terræ
Impositos humeris, & iam per cærula vectos.
Nec tulit immanes ventos incumbere ponto
Neptunus pater, ipse manu trifidoque tridenti
Ductabat classem; deerant ubi sidera cælo,
Et syrtes scopulosque vadis mostrabat opertos.
Auditus concha Triton mulcere procellas,
Atque vocare deas, quæ claustris æquoris imis
Humidiora tenent, solique impervia regna.
Carpathio tunc forte mari squammosa trahebat
Proteus armenta, & turpes in pascua phocas.
Qui postquam cantus sensit Tritonis ovantes,

Et motum in plausus æquor, præsaga futuri
Pectora concutiens, divinos mente calores
Concipit, & rerum pandens arcana latentum,
Tranquillum claris complebat vocibus æquor.
I, felix virgo, magno socianda marito,
Regia progenies & fessis anchora rebus:
I, digna Hesperiæ sceptrum gestare tremendum,
Et digna omniparæ regnis succedere terræ.
Ipsa tibi late resonabilis Amphitrite
Ridet, & ipsa tibi submittit lilia tellus.
O quot opes iam nunc fluere, o quæ surgere regna
Coniugio tali asdpicio, quam mira laborum
Spectacla, artificumque manus operumque figuras.
Euge pater patriæ, atque idem rex optime regum.
Euge, & opes hilaris iam tandem profer avitas
De locuplete penu, baccata monilia gemmis,
Quæque vomant ignes & spirent undique odorem
Vestes, bombycum labor, & mirabile textum.
Euge iterum, faciet iam te regina parentem
Prole nova, sanctoque inolescent pignora lecto,
Quæ te, quæ matrem referant, atavosque potentes,
Et totum iustis submittant legibus orbem.
Tu, Lucina, fave: redeunt iam sæcula mundo
Aurea, & armisonos ponit Bellona tumultus;
Paxque emissa polo lætis dabit otia terris.
Victor io bellator, io iam dicite vates,
Dicite victrices palmas lætosque triumphos.
Adspirat fortuna favens, & rebus Iberis
Incipit adnuere, & casus relevare priores.
Hæc ubi vatidico concusus numine Proteus
Edidit, innumeros texebat in æquore ludos,
Et consulta volens rerumque arcana ferebat.
Quid memorem choreas hilares cantuque sonantes
Nympharum, quæ rura colunt & pervia tantum
Lustra feris, quum fama ipsos effusa per agros

Rettulit incolumi portum tetigisse carina
Reginam septam Nymphis, numeroque suorum?
Errarunt tuto in silvis hoc tempore damæ,
Et capræ cervique leves, nec vulnera tergo
Sensit aper. Diana suis immista puellis
Dum canit, exercetque choros, proiecit eburnum
Arcum humeris, scelus esse putans occidere quemquam,
Et sanctos muculare dies. Spectacula belli
Ficta dedit: Mauros & amico milite campos
Struxit, & innocuos in morem fulminis ictus
Aerea canna dedit, fumoque & pulvere nigro
Obduxit convexa poli, tractusque serenos.
Navales etiam pugnas, celeresque triremes
Nereides, vitreisque pater Guadarama fluentis
Attonitus vidit miratus classica bella:
Vt iam nec Bæthi cedat, Nilove potenti,
Auriferove Tago, quum magnæ robora silvæ
Antennasque graves liquidis vectarit in undis.
Sed tu, summe pater divum, qui semina rerum
Solus habes, hominumque genus, seriemque nepotum
Amplificas, pulchroque facis coalescere fetu:
Quique mala colubri deceptum fraude parentem
Primævum sancto sociasti foedere lecti:
Divulsamque ferunt animasse viragine costam,
Quæ coniuncta viro comes esset læta bonorum:
Hæc, precor, auspiciis sanci connubia faustis,
Summe pater, coniuxque diu cum coniuge vivat,
Turbaque natorum mensam numerosa coronet,
Qui claris referant factis atque ore parentes.

EPI-

EPIGRAMMA

IN LAVDEM *EVANGELICARVM INSTITVTIONVM*

P. GARSIAE GALARZAE BELLANENSIS,

DOCT. THEOLOGI,

PVBLICI SALAMANTICAE PHILOSOPHI,

EPISCOPI CAVRIENSIS.

VT quondam placuit Stoicis, is dives habetur,
Qui fruitur terra, qui fruiturque polo.
Iure igitur librum quicumque evolverit istum,
Dives erit, magnas & sibi promet opes.
Namque hic cælesti sapientia panditur, hic quod
Mirari possit Quinctilianus, habet:
Eloquii late currentia flumina casti,
Doctrinæ phaleras & decus omne suæ.
Auctorem libros dices spoliasse profanos,
Vt Pharias olim gens abitura nurus.
Quum vero fidei divina oracula nostræ
Ipsius ex Christi mente retecta docet,
Non sinit Hebræas obduci pulvere chartas,
Attica nec tineas bibliotheca timet.

IOANNIS GELIDAE

VALENTINI,

BVRDIGALENSIS LVDIMAGISTRI,

EPISTOLAE ALIQVOT ET CARMINA.

ROCHELLAE.

APVD BARTHOLOMAEVM BERTONEM.

M. D. LXXI.

EDITIO SECVNDA.

IACOBVS BVSINVS BVRDIGALENSIS, LECTORI S. P. D.

IOANNEM GELIDAM semper nostra tempora inter doctissimos numeraverunt & cives & peregrinos, quos in litteris erudisset nostra Gallia, & apud se retineret. Illi patria fuit quæ LVDOVICO VIVI, Valentia, Hispaniæ civitas nobilis & dives: ubi quum primas litteras didicisset, & iam aliquid sapere cœpisset, sed patriæ sapientiæ pœniteret, Lutetiam, omnium litterarum nomine in Gallia clariorem urbem, quam olim fuerunt in Græcia Athenæ, petere illum invitavit maxime aliquot suorum civium nomen, qui præ ceteris illic in sophistice excellebant, quæ illis temporibus ubique summo erat in honore. Eo igitur se contulit adolescens iam grandiusculus: tradiditque se in disciplinam magistrorum clarissimis, sub quibus ita profecit pauculis annis, ut mox ipse docere potuerit: quatuor philosophica stadia, quæ quaternorum erant annorum, confecerit maxima cum laude. Erat enim homini statura quidem mediocris, sed valde firma latera, vox clara, ingenium acutum, acre, ut in disputationibus, quibus Lutetiæ publice privatimque philosophiæ discipuli magistrique exerceri crebro solent, ipse nemini umquam facile cederet. Sic ille inter doctissimos philosophos habitus est Lutetiæ, indeque eum amare, colere, observare multi cœperunt condiscipuli, magistri, discipuli ac alii.

Quum autem iam tandem IACOBI illius FABRI, allo-

aliorumque aliquot studio & diligentia sophisticæ istius impostura, turpitudo & inutilitas detecta esset, multique iam humanioribus se disciplinis ac seriæ philosophiæ dedissent: GELIDA novum istud genus quidnam esset, postquam aliquando degustasset, & sensisset denique, quantum temporis in nugis frustra contrivisset, puderet pigeretque, ita attente homo quadragenario iam maior Ciceronem ac reliquos Latinos auctores legere cœpit primum, ac deinde litteras Græcas adeo avide adripuit, quo Aristotelis ac aliorum veterum philosophica penitus aliquando intelligere posset; in utrisque illis litteris brevi temporis spatio tantum profecit, ut qui eius ingenium ante propius cognitum habuerant, magnum iam quiddam ab eo statim exspectare cœperint. Nam homo sapientiæ studiosissimus, & in qua, quamquam barbaris magistris, iam magnum progressum fecisset: videbatur aut Aristotelem interpretandum mox suscepturus, aut aliquid aliud etiam maius ausurus; verum tempestas nescio quæ illum alio transversum abripuit. Quum enim iam quinquagenarius cerneret in humanioribus istis studiis plerosque omnes esurire, nisi si quibus ampliora essent patrimonia: & sic, *dum nova canities*, ut ait ille, *dum prima & recta senectus*, opes aliunde parare quum constituisset, quibus se & studia sua, quod reliquum erat vitæ, sustentaret, gymnasiorum præfecturas ambire cœdit, quod earum pleræque lucrosæ viderentur, & eum non dedecerent, qui litterarum studia persequeretur. Quamvis enim rei scholasticæ cura, vix fieri possit, ut studiosi hominis otium non interpellet frequenter; aut si quis suis studiis satisfacere velit, rei scholasticæ non satis vacare queat: tamen GELIDA bonitate sui ingenii fretus, ut vir erat

ma-

magno animo, utrique se abunde satisfacturum confidebat.

Lutetiæ itaque primum ludo, cui a Cardinale conditore nomen est, præfuit: deinde Burdigalæ Aquitanico. Nam ANDREAS GOVEANUS, Burdigalensis gymnasiarcha, vir de universa Aquitania & litteris, ut si quis alius, optime meritus, homo pius, doctus, & ad regendam iuventutem omnino natus, quum in suam Lusitaniam a Ioanne rege revocaretur: & IOANNEM GELIDAM, quem tum ob mores & doctrinam, tum quod eum in philosophiæ studio magistrum Lutetiæ habuisset, unicè diligebat, rem non satis in Cardinalitio facere cognovisset, eum secum in Lusitaniam cum Georgio & Patricio Bucchananis fratribus Scotis, Nicolao Gruchio & Guilielmo Guerenta Rotomagensibus, Elia Vineto Santone, Arnaldo Fabricio Vasatensi, Ioanne Costano, Iacobo Tevio, & Antonio Mende Lusitanis (omnes hi tunc præter Patricium & Fabricium litteras, gymnasiarcha GOVEANO, Burdigalæ docebant) ducere voluit, magnis regio nomine propositis stipendiis: sed eo ut iret, nec prece, nec pretio adduci potuit. Mirum enim homo Hispanus Gallicanis moribus adsuetus, quanto odio Hispanienses prosequeretur. GOVEANO itaque, qui post biennium redire in Aquitaniam constituerat, Burdigalæ substitui maluit, ac id petiit: sicque, Lutetia relicta, Burdigalam venit mense Maio, anno a Christo nato millesimo quingentesimo quadragesimo septimo. GOVEANUS ineunte vere cum suis profectus fuerat: qui quum ante constitutum biennium Conimbricæ mortuus esset, magno Ioannis regis sui, optimi principis, omniumque, qui eius industriam noverant, desiderio: confirmatus est GELIDA a senatu populoque Burdigalensi in ludi

sui

sui præfectura: quæ illis non multo prosperior fuit, quam prior illa Parisiensis. His namque temporibus adversa multa pertulit Burdigala, frequentem pestilentiam, annonæ caritatem, & gravem civium seditionem ob salis vectigal: quæ GELIDAE rationibus non potuerunt non multum incommodare.

Denique anno Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto, quum Burdigalæ mense Iulio gravis orta esset pestilentia, & ideo Calendis Augusti coactus fuisset suos dimittere gymnasiarcha; Quinsacum secessit (vicus est supra Burdigalam in Garumnæ ripa) cum uxore, filia annos nata quatuor, & aliquot ex suis professoribus discipulisque. Alio alii, ut ab amicis invitabantur, se receperunt. Quindecim autem tunc præceptores cum gymnasiarcha habebat Aquitanica schola. Quinsacum ergo ille quum ita se recepisset, in febrim tertianam statim incidit, ex qua vix convaluit. Aegrotavit eius quoque uxor illic gravissime, & filiola: quæ quum convaluissent tandem post aliquot menses, & iam mitius ageret pestilentia, Burdigalam rediit: ubi in morbum rursus incidit Februario mense: quo morbo obiit undecimo Calendas Martias, sexagenario iam maior, multo ære alieno obstrictus, superstite filia cum uxore: & in proxima Carmelitarum æde sepultus est.

Homo autem hic quoniam litterarum omnium peritissimus erat, in quarum otio & studio totam vitam suam consumserat; qui sciebant eum prima illa barbarie, nescio quæ sophistica in Aristotelis logica emisisse, existimabant fieri non posse, quin in tanto otio vir purioris iam & solidioris doctrinæ, aliquid scripsisset, quo priora illa deleret; & de litteris, quarum studiosissimus erat, deque posteritate aliquid mereretur: & quia in lu-

lucem nihil emiserat, sperabant multi in defuncti scriniis aliquid inventum iri: sed eos sua spes fefellit. Quando enim omnia diligenter perquisita sunt, ac excussa cuncta, nihil omnino inventum eorum, quæ ab eo exspectabantur.

In eius bibliotheca hoc solum fuit: aliquot epistolarum exemplaria neglecta, humi iacentia, semilacera, pedibus contrita, a blattis, tineis, muribus corrosa, titulum habentia quædam, alia sine titulo: quæ ab eius domesticis studiose collecta, in nostras manus tandem pervenerunt. Hæ sunt illæ litteræ IOANNIS GELIDAE, quas in hunc libellum coniecimus, emisimusque contra eius exspectationem, qui eas crematas vellet, sicut Virgilius suam Aeneida. Nam certo scimus, eas ab illo non fuisse eo animo scriptas, ut aliquando typis in lucem ita exirent, & a multis legerentur. Scimus & hoc, GELIDAE nostri eam eruditionem & nomen fuisse, ut meliores ab illo litteras exspectari etiam possint, quales illum facere aliquando vidimus, quando ad eos scribebat, quos Ciceronem attentius legisse cognoverat.

Verum in hac editione me aliquid pecasse videri non possum. Primum enim de GELIDAE existimatione nihil diminuere debet partus postumus. Deinde qualescumque sunt hæ epistolæ, tales profecto mihi esse videntur, ut perquam paucos reperias, qui quantumcumque laborent, Latiniores facere possint: quare eas luce non indignas existimavi, in quibus sit, quod libenter legant Latinæ linguæ studiosi. Tum quia ex hoc libello cognoscent, hominem quadragenarium in Latino & Græco sermone adeo profecisse, invitabuntur ad simile studium, ut animum numquam despondeant ætate provectiores. Quin ex meo ingenio iudicavi, grati-

tiſſimum factum me omnibus GELIDAE amicis, innumeris iuvenibus, qui eo magiſtro cum Lutetiæ, tum Burdigalæ ſunt uſi, ſi pro doctiſſimi magiſtri ſui imagine aliqua libellum hunc habeant, quo bibliothecas ſuas ornent: & in eo partem aliquam ſui GELIDAE olim magna cum voluptate conſpiciant pro tabellæ anguſtia.

Poſtremo hoc aliquod noſtrum de patria noſtra meritum eſſe volui: quæ ſi ſe iactat de MINERVII, ALCIMI, DELPHIDII, LAMPRIDII, & aliorum eruditione, quos ex Auſonio, Hieronymo & Sidonio cognovimus litteras Burdigalæ quondam docuiſſe: cur ea, atque eius ſchola, laudes IOANNIS GELIDAE ludimagiſtri ſui non aliquando lubens audiat, ſi diutius libellus hic vivere poſſit? Adde quod animo meo non potuit non morem gerere, qui cum GELIDA tantam neceſſitudinem habui, eum ita amavi, tanti ſemper putavi magiſtrum & amicum doctiſſimum, ut eius memoriam hic reddere immortalem, ſi poſſim, cupiam. Sic has *Epiſtolas*, & paucula quædam eius *Carmina* edere viſum, poſtquam nihil erat aliud, quo poſteris teſtatum relinquere tentarem, virum tam raræ eruditionis Burdigalenſem ſcholam aliquando rexiſſe. VALE.

IOAN-

IOANNIS GELIDAE VALENTINI, BVRDIGALENSIS LVDIMAGISTRI, EPISTOLAE.

IOANNES GELIDA AMPLISSIMI VIRO, CARDINALI * BELLAIO. S. P. D.

EPISTOLA I.

PER Abbatem ſanctæ Crucis ad te litteras miſi, Cardinalis præſtantiſſime, quibus tibi de tuo in Galliam fauſto feliciqne reditu gratulabar: & a te Mæcenate meo optimo adverſus hominem barbarum & importunum auxilium petebam. Sciebam enim te nolle, ut quidquam mihi in cauſſa litterarum adminiſtranda tuo iuſſu occupato moleſtiam exhiberet. Qua in re quid ego præſtiterim, malo te ex aliis, quam ex me audire. Me certe intelliges, Cardinalis ampliſſime, omnia feciſſe in adverſa fortuna, quæ a me in ſecunda exſpectari poterant. Ad quod meum officium me tuorum præceptorum memoria iucundiſſima inflammabat: quibus obtemperare, mihi pulcherrimum & honeſtiſſimum ſemper exiſtimavi. Quæ quum ita ſint, libenter ſane facio, ut ad tuum præſidium confugiam, oremque ve-

O 2 he-

* Bellaius hic Archiepiſcopus erat Burdigalis.

hementer ut meam caussam commendatam habeas, dum gymnasio Aquitanico, publicæque iuvenum utilitati studeo. Quod ipsum eo a me maiori animo fit, quod tua præsentia, veluti numen aliquod præsens, me incitat mirabiliter, mihique dat signum, ut, contemto adversario, constanter viam persequar, quam te duce sum ingressus. Vale Mæcenas humanissime. Ex tuo gymnasio Aquitanico.

EPISTOLA II. *

FErebam æquo animo, vir clarissime, meam hanc administrandi gymnasii curam in tempora misera incidisse: idque putabam fato quodam meo fieri, ut Lutetiæ gymnasium Cardinalitium, & hic Burdigalæ Aquitanicum, summo meo labore, magnaque iactura, restituerem: sed illud me valde torquet, quod me laborantem reipublicæ caussa, & sollicitum in conservando Aquitaniæ gymnasio, diuturna & vetus ambitio non solum exagitat, sed etiam opprimere contendit. Eram ego Lutetiæ mea conditione contentus: vocatus tamen a decurionibus Burdigalensibus, & iussu Cardinalis Bellaii adductus huc veni: quem temporum calamitas, & avaritia cum ambitione coniuncta nunc misere indignisque modis vexant, quum tamen antea & de senatus auctoritate fuerim approbatus. In his meis molestiis ad te confugio, Abbas sapientissime, idemque Mæcenas humanissime, oroque vehementer, ut me & caussam litterarum respicias. Quæ educatur hoc in gymnasio, ipsa iuventus te rogat, ne tu pro tua in patriam caritate, tuoque singulari in bonas litteras amore, patia-

* Sine titulo hæc fuit. Sed ad Angerium Lantinum, consiliarium regium, & Abbatem S. Crucis Burdigalensis, scripta videtur, cuius mentio in præcedente.

tiare, se a barbariſſimo & ſordidiſſimo homine turpiter corrumpi. Hoc tuum de barbarie turpiſſima trophæum iuventus Aquitanica clariſſimum ac ſpecioſiſſimum in gymnaſio Aquitanico ſtatuet, æternæque memoriæ conſecrabit. Vale.

IOANNES GELIDA

CL. VIRO, * CANCELLARIO SAPIENTISSIMO

S. P. D.

EPISTOLA III.

IN meis moleſtiis ad te libenter confugio, Cancellarie prudentiſſime, quod totius noſtræ reipublicæ ſummam teneas: me vero velis hic Burdigalæ onus publicum in formanda iuventute ſuſtinere. Quæ tua illuſtris voluntas mihi dat animum ad perferendam omnem huius mei oneris moleſtiam: quod certo ſciam magnum eſſe viris optimis & in republica principibus placere. Ac ne a tua voluntate diſcedam, utque meo officio ſatisfaciam, his litteris a te etiam atque etiam oro, vir clariſſime, ut a me in republica litteraria difficillimis temporibus conſervanda occupato, abigas hominem, ut leviſſime dicam, bonorum litterarum ignarum & audacem: qui quum antehac huic gymnaſio inſidiaretur, nunc nactus occaſionem ex hac rerum noſtrarum perturbatione in regis voluntatem irrepſit. Quod quum præter exſpectationem acciderit, circumventus hominis inſidiis, a te Galliarum principe & moderatore optimo auxilium peto, oroque vehementer, ne hoc gymnaſium bonarum litterarum domicilium, quod tuis ſtat au-

* Oliverio Cancellario.

auspiciis, hominis impudentis barbarie contaminetur. Illud tuum beneficium longe maximum erit, quo tuum gymnasium, tuumque GELIDAM ad litteras illustrandas confirmabis.

EPISTOLA IV.

SCripsi litteras ad Cancellarium & Cardinalem Castilionensem, quibus gratum memoremque beneficii in me gymnasiumque Aquitanicum collati animum ostendo. Est quidem mea oratio tanto beneficio impar: sed tamen, quod possum, præstabo, ut beneficium immortale sempiterna memoria conservem. Ac in hac recordatione, crede mihi, inflammor vehementer ad amplificandam litterarum caussam, non tam ut officio meo satisfaciam, quam ut clarissimorum hominum voluntati de me deque litteris Aquitanicis optime meritæ respondeam. Itaque & ab officii mei ratione incitatus, & tanta divinaque meorum Mæcenatum benignitate adiutus, omnia summa faciam, ut schola hæc Aquitanica barbarissimi hominis metu liberata, caput efferat; & quum caput efferet, una suorum Mæcenatum memoriam commendet. Quod ego quum commemoro, intelligo te mihi Deum optimum maximum dedisse importunissimi mei adversarii vindicem, & scholæ Aquitanicæ amplificatorem. Nam quum te tam egregia voluntate in me iuvando, litterarum caussa, intelligam; quanti putas illud a me fieri, quod in tua extrema epistola a te scriptum est, tua officia mihi non defutura? Alii sua bona, quantum volent, prædicent: ego certe tuam in me benevolentiam studiumque in litteras omnibus rebus antepono.

IO. GELIDA * IOANNI TASTAEO S.

EPISTOLA V.

Libenter facio, ut meam caussam tuæ diligentiæ ac fidei commendem. *N.* ut tute scripsisti, me acriter isthic oppugnat. Huius hominis improbi ac ignari oppugnationi resistere constitui. Multum hac in re potest Nulliacus, ad quem per tabellarium mitto litteras, quibus oro, ut si a rege obtinuerit, ut eadem sim conditione, qua antea, ad me diploma regium mittendum curet. Et quoniam illius liberi, qui meæ curæ aliquando fuerunt commissi, multum apud patrem possunt: hos per litteras rogo, ut rem meam apud patrem agant. Scripsi præterea ad Galenum eorum famulum, a quo disces omnia, & quid tibi hac in re sit agendum. Hunc tu diligenter convenies, hunc impelles, ut pueri patrem adeant, ut rem meam illi commendent. ** Doderium audivi, qui antea eos instituebat, non amplius huic rei dare operam: quæ res facit, ut in scribendi festinatione ad illum non scribam. Tu tamen hoc totum quid sit, videbis pro nostra amicitia, meque illi commendabis. Beroaldum, si videbitur, tibi coniunges: quamquam ille mihi videtur aliud cogitare. Dat mihi crimini, quod sum Hispanus, quum sim regno donatus. Dat præterea crimini, quod uxorem duxerim: at hic *** Claudius Budinus uxorem habebat: & pæne ubique, excepta Lutetia, uxores habent gymnasiarchæ: per quas rebus domesticis consulunt. Sed quid illud fuit, quod in arcem Antonianam

* Tastæus hic Burdigalensis, Lutetia tunc medicinæ operam dabat.

** Doderius hic Parisiensis civis Burdigalæ sub Goveano docuerat anno Christi 1540.

*** Carnotensis erat hic Budinus, & sub Goveano docebat Burdigalæ.

nam fuit coniectus? Audio certe ea caussa accidisse, quod de rebus Gallicis male cogitaret, & tamen iste mihi peregrinitatem obiicit? Tu liberos Nulliaci ad patrem, si me amas & opus sit, protrahes: & cum Galeno colloqueris. Vale Burdigalæ, pridie Calendas Iunii.

GELIDA TASTAEO S.

EPISTOLA VI.

PER tabellarium, qui ad vos magnis itineribus contendebat, scripsi ad Nulliacum, qui facile rem meam potest perficere, atque, ut libentius in eam incumbat, per litteras liberos eius, & Doderium rogavi, ut meam caussam apud eumdem Nulliacum susciperent: facturos puto. Sed me tantopere pungit ambitio, ut ego te rursus etiam atque etiam orem, ne me & gymnasium hoc tempore deseras. Ad te sponte & libenter confugio: quod certo sciam, hanc rem tibi curæ esse, præsertim quum non de mea salute hic agatur, sed de caussa litterarum, quæ a te vehementer petunt, ne patiare, ut in hominis barbarissimi & ineptissimi manus incidant. Iam vero res meæ propter superiorum temporum difficultatem ita sunt adflictæ & miseræ, ut si hac caussa cadam, de me prorsus actum sit, nihilque me sit futurum miserius. Denique ex quo Lutetiam reliqui, nullus dies mihi lætus illuxit: tanta fuit rerum omnium perturbatio, ideoque fuit mihi in restituendo gymnasio laborandum. Ad cuius meæ miseriæ remedium tu unus te mihi offers, in cuius fide & benevolentia diligentiaque conquiescam. Age igitur, mi Tastæe, liberos Nulliaci & Doderium ipsum sollicita, impelle, urge, ut Nulliacum adeant, meque illi diligenter commendent. Reliqua tu ipse pro tua

pru-

prudentia & consilio moderaberis. Vale. Ex gymnasio Aquitanico, Nonis Iunii.

GELIDA TASTAEO S.

EPISTOLA VII.

QVotidie tuas litteras exspecto, ex quibus intelligam, quo pacto res nostra se habeat. Non equidem de tua diligentia dubito, sed ita me *N.* improbitas exagitat, ut valde de statu rerum mearum sim sollicitus, præsertim quum cogitem, nulla me caussa in discrimen fortunarum esse adductum. Quo magis te oro & obtestor, ut in hac mea propugnatione adversus levissimam calumniam te mihi amicum præstes & diligentem. Præsto est noster Vinea, cui ad Nulliacum eiusque liberos litteras dedi. Hoc socio & adiutore uti poteris, qui iam a me caussam nostram edoctus, tecum omnem laborem suscipiet. In eo res mihi posita videtur, ut Nulliacus caussam nostram suscipiat & defensionem. Hoc igitur unum effice, hoc præsta, ut is in caussam nostram incumbat. Habes illius liberos & Doderium, qui a te sunt incitandi: & per quos inflammatos a te inflammabitur sine ulla dubitatione Nulliacus. Hoc ego ipsum tibi commendo, & quidquid ad rem nostram pertinere existimabis.

Hic nos pestis commovet, & ipsos adolescentes metu perculsos abigit: sed ego non ita commoveor. Me certe pestilens calumnia commovet. Vale Burdigalæ, octavo Idus Iulii.

Obsignatis his litteris, accepi tuas plenas fidei ac benevolentiæ. Nunc te oro, ut ad rem perficiendam una cum Vinea nostro eam præstes diligentiam, quam te superioribus diebus adhibuisse ex tuis litteris intelligo. Vale rursus.

Constitui tandem ad Doderium scribere. Tu illius

opera ad hanc rem perficiendam utere. Si is Nulliacos apud se habet, omnia a Nulliaco patre impetrabit. Tu modo perfice, ut Doderius Nulliacos ad patrem deducat, qui me illi coram singularibus verbis commendent. Litteras Mendocæ cuidam Hispano & Dominicano curabis meo nomine apud Dominicanos reddendas. Rursus vale.

GELIDA TASTAEO S.

EPISTOLA VIII.

Nihil ad te possum novi scribere, quod ad res gymnasii nostri pertineat: sed tamen cum * Voltanus noster ad vos cursu incitatissimo proficiscatur, scribo eadem de re, ut intelligas, quantum tibi tribuam in summis meis miseriis: quæ eo sunt molestiores, quod reliquias etiam gymnasii pestilentia profligaverit. Sed me spes ipsa consolatur, ut tandem per vos tres ipsos adspicere aliquando lucem, atque homines intueri possim. Interim fac, ad me sæpe scribas, meque de rebus omnibus certiorem facias. Nihil est, mihi crede, tuis litteris neque gratius, neque iucundius. In rebus gymnasii tractandis illud unum iudico necessarium, ut Stephanus Nulliacus nostræ caussæ faveat, quod eius voluntas magnum habeat apud patrem momentum. Hoc ipsum velim, atque adeo oro, ut a vobis tanta diligentia tractetur, quanta ad obtinendam caussam adhiberi potest & debet. Non temere hoc scribo, quare facite, ut vestra diligentia nostræ caussæ idem Stephanus patrocinium suscipiat: Vale. Octavo Calendas Augusti, 1549.

* Guillielmus Martinus Voltanus, procurator urbis Burdigal.

IOANNES GELIDA
ELIAE VINETO S. D.
EPISTOLA IX.

QVum hinc discederes, res gymnasii meque ipsum totum tibi commendavi. Quod quum te memoria tenere arbitror, hoc unum superest, ut ex me intelligas, pestilentia urbem adfligi, quæ iuvenes omnes expulit. Quo magis res nostras tibi commendo, ut tua diligentia, tuaque fide aliquando respirare possint. Quidquid his in rebus optimum factu erit, vos tres prudentissime iudicabitis: quibus ego me ipsum & gymnasium Aquitanicum, quantum in me fuit, tradidi & commisi adversus hominis improbi, quem tu nosti, calumniam. Iacobum * Gupilum & Patricium Buchananum meo nomine salutabis. Illud certe velim memineris, ut aliquando apud nos sis, & tuæ nos morum suavitatis ac doctrinæ participes facias. Vale. Burdigalæ, octavo Calendas Augusti.

EPISTOLA X.

AD te de rebus meis scripsi, quas te & memoria tenere, & curare certo scio. Sed ecce, quum hæc ad te scribo, perferuntur ad me tuæ litteræ, in quibus de adventu adversarii me certiorem facis. Superest igitur, ut caussam meam defendam: erit quidem id peracerbum cum homine improbo de fortunis contendere. Sed tamen, ut potero, defendam, & rem omnem Deo committam. Interim vos isthic apud Nulliacum caussam nostram agi-

* Hic est Gupilus ille Picto, vir doctissimus.

agite, & apud eos, qui aliquid posse. videbuntur. Vale Burdigalæ, tertio Nonas Augusti.

EPISTOLA XI.

ACcepi tuas litteras molestiæ plenas, quibus scribis, *N*. rem suam confecisse. Verum ne sic quidem homini cedam: experiarque, quantum iuris, illius calumnia habeat. Quod si, ut nunc hominum vita est, secundum illum iudicetur: illud me certe consolabitur, me non meo scelere aliquo, sed adversarii improbitate eiici. Nos hic quidem pestilentia exagitat: me vero *N*. furor. Tu fac, ad me sæpius scribas, Patricioque me commendes. Vale. Burdigalæ, tertio Nonas Augusti.

IOANNES GELIDA

STEPHANO NVLLIACO

S. P. D.

EPISTOLA XII.

SCripsi ad te sæpe, meamque caussam per litteras tibi commendavi: quam apud patrem tuum Mæcenatem meum ageres. Quod etsi te fecisse non dubito, tamen ita me urget huius rei sollicitudo, ut te per litteras rogare sæpe audeam: ne mihi in articulo desis. Novi tuum erga me animum, quantoque opere olim mea caussa sollicitus esses. Eodem te in me esse animo existimo, præsertim in hac re, quæ ad salutem meam pertinet. Fac igitur, ut pater meam caussam suscipiat honestissimam adversus *N*. calumniam, qui iamdiu huic gymnasio insidiatur. Ego vero ex quo Burdigalam veni, in omnium rerum miserias incidi, dum gymnasium

sium Aquitanicum adversus temporum fluctus conservo. Et nunc *N.* sola adductus ambitione, me hostiliter insectatur benemeritum de republica. Quare te rogo, ut mei meæque salutis memineris. Quod ego a te impetratum putabo, si per te vir clarissimus, pater tuus optimus, animum ad meam caussam adiungat. Vale. Budigalæ, octavo Calendas Septembris, 1549.

IOANNES GELIDA
ELIAE VINETO S.
EPISTOLA XIII.

LVdovicus Sanctogelasianus, Lansaci dominus, & ego, quum de te loqueremur, in eum devenimus sermonem, ut ille a me peteret cubiculum, in quo tu cum eius filio commode habitares. Respondi me facturum libenter & illius & tua caussa. Nunc superest, ut tu de redeundo cogites, & a me omnia exspectes, quæ ab amicissimo exspectari possunt, quum tui mores tuaque doctrina valde placeant. Rohardus, qui unus ex præceptoribus nostris ad nos redibit, te adloquetur isthic, ut eo itineris socio uti possis. Quod si isthic vir aliquis bonus sit & bene doctus, cuius opera in instituenda iuventute gymnasio utilis esse possit, te oro, ut tua oratione tuaque auctoritate ad nos pertrahas. Faciam, quod tu cum eo ipso transiges. Hac in re a te & Tastæo nostro fidem vestram imploro, ut mihi & gymnasio Aquitanico opem feratis. Patricium meo nomine rogabis, ut in hanc caussam incumbat: facturum puto. Pestilentiæ vis se frangit. * Brino ut ad nos pervenit, obiit. Magnum in eo homine patronum amisi: sed me innocentem Deus optimus maxi-

* Brino tertius ex senatus principibus.

ximus adverſus importunos tuebitur. Vale, Burdigalæ quinto Calendas Septembris, 1549.

IOANNES GELIDA

CL. V. DOMINO POMPADORE, CONSILIARIO REGIO, SVPPLICVMQVE LIBELLORVM IN REGIA MAGISTRO.

S. P. D.

EPISTOLA XIV.

Debet quidem ſuam tibi ſalutem gymnaſium Aquitanicum, vir ampliſſime: eoque, quamdiu ſpirabit, te auctorem ſuæ ſalutis, te Mæcenatem fatebitur. Sed inſultat adverſarius, maleque tractat tuum gymnaſium: quod me, qui in eo conſervando hac præſertim temporum difficultate valde laboro, domo eiicere, & meorum laborum fructu privare contendat. Ac ut ſuam ambitionem, qua iamdiu fervet, ferturque, prodat, hoc clamitat: me uxorem duxiſſe Hiſpanam. A me non eſt ex Hiſpania uxor quæſita, ſed oblata cum ſexcentis coronatis in gymnaſio Cardinalitio: quos omnes gymnaſii cauſſa & litterarum inſumſi propter ſummam rerum omnium difficultatem, in quam eo tempore incideram. Deinde uxor etſi Hiſpana eſt, tamen ſuorum maiorum exemplum ſequuta, una mecum ſplendori nominique Gallico ſervire optat. Quod ſcelus hoc tantum eſt, ſi mulier Hiſpana ſuorum imaginibus adducta cum viro ſuo ſe in Galliæ poteſtatem dedat? Verum, ut aperte loquar, non eſt hic ullum vel meum, vel uxoris crimen, ſed adverſarii furor, qui ut ſuæ veteri ambitioni ſerviat, tragoediam in re levi concitat.

Qua-

Quare a te peto, Mæcenas humanissime, ut me adflictum, & per iniuriam exagitatum, litterasque ipsas respicias, ne in potestatem hominis barbarissimi & importunissimi deveniat. Sic profecto efficies, ut per te gymnasium Aquitanicum restitutum, tuo quoque præsidio sua ornamenta consequatur. Vale, vir clarissime. Ex tuo gymnasio Aquitanico, quarto Calendas Septembris, 1549.

GELIDA TASTAEO S.

EPISTOLA XV.

TVAM fidem hoc summo meo tempore a te requiro, petoque vehementer, ne mihi sollicito & laboranti desis pro tua in litteras tuumque GELIDAM benevolentia. Meæ petitionis duo sunt capita. Vnum tibi commendatum, curæque esse scio: sed tamen *N.* importunitas me impellit, ut te sæpe per litteras rogem, ne patiare, quoad poteris, me per fraudem & ambitionem opprimi. Qui quum nihil habeat, quod obiiciat, suis nugis hominum auribus abutitur. Duxi, inquit, uxorem. At uxorem d[illegible]ce[illegible]e extra Lutetiam in omnibus omnium civitatum scholis probatissimum est. At mea Hispana est, in eoque putat homo argutus se aliquid dicere. Est certe Hispana, verum non est a me ex Hispania quæsita, sed cum sexcentis coronatis in gymnasio Cardinalitio oblata: quos ego insumsi, ut illud gymnasium sustentarem eo tempore, quo fame, bello & peste erat oppressus. Deinde Poblacio Lutetiæ regius mathematicarum artium professor, uxoris meæ erat avunculus maternus. At Lerma, theologus certe pius ac doctus, eiusdem erat avunculus paternus: qui defunctus est, Sorbonæ theologorum decanus; quum alter Poblacio obiisset Aureliis. Quod igitur tantum est hoc crimen in uxore Hispana, cuius pecu-

cunia gymnasium Cardinalitium sustentavi, cuiusque maiores maiestati Gallorum regiæ servierunt? quod idem quemdam ex maioribus meis fecisse comperio. Non igitur hanc tragoediam excitat uxor, sed *N.* vetus ambitio. Leo Albertus, homo theologus, mihique amicissimus, qui gymnasium Cardinalitium tenet, apud se liberos habet domini Ludæ, qui apud nos regis est legatus. Ad hunc litteras misi, quas tu, velim, illi reddas, tuaque oratione incites, ut legatum regis per litteras ad caussam adiungat. In eo magnum erit momentum, si *N.* mecum experiri iure cogitet. Quare te oro, ut mea caussa Leonem Albertum adeas, unaque tecum nostrum procuratorem ad hominem impellas, ut vestra sollicitudine inflammatus in meam caussam incumbat, cui & bene cupit, & prodesse plurimum potest. Hoc etiam atque etiam a te peto, pluribusque verbis peterem, nisi iam te intelligere existimarem, rem magnam in eo positam, ut hic Burdigalæ meam caussam meumque ius legatus regis defendat. Venio ad alterum petitionis meæ caput: quod vehementer quoque ad me & gymnasium Aquitanicum pertinet. * Horstanus Montanorum præceptor, munere docendi supersedebit, fortasse perterritus nostrorum temporum calamitate. Sed quoniam meliora omnia speramus, te rogo & oro, ut tua diligentia tuaque fide efficias, ut alius eius loco succedat, qui & vitute & doctrina præstet. Quod promittes, effectum dabo. In eo fac te virum, & mihi amicum ostendas. Non ignoras, hic carmen in primis requiri. Pecuniam ego per mercatorem quemdam, qui ad vos proficiscetur, curabo. Tu vero facito, ut tua prudentia me magnitudine stipendii liberet. Ea enim res me evertit, quum multi sint, quibus stipendium enumerem, & tamen pauci sint, qui stipendia publica offerant: & inte-

te-

* Horstanus hic homo erat Germanus.

terim temporum conditio sit periniqua, sed tu facito, uti tempus resque ipsa postulabunt. * Blondus, qui has tibi reddet, morte patris ad suos revocatur. Huius quoque loco quærendus isthic est, qui secundanos instituat. Res erit fortasse difficilis: sed amabo te, ne me hoc tempore deseras, quo ad tuam fidem confugio, & tuam opem imploro. Hoc profecto tuum beneficium erit maius, quod a te uno res nostras ac rationes suspensas habeam. A Blondo equum accipies, qui ad præceptores huc mittendos usui esse poterit. Denique me totum tibi commendo ac trado. Vale. Burdigalæ, pridie Calendas Septembris.

IO. GELIDA IOANNI TASTAEO S.

EPISTOLA XVI.

TE rogavi per litteras, ut ad nos primum aliquem grammaticum mitteres. Hoc labore velim supersedeas, quod Horstanus mihi fidem dederit, se proximo anno apud nos mansurum. Blondus incertus erat consilii, quum hinc abiret: si illius rationes non patiuntur, ut ad nos redeat, facito, te oro, ut habeamus virum bonum & doctum, qui illius loco secundi ordinis iuvenes doceat. Vinetum meo nomine salutabis, monebisque, ne nostram de se exspectationem fallat. Veniet, crede mihi, omnibus exspectatus. Peltarius sese mihi obtulerat, qui hoc tempore Burdigalæ agit apud senatorem quemdam: sed ego Vinetum nostrum opposui. Itaque Peltarius Vineto cessit, quod ipse me fefellisset, & ego Vinetum semper amaverim. Vale. Burdigalæ, pridie Nonas Septembris.

* Blondus Belga erat Ambianensis.

IO. GELIDA ELIAE VINETO S.

EPISTOLA XVII.

OMnes tuum reditum exspectant, egoque in primis, qui tua consuetudine valde delector. Hoc ipsum Lansaci dominus expetit, uti ex eius oratione intellexi. Quare si me amas, si tui desiderio vis satisfacere, te rogo, ut ad nos quamprimum redeas. Eris, mihi crede, omnibus gratissimus propter tuam virtutem, & propter singularem morum integritatem. Peltarius ad me nuper Pictavis rediit: cui ut te anteponerem, fecerunt & mea fides, & mea in te benevolentia. Si quid erit, ut certe erit, in ipso itinere dispendii, ego bona fide sarciam. Vale. Burdigalæ, sextodecimo Calendas Septembris.

GELIDA TASTAEO.

EPISTOLA XVIII.

TAbellario homini & amico & honesto commisi negotium numerandi tibi duodecim nummos aureos, & præterea semissem. A te peto, ut rem tua prudentia modereris, quum probe scias, in quantam difficultatem devenerim. Si maiori pecunia opus sit, ego eam, cui videbitur, postea dependam. Interea curato, ad nos Elias Vinetus cum altero præceptore in tempore huc veniat. De præceptore grammatico iam antea ad te scripsi. Hunc, velim, ad nos mittas & bonum & doctum, qui secundum ordinem recte instituat. *N.* ad me per quemdam scribendum curavit, se velle ea conditione transigere mecum, ut dimidium stipendii & totius emolumenti a me accipiat. Haud stulte sapit. Ego ipse profe

cto minori meorum laborum fructu essem contentus: sed, ut est insanus, ingentem animo quæstum concepit: putatque apud nos omnia esse aurea & fructuosa. Tu hoc, velim, apud te contineas: & per amicum aliquem illum terreas, ne se falso quæstu decipiat, neve se in eum locum temere coniiciat, ex quo postea se non possit explicare: non hic defuturos, qui meam caussam defendant, & illius iniuriam propulsent. Sed hæc omnia tu prudenter ages. Nam nobis cum homine turbulentissimo & astutissimo est negotium. Vale. Sextodecimo Calendas Septembris Burdigalæ.

GELIDA TASTAEO.

EPISTOLA XIX.

BLondus ad nos rediit, a quo sex coronatos accepi. Nam reliquam pecuniam in viaticum insumsit: quod æquo animo fero, ne se aliis postponi putet. Quod si pecuniam tu retinuisses, nec id mihi molestum fuisset, quum me tibi plurimum debere sentiam, & tua in me maxima constent beneficia. Sed de his hactenus, maior enim est nostra amicitia, quam ut hæc inter nos commemorari debeant. Hoc unum velim ex me intelligas: quidquid est in rebus meis, id iure quodam tuum esse. Arbitror te nihil de petitione certi habere, quod me ad Blondum omnium rerum nostrarum incertum reiicias: sed scito *N.* de concilii sanctioris sententia esse reiectum, ut nihil iam habeat, quod accuset, præter suam ambitionem, & temeritatem præcipitem ac præproperam, qui suas cogitationes inanes rebus suis certis anteposuit. Abeat nunc, & aliud gymnasium cogitet. Qua in re agnosco tuam benevolentiam, quum mea caussa omnia summa feceris. Itaque omnia mea officia ac studia in te exspe-

ctare potes, & debes. Vale. Burdigalæ, septimo Calendas Novembris, 1549.

GELIDA VINETO S.

EPISTOLA XX.

MISI ad te litteras superioribus diebus, quibus a te magnopere petebam, ut ad nos quam primum venires. Venies, mihi crede, exspectatus, meque magna sollicitudine liberabis. Deinde, ne alicuius offensionem timeas, a domino Lansaci obtinui, ut apud nos hac hieme sine illius liberis esses: idque & mea & gymnasii caussa impetravi. Quare rursus te oro etiam atque etiam, ut meæ, atque adeo omnium exspectationi satisfaciamus; quæ tanta est, ut sine te vitam nobis acerbam putemus. Vale. Burdigalæ, pridie Calendas Novembris.

IO. GELIDA ELIAE VINETO S.

EPISTOLA XXI.

SAepe ad te scribo, rogoque per litteras, ut ad nos venias: nec tamen quidquam de te ad me perfertur. Itaque statueram ad te meum puerum mittere, ut de tua voluntate m certioreme faceres: sed consilium mutavi, quod tabellarius Engolismensis rem hanc in se recepit, ut de tuo adventu deque nostra tui exspectatione ageret. Ego vero quanti te faciam, vel ipse dominus Lansaci testis esse potest, a quo magna contentione impetravi, ut tu hac hieme apud nos esses sine illius liberis. Quod quum in tua potestate sit, a te peto, ut hoc nobis des, qui tui sumus amantissimi: hoc des Musis Aquitanicis, quæ te iamdiu summo desiderio ex-

exspectant. Iam iuvenes ipsi nihil vehementius expetunt, quam ut tua doctrina tuisque moribus frui possint. Quare si quis locus apud te meis precibus relictus est, effice, amabo te, ut quamprimum ad nos venias, nostroque tui desiderio satisfacias. Vale. Ex gymnasio Aquitanico, Nonis Novembris, 1549.

IO. GELIDA IOANNI TASTAEO S.

EPISTOLA XXII.

DE quodam Brolardo mihi per litteras Elias noster mentionem fecit: qui quoniam doctus est, velim ad nos veniat; ut si quis ex præceptoribus vel in morbum incidat, vel mutet sententiam, habeam quem possim substituere. Non ignoras, quam sit hæc res necessaria, in hoc præsertim gymnasio: quod quum per me sartum tectum esse debeat, facile tamen ad rimam aliquam patet, nisi a me diligenter provideatur. Tu si hominem habeas paratum, facito me per tabellarium certiorem, ac pecuniam mittendam curabo. Puto te iam tenere, quem exitum habeat fabula. Fac, ut per tuas litteras possimus ridere. Nam hic ego negotiis districtus nihil habeo, quod rideam, nisi a te fuerim provocatus, præsertim quum facetus sis & lepidus, & hominis mores isthic perspectos habeas. Vale. Burdigalæ, septimo Idus Novembris, 1549.

De grammatico te rogavi: nunc a te vehementer peto, mittas ad nos dialecticum, in quo petendo mihi sunt primani valde molesti. In eo igitur fac, ostendas, quanti me facias.

GE.

GELIDA VINETO S.

EPISTOLA XXIII.

LItteræ tuæ pergratæ mihi fuerunt, etsi teipſum potius, quam litteras tuas exſpectabamus. Quare a te etiam atque etiam contendo, ut ad nos quamprimum venias. Atque ut intelligas, quantopere tua præſentia egeamus, mitto Engoliſmam ad te Arnoldum Landrium civem tuum Berbezilienſem, ut te ad nos tui cupidiſſimos deducat. De ſupellectile, æque rebus aliis domeſticis ne ſis ſollicitus, ego ea omnia bona fide curabo. Denique me eo animo in te eſſe exiſtima, ut nihil ſit, quod tua cauſſa non cupiam propter tuam virtutem, qua ego vehementer delector. Itaque noli mihi tuam adverſam valetudinem proponere. Malo enim iſtud ipſum, quod præſtare potes, quam aliorum magnifica verba, tuamque rationem ſimplicem aliorum oſtentationi antepono. Vale. Burdigalæ, ſextodecimo Calendas Decembris.

Peltarius quidem eſt Burdigalæ, uti ſcribis: ſed tamen, mihi crede, hoc gymnaſium te unum exſpectat.

EPISTOLA XXIV.

PERgratum mihi fuit, quod ad me de Brolardo ſcripſiſti: in eoque me tibi multum debere intelligo. A te peto, ut hominem retineas: ut ſi forte ad nos venire conſtituerit, ego ad vos pecuniam mittam; ſed vide, te oro, ut ſit in carmine faciendo ſic exercitatus, ſicuti vetus gymnaſii diſciplina poſtulat: quod ipſum cum Tacito noſtro velim communices, ut res veſtro iudicio confirmata ad publicam utilitatem ſit acommodatior. Magna exſtant tua erga me beneficia: ſed tuus iſte labor in iuvanda republi-

blica tanto erit illustrior, quanto publica privatis & honestiora & ampliora censentur. Mitto sedecim coronatos, ut una Brolardus tuus veniat cum dialectico aliquo, quem hic primani valde requirunt. A te peto, ut in hac re cum Tacito nostro diligentiam adhibeas. Sumtus viatici reliquos ego hic rependam. Vide, ut ad nos quamprimum protrudas.

IOANNES GELIDA

IOANNI TASTAEO S. P. D.

EPISTOLA XXV.

PErscriptis ad te litteris venit mihi in mentem ad te per tabellarium mittere pecuniam, ut primo quoque tempore ad nos dialecticum mittendum cures, hominem bonum, quique in explicando Aristotele Latine loquatur. Hac in re consules amicos nostros Eliam & Barsium, & eos, qui pro tua virtute tibi sunt coniunctissimi. Conditio, per me licet, sit honestissima: modo sit is, quem mittis, ea conditione dignus. Honestissimam vero existimo quinquaginta coronatorum: sed tu homo frugi videbis, & quid optimum sit factu, & quid gymnasio utilissimum. Malo enim, & ut tu in eam partem pecces, ut ego gymnasii publicæque utilitatis caussa grandem pecuniam dependam, quam ut quidquam detrahatur de commodis iuventutis, lucri caussa. Elias noster ad me scripserat de Brolardo quodam. Hic, velim, una cum dialectico veniat: inque viaticum mitto sedecim coronatos. Quod erit præterea insumtum, ego id bona fide dependam: tuque, si me amas, hoc perficias, ut se in viam dedant quamprimum. Quod transegeris cum illis, ego hic præstabo. Vale.

GE-

GELIDA TASTAEO S.

EPISTOLA XXVI.

* ARchangelus mihi gratus fuit, & quia a te missus, & quia diu exspectatus; non dubito, quin iuventuti nostræ sit se probaturus, quum tute intelligas, in huius gymnasii præceptoribus & mores & doctrinam requiri. Quo ego te vehementius oro, ut me, atque adeo rempublicam Burdigalensem iuves. Magnum est tuum iudicium, magna tua erga nos benevolentia, & diligentia non mediocris. Hæc omnia, si nos amas, velim adhibeas, quum ad nos præceptores mittes. Quod in eam partem dico, ne ad nos Trollardum mittas, quod in carmine faciendo non sit exercitatus. Hic vero poesis in præcipuis grammaticis requiritur. Quare illius loco aliquem velim habeas bonum poetam, si quem isthic nancisci possis: quem ad nos Hilaribus mittas, & una cum eo grammaticum aliquem mediocrem, in docendo diligentem & industrium. Magna peto, sed omnia sunt in tua virtute posita; curabo ego pecuniam. Interim amabo te, & omnia gymnasia, omnesque angulos Lutetiæ excute, ut Burdigalæ satisfacias. Sed audi. Quid? Hoc ipsum, quod tua sponte intelligis: viri sint boni & faciles, & ad docendum iuventutem promti. Nam isti superbi, & qui se aliquos esse putant, non tam eo animo huc veniunt, ut doceant, quam ut suæ cupiditati serviant. Quare si qui sint iuvenes bene instituti & alacres, hos ego morosis & negligentibus anteponam. Nec tamen omnino iuvenes approbem, ne propter ætatem aliquid de dignitate detrahatur. Hac in re ne te Galandianis committe, quorum dux in me odium

ex-

* Italus hic erat, & philosophiæ professor.

exercet & inimicitias, ex quo iuventutem instituendam suscepi. Denique omnia sunt in tuo iudicio, in tuaque fide, cui me libenter committo. Ad alios non scribo, quod has ad te in summa festinatione mittam. Pecunia fratri tuo reddetur quamprimum: ac fratrem tuum parvulum libentissime complectar, ut tuis in me meritis respondeam. De homine officioso & amicorum cupidissimo recte sentis; ego certe bonam illi mentem precor, ne res suas amittat, dum alienas temere & ambitiose captat. Vale. Burdigalæ, undecimo Calendas Ianuarias, 1549.

EPISTOLA XXVII.

Constitueram ad te longam epistolam mittere de rebus nostris: sed *tabellarius* urget, mihique scribendi otium abrumpit. Summa hæc est: tua diligentia atque industria mihi opus est: ut ad me mittantur isthinc præceptores, homines honesti & docti, quique ad instituendam iuventutem sint paratissimi. Nolo istos iactabundos, qui stipendia maxima requirunt, & interim iuventutem negligunt. Eos valde velim, qui, quum mediocri stipendio sint contenti, pro fama & nomine sibi elaborandum putant, ut auditoribus satisfaciant. Hos ipsos isthic obtinebis, si per otium rem pervestiges: gymnasia, atque adeo angulos excutias diligenter; quod ego te mea & gymnasii Aquitanici caussa facturum puto. Itaque ad Calendas Octobris velim paratos habeas præceptores duos, unum dialecticum, alterum primum grammaticum, eosdemque Gallos, qui me meo labore in triclinio & sacro sublevent. Interim magno me beneficio adficies, si ad Hilaria mittas doctum aliquem hominem, qui secundo ordini præsit. Nam Blondus *σπασιάζει*.

Scripseram ad te de altero: sed hic nobis satis erit; nisi forte occasio ipsa ad nos alterum impellat. Pecunia

mihi interim curæ erit. Archangelus suis valde placet, in eoque tuam veterem benevolentiam in nos agnosco, proboque tuum iudicium. Vale. Burdigalæ, quarto Idus Ianuarii.

GELIDA TASTAEO S.

EPISTOLA XXVIII.

MItto ad te quindecim nummos aureos: quos simul atque acceperis, isthinc velim expedias doctum aliquem hominem, qui secundum ordinem recte instituat. A te vehementer peto, ut in eo ostendas, quanti me statumque gymnasii Aquitanici facias. Res valde urget, eoque magis ad tuam fidem & diligentiam confugio. Puto te iam tenere, quantopere hac in re celeritate opus sit. Quare rem tibi commendo; quæ ita posita est in tua diligentia, ut me possis quamprimum maxima hac sollicitudine liberare. Fratris tui studia mihi curæ sunt. Vale. Pridie Calendas Februarii.

IO. GELIDA IOANNI TASTAEO S.

EPISTOLA XXIX.

MItto litteras ad procuratorem nostrum, & advocatum Lanam * de rebus meis. Has mea caussa, velim, ad eos perferendas cures. Secundus grammaticus nondum ad nos pervenit. Frater tuus est egregia indole, & natura permodesta. Huic ipsi tua caussa mea officia detuli: neque umquam deero in iis rebus, in quibus meum studium desiderari poterit. Versatur nunc in quarto ordine & magno cum fructu, quantum ego

* Lana, advocatus Burdigalensis.

ego ex illius themate perspicere potui. Itaque scito mihi magnam spem esse de tui fratris studiis, quae ego mea cura iuvabo diligentissime. Vale. Burdigalæ, tertio Nonas Februarii.

GELIDA TASTAEOS.

EPISTOLA XXX.

Nihil habeo, quod ad te scribam hoc tempore, quo a te tuas litteras & secundum grammaticum exspecto: verum tabellarii occasio me impulit, ut te rogem per litteras, quod tibi curæ esse non dubito, & antea per advocatum Lanam a te vehementer contendi, ut per otium scilicet isthic inquiras, quos possis ad Calendas Octobris ad nos mittere. Multum in eo tua fides ac diligentia rationes nostras iuvabunt. Vale. Ex gymmasio Aquitanico, septimo Idus Februarii.

EPISTOLA XXXI.

Pervenit ad nos Ramasæus & modestiæ & litterarum nomine gratissimus. Quæ res facit, ut quoties illum ac alios, quos ad me misisti, intueor, toties de tua virtute, deque tuis in me atque gymnasium Aquitanicum meritis cogitem. Ac ut in re aliqua ostendam, quantum me tibi debere sentiam, fratrem tuum in numerum convictorum post pascha referam, ut ego tua caussa illum & re & consilio iuvem. Denique me totum tibi ac tuis debere fateor: quod ego tibi non tam verbis, quam re ipsa præstabo. A te vehementer peto, ut meæ litteræ procuratori nostro ac Lanæ reddantur. Vale. Burdigalæ, Calendis Aprilis.

IO. GELIDA IOANNI TASTAEO S.

EPISTOLA XXXII.

QVOD a te per litteras petii, ut ad nos ante Calendas Octobris præceptores mitteres, id ego nunc a te vehementer etiam atque etiam peto: ut meis litteris admonitus, de ea re cogites interea: omniaque mea & gymnasii caussa facias. Qua in re illud efficias velim, ut sine grandi stipendio per te honestos præceptores obtineamus. Enecat me, crede mihi, stipendiorum magnitudo. Quod nisi tua prudentia ac diligentia singulari effectum sit, ut mediocri tolerabilique stipendio apud me præceptores doceant, necesse est oneri succumbam, præsertim quum multis incommodis fractus ac debilitatus, vix dum respirare possim. Quare, mi Tastæe, hanc in rem incumbe, hoc effice, hoc mihi præsta, ut ego sine iactura rerum mearum possim gymnasio consulere. Multi isthic latitant viri boni & docti. Hos tu tua prudentia ad gymnasium hoc protrahe. Multi novarum rerum sunt cupidi, & novarum regionum cupiditate tenentur: fac igitur, ut tua oratione adducti hoc gymnasium ament. Hanc rationem si adhibeas, litteras ac patriam ornabis, meque recreabis defessum. Atque ut tecum aperte loquar, primum opus est dialectico, qui Aristotelem potissimum teneat, & humaniorum litterarum non sit ignarus. Hunc velim antea moneas de officii ratione, ut sacro intersit & triclinio, suaque præsentia iuventutem contineat: quod etsi ego facio, tamen dialectici partes sunt, anno primo iuventuti præesse: quod isthic Lutetiæ dialectici omnes faciunt. Hoc in eam sententiam dico, ne hic solutum se legibus putet, quem ad nos mittes. A te præterea peto primum aliquem grammaticum, qui

pri-

primum ordinem honeste ac docte ducat. Nosti, quem hominem hic in prima classe requiramus, exercitatum scilicet in faciendo carmine, & edendis fabulis. Huic & dialectico par conditio esse debet triginta coronatorum: quamquam primus grammaticus maiori conditione videatur dignus. Verum hoc tuæ prudentiæ fuerit: unum tamen hoc videto, ne conditio sit quadraginta coronatis maior. Ramasæus est sane dignus primo ordine: sed quoniam primis ordinibus prospectum esse debet diligenter propter ordinum vicinitatem & contentionem; existimo e republica esse, ut suum locum Scotus teneat, & primo ordini præficiatur vir aliquis insigni doctrina præditus. Magna peto: sed maiora efficit tua prudentia cum diligentia coniuncta. Præter hos vellem duos mediocris doctrinæ homines, qui mediocres ordines ducerent plausibiliter. Quod ut a te fiat, excutere debes gymnasia, in quibus sunt iuvenes honesti & docti, qui facile ad conditionem viginti coronatorum tua admonitione pertrahi possint. Denique res meas, meque ipsum tuæ fidei, prudentiæ, diligentiæ committo. Frater tuus apud me in cubiculo Ramasæi agit, eius caussa quum omnia fecero, numquam tamen mihi videbor minimæ parti tuorum erga me meritorum respondisse. Vale. Burdigalæ, tertiodecimo Calendas Iulii, 1550.

Rem nostram velim tractes prudenter, ut soles omnia.

GELIDA TASTAEO S.

EPISTOLA XXXIII.

QVI tibi has reddet, iuvenis est perhonestus, qui ad vos proficiscitur, ut in hoc gymnasio inchoata isthic audiendis summis viris perficiat. Duce aliquo opus est, qui commoditates rerum, & viam, quam in-

ingrediatur, commonstret. Præter te, qui melius hoc faciat, habemus neminem. In eo non solum homini tibi amicissimo, sed etiam civi tuo beneficium dabis. Quod tibi nuper per nuntium in caussa præceptorum commendavi, rursus ita tibi commendo, ut maiori commendatione non possim. In eo mihi posita sunt omnia, ut ad me honestissimos præceptores, & quam minimo possis stipendio, mittas. Nihil est, quod tua prudentia & industia non perficias. In gymnasio Cardinalitio, * Burgensis quidam docet, iuvenis, ut mihi videtur, ad nostram inventutem instituendam idoneus. Tu litteras Blondi homini reddes: ac cum eo quamprimum, si possis commode, transiges. Sed velim, primum explores, quæ sit de illo hominum opinio, utque munus suum obeat. Vale. Ex gymnasio Aquitanico, decimo Calendas Iulii, 1550.

GELIDA TASTAEO S.

EPISTOLA XXXIV.

NIhil est necesse rem meam tibi homini amicissimo sæpe commendare: quod certo sciam mea omnia tibi esse commendatissima: sed quum ** Soroetanus ad vos iret, facere non potui, quin de caussa, quam ad meas rationes valde pertinere non dubitas, mentionem facerem, & una hominem amicum tibi commendarem. Est, mihi crede, propter summam virtutem, summamque modestiam tua dignus benevolentia: qui tantum apud nos, atque adeo ipsos adolescentes valuit, ut præceptoribus carus fuerit, & turbulentos sæpe oratione sua represserit. Eum ita velim ames, ut se meo nomine a te amari intelligat. Vale. Septimo Calendas Iulii, 1550.

GE-

* Burgesium hic se appellabat, & Parisiensis erat. ** Soroetanus Balonensis.

GELIDA TASTAEO S.

EPISTOLA XXXV.

EXspecto tuas litteras, ex quibus intelligam, quid de rebus meis, quas tuæ fidei commisi, sit sperandum: quamquam nihil est, quod te auctore fieri posse dubitem. Quum vero tuas litteras accepero, tum demum re magis comperta & explorata, quid mihi optimum factu videatur, declarabo. Interea, uti valde confido, tu mihi rem isthic conficies: ut per te & mihi & gymnasio Aquitanico optime sit consultum, & quam possis minimo. *N.* Liburniæ emortuam scholam excitat, nobisque cladem minatur: sed hominis minas contemno: qui quum a me impetrare non potuerit, ut apud nos esset, ad venandas muscas se convertit. Satis superque fui circumventus. Non committam posthac, ut mea fide astuti homines abutantur. Quod ego eam ob caussam ad te scribo, ut magis ad sublevandam meam sollicitudinem exciteris. Vale. Burdigalæ, quinto idus Iulii, 1550.

Te Ramasæus & frater tuus salutant.

IO. GELIDA IOANNI TASTAEO S.

EPISTOLA XXXVI.

QVanta res non modo mea, sed publica, agatur in tua de mittendis præceptoribus procuratione, & tua sponte intelligis, & ego tibi per litteras declaravi: sed facit fides tua iamdiu mihi perspecta, ut ego, deposita omni sollicitudine, in te uno secundum Deum conquiescam. Nihil enim futurum est in hac re tam difficile, quod tua benevolentia, certo scio, mihi non

præ-

præstet. Vti debes tuorum amicorum etiam communium diligentia & fide, ut id, quod cupimus, adsequamur. Quare quum tuam prudentiam in hac re perficienda explicaveris: fac ad eos diligenter adeas, qui tibi de re honestissima, & amici, atque adeo reipublicæ caussa laboranti adiumento esse possunt. Isthic est Doderius rerum nostrarum cupidus, qui se facile tibi socium adiunget, utriusque nostrum caussa; omnia tamen tibi tribuo, & te uno duce sum contentus, quod nihil tua fide neque certius neque gratius habeam. Vale. Quartodecimo Calendas Augusti, 1550.

IO. GELIDA IOANNI TASTAEO S.

EPISTOLA XXXVII.

SOroetano hinc discedenti mandatum dederam, ut ad me quasdam perscriptiones mitteret: quod haud dubie ille faciet, si per te reditum ad nos tabellarii intelligat. Itaque tu illum monebis, ne uterque nostrum hac occasione excludatur. Negotium meum, atque adeo publicum tibi commendo: in quo non solum gymnasii Aquitanici dignitas, sed etiam salus posita est. Hoc se tuæ fidei committit, teque unum nominat, ut ad tuum præsidium, tuamque humanitatem confugiat. Hoc te valde rogat, ut suæ calamitatis tu rationem habeas, quem aliquando in suo sinu humaniter continuit, & aluit. Alia multa summo cum dolore hoc gymnasium te unum spectans pronuntiat: quæ ego libenter ad te scriberem, nisi tabellarius stans coram, me & litteras exspectaret. Vale. Tertiodecimo Calendas Augusti, 1550.

GE-

GELIDA TASTAEO S.

EPISTOLA XXXVIII.

AD tuas litteras scriptas Nonis Augusti, sic habeto. Mediocres ordines intelligo tertium & quartum. Cum dialectico nisi transegeris, velim transigas cum Textore quodam, qui habitat in gymnasio Rhemensi. Is enim suam mihi operam per amicum quemdam detulit. Laborem in obtinendo primo grammatico, fac veluti alter Hercules exantles. Propediem ad te mittam quinquaginta coronatos. Vale. Burdigalæ, quartodecimo Calendas Septembris.

Vide & cura, te oro per amicitiam & caussam publicam, ut tertius & quartus homines sint plausibiles, & docti.

GELIDA TASTAEO S.

EPISTOLA XXXIX.

NVper rescripsi ad ea, quæ velle scire videbaris, opus mihi esse tertio & quarto grammatico, qui exspectationi iuventutis nostræ satisfaciant. Dialecticum in promtu habes, Textorem quemdam, qui est in gymnasio Rhemensi. Eius voluntate & opera uti velim. Summa est, uti intelligo, in primo grammatico contentio: sed quum tua fides tuaque benevolentia in mentem veniunt, magno sum animo, speroque futurum, ut proximo anno gymnasium Aquitanicum per te optimos habeat iuventutis duces. Pecuniam curabo in tempore. Vale. Burdigalæ, tertiodecimo Calendas Septembris, 1550.

GELIDA TASTAEO S.

EPISTOLA XL.

MItto ad te per Blondum quinquaginta aureos Hispanicos, quos isthic quadraginta quinque asses valere audio. Tu illis utere pro tua prudentia. Hoc unum a te contendo, ut isthinc præceptores ad nos quamprimum extrudas, ne nobis ad Calendas Octobris in mora sint. Qui si ii sint, quos esse existimo, multum rationes nostras iuveris, & gymnasium Aquitanicum magnum tibi beneficium debebit. Vale. Burdigalæ, octavo Idus Septembris.

GELIDA TASTAEO S.

EPISTOLA XLI.

MEam ad te scribendi voluntatem sæpe impediverunt occupationes meæ, quæ hoc tempore maximæ sunt propter oeconomiam penus & gymnasii. Accedit alia caussa, quod nihil certum haberem, quod ad te de meis præceptoribus scriberem. Nunc vero, re explorata & comperta, sic habeto. Mureus & Burgesius valde probantur, non solum a iuvenibus, sed a viris doctis. Furnius propter exercitationem illam, quam est consecutus in schola Aristotelis, placet quidem suis: doctis non item, quod litteris humanioribus non sit perpolitus. Quartus vero plane friget & suis, & aliis, qui res nostras observant. Itaque infausto aliquo sidere videtur agi quartus ordo, cui nec superioribus annis, nec hoc anno per me consultum esse potuerit. Sed ut ad Furnium redeam, is venerat ad nos Montanorum spe adductus: qua excidit, quod Græcas litteras non teneat,

quasi vero non satis meo officio fungar, nisi qui Aristotelem docent, iidem sint Graece doctissimi. Vallem hoc quidem: sed fieri hoc non posse tute es optimus testis, qui mea & gymnasii caussa omnia summa facis; sed adducuntur homines exemplo: qui quum viderint Beroaldum & Saliniacum in docendo Aristotele Græce doctos, putant id perpetuum esse debere. Interim non intelligunt, quantam iacturam fecerim in huiusmodi præceptoribus, nec in promtu esse huius doctrinæ præceptores, etiamsi maxime velim. Atque ut scias, quam sit incommoda stipendiorum magnitudo, nunc Ramasæus de augendo stipendio mecum contendit: & Horstanum mihi proponit. Quare posthac ea nos prudentia uti necesse est, ut obtineamus præceptores mediocri doctrina præditos, quique mediocri stipendio sint contenti. Hac in re, tua industria me multum potest iuvare, si non temporis articulum exspectes, sed multo ante isthic hominum voluntatem & doctrinam explores. In gymnasio frequens iuvenum turba: frequentissimam ineunte vere exspectamus. In quo & tuos labores, & tuum in me beneficium agnosco & fateor. Vale. Tertiodecimo Calendas Ianuarias, 1550.

IOANNES GELIDA

* PETRO PASCHALI S.

EPISTOLA XLII.

EGO meam fidem ita tibi præstare constitui, ut nulla futura sint commoda, nullæ preces, quæ me ad eam violandam possint adducere. Est enim constantis hominis ac plane viri tueri fidem, in re præsertim hone-

* Hic Aquitanus erat, Salvaterrensis.

nesta. Itaque quum constanti sim in te animo, meque omnes esse intelligant: a te peto, ut tu vicissim tuam fidem mihi præstes. Non dubito, quin multa te a data fide avocent: sed tu teipsum intuere, & vide, quid te deceat, cui promiseris, quos sermones inter nos habuerimus. Cogita de fide tua, tuaque constantia, quam mihi tibi obstricto, virtutique debes: ac plane intelliges, nihil esse, quod te commovere debeat. Primum honeste vivemus, deinde si commoda reique dignitatem spectes, omnia hic habes superiora. Quare non meam constantiam desiderare non possis, ne committas, ut quisquam de tua te deducat. Ego enim ita te amo, ita me ad tua commoda exponere proposui, ut tu nulla ratione me tibi obstrictum deserere nec possis, nec debeas. Vale, Paschalis. Burdigalæ, XI. Maii.

IO. GELIDA IOANNI TASTAEO S.

EPISTOLA XLIII.

Turnius senatus iudicio suum locum retinet: de quo nonnulli ex illius discipulis seditiosi ac turbulenti deiicere vehementer contenderant. Vix credas, quantum nobis fuerit laborandum in propulsanda istorum iniuria: quod senatui querella propter ætatem iam grandiorem non iniusta videretur: nos vero morbus domi detineret, ne ius caussæ coram possemus exponere. Verum exstintum est incendium seditiosorum, & nos tranquillitate otioque fruimur litterarum, non sine frequenti iuvenum concursu. Burgesium designavi dialecticum: eiusque loco, qui doceat tertium ordinem, habiturus sum hominem bene doctum, qui suam operam mihi detulit. Itaque ego te isto labore in mittendis præceptoribus hoc anno liberabo: & ego minori sumtu gymnasii rationibus consulam. Vale. Burdigalæ, sexto Idus Iulii, 1551.

GE-

GELIDA TASTAEO S.

EPISTOLA XLIV.

EXſpectabam tuas litteras cupide, atque eo magis, quod iamdiu ad me nihil de rebus tuis perferebatur. Sed ſcilicet tabellarius feſtinabat, & tibi occupato ſcribendi otium non erat. Sed ſi me amas, nunc ad me per * Hervæum familiarem noſtrum ſcribes. Is tibi omnia nuntiabit, quæ hic gerantur, ut nihil præterea in meis litteris ſit requirendum. Sed ego, ut res veſtras intelligam, non tam reditum Hervæi, quam tuas litteras exſpecto. Vale. Burdigalæ, pridie Calendas Septembris, 1551.

EPISTOLA XLV.

CAlendæ Octobris me monent, ut tecum de tuo reditu agam: utque per litteras te rogem, ut quamprimum noſtro tui deſiderio ſatisfacias. Voluiſſem equidem, ut ſtatueram, iſthuc proficiſci, & coram tecum de die ipſo tui reditus colloqui; ſed me ita gymnaſium retinet, ut neque mei, neque otii meminerim. Quare, ut ſpero, meam excuſationem accipies: & ad nos cum tuis Montanis primo quoque tempore redibis. Venies, mihi crede, exſpectatus propter & tuam doctrinam & virtutem ſingularem. Sunt tibi parata cubiculia, de quibus tecum tranſegi. Tuum auditorium erit frequentiſſimum. Denique fauſta omnia & læta hoc anno ſperamus, quæ ſuperioris anni infelicitatem corrigent. Tuo Flandro dixi, me facturum tua cauſſa, quod poſſem. Lanſacius nihil mihi numeravit: ſed quotidie ſum in ſpe accipiendæ pecuniæ. Quam ſimulatque accepero, tu, quod tuum eſt, auferes. Nondum Ro-

har-

* Ioan. Hervæus Pariſienſis, qui Burdigalæ adhuc docet.

hardus rediit: verum reliqui præceptores crastino die ad prælectiones suas se referent. Quæ res me movet, ut te rursus rogem de tuo ad nos reditu. Vale. Ex gymnasio Aquitanico, pridie Calendas Octobris.

GELIDA IOANNI TASTAEO S.

EPISTOLA XLVI.

QVantum ex meis rebus possum intelligere, arbitror fore, ut duorum præceptorum opera egeam ad Calendas Octobris: quorum unus tertium ordinem, alter secundum recte instituat. Sed quum secundum dico, a te primum intelligi volo: quod inter eorum ordinum præceptores nihil interesse velim. Quod eo ad te scribo hoc tempore, ut multo ante possis meæ petitioni, rebusque meis consulere, quibus tu superioribus annis consuluisti, præsertim quum is sis, cui uni ex omnibus plurimum tribuam in rebus meis tranctandis propter fidem tuam singularem, & perspectam in me ac gymnasium nostrum benevolentiam. Quare, si me umquam in caussa præceptorum iuvisti, nunc velim ostendas, quanti me facias, pristinumque illud tuum in hac re studium declares, idque eo magis, quod iuvenes nostri mirabili quadam liberalitate in suos doctores sunt inflammati. Scripsi de hac ipsa re ad Blondum, cum quo postquam fueris colloquutus, velim ad me per tabellarium diligenter litteras de rebus omnibus, quæ ad me pertinent, scriptas mittendas cures. Vale. Burdigalæ, Calendis Iulii, 1552.

GE-

GELIDA IOANNI TASTAEO S.

EPISTOLA XLVII.

Etsi tuas litteras exspecto; tamen rationibus meis subductis, existimavi ad te scribi oportere, quid tandem in rebus meis habeam constitutum. Scripsi ad te antea de quarto præceptore: nunc intelligo, me eo sumtu, te vero labore in præceptore eo inquirendo, posse carere. Reliquum est igitur, ut in primi ordinis & tertii præceptoribus eligendis tuam operam ponas, atque eam, quam ego de te in summo rerum mearum tempore exspecto. De stipendio primi statui, quod mihi videbatur honestissimum. De tertio vero tu ipse præfinies. In eo res est, ut uterque is sit, qui iuventutem delectet diligentia & doctrina. Nihil est necesse pluribus verbis uti, ne videar tuæ diligentiæ diffidere. Hoc tamen unum scito, meas rationes ex te uno pendere. Vale. Septimo Calendas Augusti, 1552.

IOANNES GELIDA ROCHARDO S.

EPISTOLA XLVIII.

Vetus nostra amicitia me impellit, ut a te homine amicissimo & viro optimo auxilium hoc tempore petam. Sunt quidem isthic Tacitus & Blondus, quibus hæc mea sollicitudo curæ est: sed ego te, mi Roharde, quum tuam virtutem singularem, tuamque fidem in rebus meis considero, præterire silentio non possum. Nam si quis sit isthic, qui meam caussam tueatur, tu sane illi, certo scio, non concedis: fierique iniuriam nostræ amicitiæ puto, si te aliis in procurandis gymnasii Aquitanici rebus postponam. Age igitur, Roharde optime, ostende in

hac

hac caussa, quanti me facias; opus est duobus præceptoribus, primo & tertio, iisque doctissimis. A te peto vehementer, ut hanc caussam mea gymnasiique caussa suscipias. Multa tua in me exstant benevolentiæ officia: sed ego hoc tuum officium longe omnium præstantissimum putabo. Vale. Burdigalæ, sexto Calendas Augusti, 1552.

GELIDA IOANNI TASTAEO S.

EPISTOLA XLIX.

* FAverius & Cigonius valde suis placent auditoribus propter doctrinam & diligentiam. Elucet enim in his disciplina quædam honesta, & vere Gallica, ad instituendos iuvenes aptissima, quod sane utriusque nostrum caussa mihi est periucundum. Nam de rebus nostris secundis lætari scio; & ego summo rerum mearum tempore exspectationi bonorum satisfeci, ac invidorum paratam calumniam propulsavi, qui putabant me propter præceptorum inopiam posse opprimi. Atque ut de rebus nostris certior fias, sic habeto. Pædagogi apud nos tyrannidem exercent: qui quum apud se domi convictores pæne omnes habeant, fructus laborum nostrorum ipsi percipiunt: nos vero onus sustinemus in egestate. Rei indignitatem decurionibus per libellum supplicem exposui, ac simul postulavi, ut tanta licentia coërceretur, & pædagogorum avaritia gymnasio inimicissima tolleretur. De eo consultant decuriones. Rei exitum proximis litteris declarabo. Vale. Burdigalæ, pridie Calendas Novembris.

* Faverius Belga erat, qui Vasatis hydrope est mortuus.

GELIDA TASTAEO S.

EPISTOLA L.

SCripsi ad te antea, præceptores tuos onus susceptum honeste sustinere. Idem ipsum ad te nunc scribo, ut tamquam egregius aliquis artifex tuis operibus delecteris. In quibus quum meis sis socius & adiutor, communisque sit nostra opera in ornando gymnasio Burdigalensi; merito me tibi meas fortunas debere, sentio. Magna enim vis in eo est, ut præceptores habeam honestos, graves, doctos, denique, qui in erudienda iuventute existimationem gymnasii augeant. Perfectum aliquid & absolutum in hoc genere cogito: sed quum res humanæ a perfecto longe absint, eo contenti esse debemus, quod similitudine ad perfectionem accedit. De pædagogis nihil dum est constitutum. Certum tamen est caussam persequi, & hanc veluti coniurationem quamdam tetram & detestabilem opprimere. Vale. Burdigalæ, Idibus Novembris, 1552.

IO. GELIDA GEORGIO BVCCHANANO S.

EPISTOLA LI.

REditus tuus in Galliam cum omnibus tuis, tum vero mihi fuit periucundus propter veterem nostram coniunctionem, & propter restitutam tibi libertatem, quam scio tibi semper fuisse carissimam. Fruere igitur εὐθυμίᾳ, qua & ut diutissime fruare, valde cupio, ut quum hic cumulus ad tua tot tantaque bona accesserit, omnia expleta cumulataque habeas, quæ ad beatam vitam desiderari possunt. Atque hac vita quum te omnes, qui te noverunt, dignissimum iudicent, interdum Lusitaniæ subirascuntur, quæ tibi non præstitit, quod ei

præstare debuit, a quo magnam dignitatem accepisset. Ego vero in hac gymnasii procuratione multis magnisque incommodis sum adfectus partim hominum iniuria, partim temporum calamitate; interim tamen onus sustinemus, grave quidem illud, sed quod sublevatur usu rerum, & sententia illa Epicharmi, quæ nervos & artus sapientiæ continet: Non esse temere credendum. Vale. Burdigalæ, Idibus Novembris, 1552.

Fratrem tuum, quem multis de caussis amo, meo nomine salutes velim.

IO. GELIDA * LESTRAEO S.

EPISTOLA LII.

HOnesta quidem est tua oratio, quum scribis parendum esse tibi patris tui voluntati: sed si res tuæ ferunt, ut & patri tuo obtemperes, & apud nos sis, valde velim. Nam quum hominum doctorum consuetudine delecter, te sane propter doctrinam tuam singularem hic esse cupio. Nihil est necesse hoc loco meum studium tibi polliceri. Hoc tamen unum tibi persuade, te mihi nobisque omnibus, si huc venias, fore gratissimum. Itaque a te peto, ut ad me scribas de rebus tuis: ut intelligam, quid ego de te sperare possim.

De Senecæ declamationibus, reipublicæ caussa gaudeo: ac tuum consilium de iis ipsis edendis non solum mihi, sed meis præceptoribus multum probatur. Vale. Burdigalæ, decimo Calendas Apriles.

* Lingonensis hic erat, & Lemovicis tum agebat.

IOANNES GELIDA IOANNI * RUTERFORTI ET FILIBERTO LODENOTO

S. P. D.

EPISTOLA LIII.

VIncentius noster mihi significavit, vos velle scire, quo in statu res meæ essent, quidque de vobis cogitarem. Ego vero adhuc sum Quinsaci: qui locus quum mihi & uxori & filiolæ propter valetudinem sit perincommodus, de mutanda sede cogito. Vellem equidem, liceret Burdigalam redire: sed vetat periculi magnitudo. Vos vero facite, ut magno fortique animo sitis: utque speretis fausta omnia, & læta post adversam fortunam. A me quidem exspectate omnia officia, quæ ab amicissimo homine exspectari possunt. Atque ut ex animo me hæc scribere existimetis, polliceor tibi quidem, Ruterfortis, omnia mea studia in augendis tuis commodis, amplificandaque dignitate: tibi vero, Lodenote, primum ordinem defero, & quadraginta aureorum stipendium in annos singulos. Illud unum a te peto, ut quemadmodum soles, te diligentem, industrium, magnique animi hominem præstes. Quod si, uti valde confido, feceris, non dubito, quin tu meæ omniumque exspectationi respondeas, ac fructus tui laboris percipias amplissimos. Valete. Decimo Calendas Novembris, 1555.

* Ruterfortis Scotus erat. Lodenotus Augustodunensis, Gallus.

IOANNES GELIDA IOANNI RVTERFORTI ET FILIBERTO LODENOTO S.

EPISTOLA LIV. *

VEllem equidem & vestra & mea caussa scholam aperire: sed rem differendam censent, qui reipublicæ præsunt, ne hoc malum ex puerorum conventu incendii materiam accipiat. Illud præterea addunt, satius esse ad tempus aliquod valetudini consulere, quam festinatione maius malum accersere. Quod quum ita sit, exspectanda sunt Hilaria: quod ea sit hominum sententia, quodque non ante illud tempus ad nos adolescentes venient. Eo tempore vobis redeundum censeo, ut per vos faustis auspiciis rem aggrediamur. Interim vestra prudentia leniet desiderium, quæ vel maximas molestias æquo animo ferendas esse docet, præsertim quum malorum exitus adventet, qui nobis omnia læta promittit. Valete. Burdigalæ, Nonis Februarii.

* Hanc scribebat Gelida epistolam diebus 14. antequam e vita decederet.

EIVS-

EIVSDEM IOANNIS GELIDAE EXHORTATIO DE SERVANDA AMICITIA AD LOPESIVM ET PODIANVM SCRIPTA,

QVVM LVTETIAE AMBO ADOLESCENTVLI PHILOSOPHIAE OPERAM DARENT.

QVAS nuper vobis ſervando in foedere leges
Ore dedi præſens, monitiſque fidelibus ambos
Admonui, firmo pietas ut ſtaret amore
Veſtra diu, teneriſque incoepta seneſceret annis:
Has ego, ſecretas quando mihi credere curas
Eſt cordi, repetam ſcriptis. Huc vertite mentes,
O iuvenes, veſtriſque animis mea figite dicta.
Principio feritas ponenda eſt omnis, & omnes
Tollendæ ex animo ſtimulis immanibus iræ,
Ne fors lingua gravi mentis turbata furore
Irruat, & verbis hoſtilia iurgia nectat.
Illinc cauſſa mali pendet: fruſtraque loquacem
Coneris linguam duris frenare lupatis,
Ni primum toto æthèrius, qui in corpore regnat,
Sceptra regens animus, magno virtutis amore
Vltro pacis amet leges, & pareat ultro.
Ille quidem in ſenſus alta velut arduus arce
Imperium exercet, vireſque immittit, & aufert,
Dum cupit, alterno regnans per ſubdita nutu.
Qualis quadrupedi dominus quum laxat habenas,
Læva lora tenens: nunc ora coercet eidem
Naribus adflanti, varioſque fatigat in orbes.
Tum ſpumat ſonipes, & cælum pulvis inumbrat.
Sæpe virûm ſtipata cohors horrentibus armis
Hanc arcem oppugnant: tormento pars quatit actam
Fulmineam nubem, atque ingenti pondere ferrum;

Moe-

Moenia pars vallant, alii non ſegnius urgent:
Ad muroſque faces iaciunt, flammaſque furentes.
At nihil his bellique minis, terroreque tanto
Efficitur: nec tela nocent. Patientia tantum
Arcem defendat; portaſque & moenia ſervet.
Non hæc arma armis, teliſve intendere contra
Tela parat, muriſque egreſſa incurrit in hoſtem:
Sed vigilans urbis tuto munimine portas
Nocte dieque tenet; donec tela omnia tandem
Miſſa manu fuerint, vireſque exhauſerit hoſtis.
Linquitur obſidio (neque enim ſæva arma, nec ipſa
Tempore tracta fames domuit) linquuntur & arces:
Atque hoſtis remeat patrias inglorius urbes.
Non ſecus ac cauto poſtquam luſtravit ovile
Munitum cuſtode furens lupus, atque rapinæ
Spem poſuit: noti repetit nemora aſpera montis,
Demittitque aures, caudamque in crura reflectit.
O longe ante alias præſtans, Patientia, virtus,
Quis fando poterit tantis par laudibus eſſe?
Ipſa quidem imparabuſque pares, famulumque potenti
Adſocias domino. Per te concordia fratrum
Firma coit, socioſque fides amplexa cohæret.
Demittiſque animos ſe aſtris cæloque ferentes.
Aſpera nec quemquam telis, aut voce laceſſis,
Si quidquam temere, contingunt qualia ſæpe,
Ore volat rapidum, volucres fundatur in auras,
Ipſa ſinis ſimplex: audes nec ſiſtere contra:
Aut dictum ſimulas, ne ſurgant altius iræ,
Neu tumido fervens animo violentia gliſcat.
Ac velut in mediis Pæſtana roſaria dumis
Horreſcunt late, roſei ſed gratia floris
Magna rubet lætum flagrans, reficitque videntum
Lumina: ſic animi præſtans tolerantia fulget
Lauro cincta comas, oſtroque inſignis & auro
Tela inter media, atque hoſtes crudele minantes.

Quam-

Quamque magis duri crudeſcunt prælia belli,
Tam magis hæc perfert, vincitque illæſa ferendo.
Ille adeo felix dicetur, eritque per urbes,
Per gentes, tollens ſupra caput arduus omnes,
Qui te, qui placidos ſequitur, penituſque ferocis
Expertes vitæ mores, culpamque remittit.
Hæc vos, o iuvenes, cariſſima pectora, laudis
Gloria tanta manet: ſpes ne deludite tantas.
Sed quas iampridem iunxiſtis foedere dextras,
Et vita ſtudioque pari, patriaque domoque,
Aeternum maneant nexæ: nec temporis ulla
Antiqui ſeries olim, violentaque verba
Vincant: quin veſter pariter creſcentibus annis
Creſcat amor, memorique virum celebretur ab ore.

GVILIELMI BVDAEI,

EPITAPHIVM PER EVMDEM GELIDAM.

PER te Gallorum, vita, Budæe, manente,
Gloria doctrinæ nomine magna fuit.
Per te tres linguas immenſa Lutetia novit:
Per te rex linguis præmia certa dedit.
At perdunt Gallique decus, linguæque patronum
Morte tua. Heu multis mors cumulata malis!

IDEM DE EODEM,

METRO IAMBICO TRIMETRO.

Ο῞ταν ἔθανεν Βουδαῖος, οὐχὶ μὲν μόρῳ
Δαμεὶς ὄλωλ᾽ ἀλλὰ θάνατον νῦν ζῆ δαμών.
Καὶ γὰρ προ θανάτυ θνητὸς ἦν ἔπειτα δὲ
Τῷ καταλιπεῖν μούσαις, ἑαυτῷ, πατρίδι,
Δόξαν μεγίϛην, ἐγένετ᾽ ἀθάνατος θανών.

SCHO-

SCHOLIVM IN EPISTOLAM LI.

QVINTVS Cicero ad Marcum fratrem de Petitione: *Quamobrem* ἐπιχαρμεῖον *illud teneto: NERVOS ATQVE ARTVS esse sapientiæ, Non temere credere.* Marcus ipse frater libro primo epistolarum ad Atticum: *Vt crebro mihi vafer ille Siculus insusurret Epicharmus cantilenam illam suam*: Νῆφε, καὶ μέμνησο ἀπιστεῖν ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν. Exstat eadem sententia in septimo decimo libro epitomes Polybii, & apud Ioannem Stobæum sermone tertio, ac Suidam in verbo Νῆφε: quod exponit γρηγόρει, id est, *vigila*; proque νῆφε, si in nonnullis codicibus νᾶφε etiam inveneris, & μέμνασο pro μέμνησο Doricam Siculamque esse dialectum scito: qua Epicharmum hominem Siculum cum Empedocle, Theocrito & aliis suis civibus usum esse, verisimile est. Est autem metrum Trochaicum catalecticum:

Νᾶφε, καὶ μέμνασ' ἀπιστεῖν. ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν.

qualia exstant apud Stobæum: & duo hæc in secundo commentariorum Xenophontis:

Τῶν πόνων πωλοῦσιν ἡμῖν πάντα τ' ἀγαθὰ οἱ θεοί.
Ὦ πόνηρε, μὴ τὰ μαλακὰ μώμεο· μὴ τὰ σκλήρ' ἔχῃς.

Idem metri genus hoc in Tusculana prima: *Emori nolo, sed me esse mortuum nihili æstimo*, ex quocumque eiusdem Epicharmi Græco Cicero converterit.

ACADEMICA,

SIVE

DE IVDICIO ERGA VERVM

EX IPSIS PRIMIS FONTIBVS,

OPERA

PETRI VALENTIAE

ZAFRENSIS IN EXTREMA BAETICA.

ANTVERPIAE,

EX OFFICINA PLANTINIANA,

APVD VIDVAM ET IOANNEM MORETVM.

M. D. XCVI.

ΟΥ ΔΟΚΕΙΝ ΑΛΛΑ ΕΙΝΑΙ.

D. GARSIAE DE FIGVEROA PHILIPPI III. HISPANIARVM PRINCIPIS FELICISSIMI CVBICVLARIO PETRVS DE VALENTIA I. C.

QVI libros edunt, quum initio statim ingenii tenuitatem temporisque angustias excusant, non legitimam, nec accipiendam excusationem adferunt: ostendant enim oportet, se & ad scribendum & ad festinandum coactos. Ego quidem iure hoc a me in alios statuto uti non recuso. Verum quanta imperium tuum mihi necessitas sit, palam est: quam me iusseris festinare, scis ipse: ut si cuipiam numquam ea uti excusatione licuit, mihi certe liceat. Numquam equidem ego mihi persuadere potui, eiusmodi ingenii mei fructus esse, ut vel indoctiorum palato saperent, nedum tuo subtilissimo. Qui ergo tibi apponendos existimarem? quum etiam nec in more sit positum aut deceat, ut aut diis, aut principibus viris gregaria & nulla praecipua pulchritudine insignia poma offerantur. At quum noster qualis qualis est, agellus tuus sit, quos is fructus ferat, petenti non protinus tibi offerre nefarium foret. Mittimus ergo, vir illustrissime, eorum, quae imperaveras, partem alteram quasi gustum, dum maturescunt reliqua: nec enim tua festinatio longiorem moram passura videbatur. Sunt autem priora haec, quae tu Academicarum M. Tullii quaestionum illustrationem spectare volebas. *Academica*, sive *de iudicio veritatis*, in-

inscripsimus, fere enim totam eam quæstionem absolvunt. Scio quam sis hæc avide lecturus, ut illorum argumentum explicare non oporteat. Exspectet aliquis (nam te id non exspectare certo scio) ut laudum tuarum partem, id enim huiusmodi epistolis solemne iam est, hic collocem. Non faciam. Nimis angustus locus, si vel minora tua decora, genus, dignitatem (hæc enim maxima minora tua sunt) commemorare velim. Atque hæc quidem laus minime philosophica, & quæ philosophico scripto non decore præfigatur: illa maiora & philosophica valde, pietas, virtus, fides, animi magnitudo, humanitas, doctrina, innumera alia. Verum tacere sapiens monet Euripides:

Αἰνεύμενοι γὰρ οἱ γαθοὶ, τρόπον τινα
Μισοῦσι τοὺς αἰνοῦντας, ἐὰν αἰνῶσ' ἄγαν. i. e

Laudes honestos si viros, quodam modo
Aegre ferunt, si excesseris laudis modum.

Namque & interim illam non modicam laudem res ipsa loquitur, te tali genere, ea dignitate, ista ætate, hisce temporibus, in regia aula versantem, litteras curare. Vale. Zafra, in extrema Bætica. Ad X. Kalendas Martii, Anno M. D. XC.

ACADEMICA

SIVE

DE IVDICIO ERGA VERVM.

SApientiae studium gentibus omnibus satis ex antiquo in pretio habitum, nec ulla adeo barbara & ab humano officio aliena natio fuit, quæ suos sapientiæ professores non habuerit & laudarit. Verum enimvero non æque ex antiquo apud alios & alios populos id studium claruit. Serius enim alii aliis sapientiæ vacarunt. Græci, qui præcipuam in hac re laudem vindicant, si cum Asiæ terræ incolis conferantur, pueri, quod doctrinæ ætatem spectat, censendi: uti ab Aegyptio sapiente Soloni aliquando obiectum narrat in Timæo Plato. Huius ea caussa fuisse videtur. Nam quum sapientia illa, quæ humani ingenii opera & studio paratur, non nisi otiosis & in pace agentibus, eiusque satagentibus obveniat, ac plerumque dominationem comitari, & apud illos, penes quos rerum imperium sit, agere, eosque colere soleat, (quum & ventri & ambitioni hoc sapientum genus in primis attendat, privatique commodi rationibus ducatur: inde enim est, ut & mendaces prophetæ & gentium sapientes aulas frequentare, & circa divites regesque versari gaudeant, unde ut & muscarum examina divitum culinas compleant:) 1 Græcis sero tandem sapientia cum imperio pace & otio uti contigit. Qui enim ii, qui vel rei augendæ, vel parando victui, vel hostium iniuriæ propulsandæ intenti esse opus habeant, sapientiæ otiique artibus operam dent? Primi ergo inter Græcos superstitionum magistri illi, theologi ab ipsis dicti, poetæque, qui deorum genealogias decantarunt, mys-

1 Vide Thucydidem lib. 2.

mysteriaque & numinum cultum tradiderunt, sapientiæ nomine celebrantur, quum hi in nulla veræ sapientiæ parte operam posuisse sint dicendi, fucate vero & personate illam, quæ politica dicitur, coluisse videantur. [1] Nam religionis procuratio atque constitutio civilis gubernationis prima præcipuaque pars habetur. Post hos ii prodierunt, qui, quod naturæ rerum contemplationi impense vacarunt, physici, i. e. naturales, nuncupantur. Inter hos illustris, sed Socratis magisterio illustrior Anaxagoras physicorum ultimus. Nam post Socratem alia philosophandi ratio fuit. Quum enim [2] philosophorum maior pars philosophiam omnemque de sapientia tractationem in tres partes distribuat, id est, in τὰ λογικὰ, τὰ φυσικὰ, καὶ τὰ ἠθικὰ, quarum prima de sermone rationeque est; secunda de natura; tertia vero de moribus, cuius membrum politica sunt, quam quartam philosophiæ partem numerabant Peripatetici: logica quidem & ethica, qui Socratem præcessere, nec nomine tenus tractaverunt: multa ipsorum dicta & apophthegmata ad mores pertinentia circumferebantur; sed non quæ artem redolerent, aut integram morum disciplinam conficerent: pluribus etiam rationibus & argumentationibus inter docendum & disserendum usi sunt: omnes enim homines ratione utuntur. Tamen argumentationum contexendarum & diiudicandarum ars, διαλεκτικὴ postea vocata, numquam illis in mentem venerat. At Socrates non is erat, qui rem ullam sine arte occiperet, aut agere commodum duceret. Igitur quum, omissa curiosa illa naturæ & sublimium speculatione ac indagatione, & ratione uti duce in agenda vita, & suos aliorumque hominum mores efformare instituisset, earum rerum, id est, rationis morumque artes adinvenit. Certe peritissimum in iis

dis-

1 Plutarchus *de Oracul. defect.*

2 Accuratam philosophiæ divisionem vide apud Senecam lib. 14. epist. 1. Laertium in Zenone, Plutarchum initio libri *de Placitis philosophorum*.

disciplinis & egregium artificem evasisse illum constat. Sed quum & ipse fortasse, sicut & posteriores Academici, τὴν εἰς ἑκάτερα ἐπιχείρησιν. i. *disputationem in utramque partem* optimum docendi genus existimaret, eoque plerumque uteretur, ac de nulla re audacter affirmaret, sed quærere semper diceret, & nihil scire præter hoc ea eius professione sive dissimulatione effectum est, ut ipsius discipuli sive sectatores & adseclæ, aut eius sententiam non plane perviderent, aut pro vario cuiusque ingenio, in varias opiniones abirent, certe nemini eorum, qui Socratis familiaritate sunt usi, cum alio quopiam ex eodem sodalitio in rationalis aut moralis philosophiæ traditione convenit; sive forte etiam id ex gloriæ, præcipuique nominis ac laudis cupiditate & contentionis studio evenerit. Quippe & in naturali parte, quam non a Socrate didicerant, non minor inter ipsos discordia est. Sicut autem in hac summa concertatio περὶ ἀρχῶν, i. *de principiis* & caussis rerum semper fuit, ita deinceps in rationali περὶ κριτηρίου τῆς ἀληθείας. i. *de iudicio*, vel potius, si eo vocabulo uti liceat, *iudicatorio veritatis*, hoc est, de instrumento, quo veritas sit diiudicanda: atque in morali περὶ ἀγαθῶν καὶ κακῶν, i. *de bonorum malorumque finibus* præcipuum dissidium fuit. Verum non de universa philosophia, deque omnibus omnium philosophorum decretis agere est animus, nimis id longum, nec benignum opus foret. Tantum eum rivum cursim sectabimur, qui a Socrate in Academiam derivatus varia doctorum successione ad Ciceronis usque ætatem propagatus evanuit: ni forsan postea in Phavorino & Chæronensi Plutarcho aliquando rursus ebullierit, certe non ita illustris post Ciceronem fluebat. Hanc enim Græcæ eruditionis partem, sine qua Latine scriptam philosophiam intelligi non posse Varro adfirmat, iis qui Marci Tullii philosophica, Lucullum in primis, legere aggredientur, magnum adlaturam operæ pretium existimamus: pluribusque aliis antiquorum libris lumen porre-

re-

recturam ; quum præterea ipsa de criterio quæstio, quam pertractabimus, scitu digna semper fuerit iudicata.

Igitur discipulorum Socratis longe principem 1 Platonem dogmaticum quidam, alii aporematicum sive Scepticum, aut utrumque putant. Vniversim enim philosophos omnes in duo summa genera partiuntur. In dogmaticos, i. qui decreta dogmataque ponant & statuant, & aporematicos vel Scepticos, i. qui de omnibus dubitent, atque disquirant & considerent, nihilque adfirment, nullique rei adsentiantur. Sive ergo dogmaticus Plato, sive, quod in plerisque fuisse videtur, aporematicus sit dicendus, hæc de criterio existimasse perhibetur : 2 namque nihil prohibet Scepticum decreta habere, quibus quidem non uti perceptis adsentiatur, sed ut probabilibus utatur. Qua cautione etiam de criterio 3 sententiam proferre illi licebit: *Ab humana mente* seu intelligentia [ὑπὸ τοῦ ἀνθρωπίνου νοῦ] ratione utente res iudicari. Quum autem res partim sub intelligentiam, partim sub sensum cadant, hoc est, quum τὰ πράγματα alia νοητά. i. *intelligibilia*, alia ἀισθητὰ i. *sensilia* sint : *humanam* etiam *rationem* [λόγον] duplicem esse: nam qua αἰσθητά percipiuntur, opinatricem sive *opinantem rationem* [δοξαστικὸν λόγον] sicut & res sensui expositas *opinabilia* [δοξαστὰ] appellari, earumdemque rerum perceptionem δόξαν. i. *sententiam* sive opinionem esse, sicut ex *rebus*, quæ sub intelligentiam cadunt ratione alia, quæ scientiam efficiat [τῷ ἐπιστημονικῷ λόγῳ] comprehensis *scientiam* [ἐπιστήμην] exsistere. Rerum enim sensilium perspicuitatem, quæ rationi probetur, approbat etiam Plato ; sed non ut ea scientiam effici dicat ; opinionem tamen, quæ scientiam eorum, quæ vero sunt, nobis in memoriam reducat. Ergo sensu cum opina-

1 Platonis opinio de iudicio veritatis.

2 Alcinous *de placitis Platonis*.

3 Pluttarchus ad Colotem D. Augustinus contra Academicos lib. 3. cap. 17.

natrice ratione sensui exposita iudicari, mente vero seu intelligentia una cum ratione scientiam efficiente, quæ intelligentia comprehenduntur. Hæc autem esse *Ideas*, id est, constantes quasdam rerum formas, quæ revera sint, sive, ut dicit, quæ in eo, quod est, exsistant. De universa ratione hac sic ipse in Timæo: Τὶ τὸ ὂν μὲν ἀεὶ, γένεσιν δ᾽ οὐκ ἔχον, καὶ τι τὸ γιγνόμενον μὲν, ὂν δ᾽ οὐδέποτε. τὸ μὲν δὴ νοήσει μετὰ λόγου περιληπτὸν, ἀεὶ κατὰ ταυτὰ ὄν. τὸ δὲ αὖ δόξῃ μετὰ αἰσθήσεως ἀλόγου δοξαστὸν, γιγνόμενον καὶ ἀπολλύμενον, ὄντως δὲ οὐδέποτε ὄν. i. *Est quid quod est, & non generatur; aliud vero quod gignitur quidem, est vero numquam: illud quidem intelligentia cum ratione comprehensibile, quod semper uniusmodi est: hoc vero rursus opinione cum sensu rationis experte, opinabile, generatum & interiens, numquam vero revera* 1 ENS. Hanc, quam Platonis & veterum Academicorum sententiam esse Antiochus dicebat, apud 2 Ciceronem Varro exponit. „ Quamquam iudicium oriretur a sensibus, tamen non esse iudicium veritatis in sensibus. Mentem volebant [Academici veteres] rerum esse iudicem, solam censebant idoneam, cui crederetur, quia sola cerneret id, quod semper esset simplex & uniusmodi, & tale quale esset. Hanc illi *Ideam* appellabant, iam a Platone ita nominatam, nos recte *speciem* possumus dicere. Sensus autem omnes habetes & tardos esse, nec percipere ullo modo res eas, quæ subiectæ sensibus viderentur, quæ essent aut ita parvæ, ut sub sensum cadere non possent, aut ita mobiles & concitatæ, ut nihil umquam unum esset constans, ne idem quidem, quia continenter laberentur, & fluerent omnia. Itaque hanc omnem partem rerum opinabilem appellabant; scientiam autem nusquam esse censebant, nisi in animi notionibus atque rationibus. „ Idem Cicero in Lucullo: „ Pla-

1 Exsistens. 2 *Academ.* ad Varron. lib. 1.

„ to autem omne iudicium veritatis, veritatemque ipsam
„ abductam ab opinionibus & a sensibus, cogitationis i-
„ psius & mentis esse voluit. " 1 Galenus ipse etiam Pla-
tonicus φυσικὰ κριτήρια, id est, *instrumenta a natura ad iudicandum tributa*, αἴσθησιν καὶ γνώμην dicit, id est, *sensum & intelligentiam*, quam & διάνοιαν sive νοῦν, id est, *mentem*, sive λογισμὸν, id est, *ratiocinationem* appellare etiam liceat. Hæc eadem veterum Peripateticorum sententia fuit. Nam & ipsi sensui rerum, quæ sentiantur, non seclusa ratione, & intelligentiæ eorum, quæ mente percipiantur, iudicium detulerunt: nisi quod Aristoteles ideas illas speciesque rerum, quæ 2 Platoni sunt τὰ νοητὰ, id est, *intelligibilia*, labefactavit, universalibus quibusdam rerum notionibus, quæ nusquam alibi, præterquam in singulis quibusque rebus sint, intelligentiæ vero opere a materia seponantur, atque perpetuæ simplicesque iam & uniusmodi in contemplationem veniant, quum singulares res fluxæ multiplicesque sint, in idearum vicem inductis. Hæc sunt genera speciesque rerum, & alia, quæ de rebus intelliguntur & enuntiantur, & circa quæ scientia versatur, scholastico vocabulo *universalia* nuncupata: sed abstrusiora hæc sunt, minutæque disquisitionis, & quæ ex duobus summis philosophis eorumque satis multis interpretibus sint perdiscenda.

Speusippus, qui post Platonem Academiam tenuit, & Xenocrates ceterique veteres Academici usque ad Arcesilam parum a Platonis sensu abludunt, ut ipsorum de criterio sententiæ a 3 Sexto Pyrrhonio relatæ ostendunt. Cetera etiam Platonis antiquaque decreta diligenter ab iis conservata atque defensa, apud 4 Ciceronem scriptum est ex

An-

1 *De decretis Hippocrat. & Plato.* lib. 9. & in comment. lib. κατ' ἰητρεῖον pag. 665. 48. Græcæ edit. Basil.

2 Vide Platonis *Parmenidem*, & *de repub.* lib. 7. & 10. Plutar. ad Colotem. Stobæum in Physicis cap. de *Idea*. Plutarch. de placit philosoph. lib. 1. cap. 10.

3 Adversus disciplinas cap. *de criterio*.

4 Lib. 1. *Academic.* ad Varr.

Antiochi, cuius ibi partes Varro agit, sententia. Tamen [1] Numenius Pythagoricus, eamdem fere dogmatum indolem ea tantum ratione apud eos permansisse concedit, quod nondum celebris illa *epoche*, eiusmodique alia inducta essent. Namque quod ad reliqua Platonis placita, alios quidem citius, alios posterius ab eo discessisse multisque modis decreta ipsa enervasse & invertisse adfirmat, & dolere se id ait, sive consulto hoc, sive per imprudentiam, aut alia, utinam non ambitiosa, causa ab ipsis fuerit admissum.

At vero [2] Arcesilas ab Stoicis philosophisque omnibus, qui Academici non sint, tamquam novator, veterisque omnis, non Platonicæ modo, disciplinæ eversor manifestarius accusatur: *Namque quum iam* (ait apud Ciceronem Lucullus) *philosophorum disciplinæ gravissimæ constitissent, tum exortus est, ut in optima repub. Tib. Gracchus, qui otium perturbaret, sic Arcesilas, qui constitutam philosophiam everteret, & in eorum auctoritate delitesceret, qui negavissent quidquam sciri aut percipi posse.* Apud [3] Plutarchum Stoici quidam Arcesilam veteresque post eum Academicos σοφιστὰς καὶ λυμεῶνας τῶν ἐν φιλοσοφίᾳ καὶ δογμάτων ὁδῷ βαδιζόντων ἀνατροπέας, id est, *sophistas & philosophiæ pestes, decretorumque recta via procedentium eversores ac deturbatores appellant.* Quod autem eum sub antiquorum auctoritate delitescere voluisse Lucullus ait, id eiusmodi est. Nam quum [4] Arcesilas ambitiosi novandi ac calumniandi studii invidiam declinare cuperet, non solum a Socrate Platoneque, quos magistros iactabat, se non descivisse ostendere conabatur, sed & physicorum philosophorum, qui Socratis ætate superiores fuerunt, maiorem partem pro sua, sive potius Pyrrhonis acatale-

1 Apud Euseb. *præparation.* lib. 14.
2 De Arcesila & media Academia.
3 De commun. notitiis adversus Stoicos.
4 Vide Lactant. lib. 3. *de falsa sapientia* cap. 4.

psia epocheque citabat. 1 Quod non candide aut bono animo ab ipso fieri, qui tunc erant Sophistæ, interpretabantur, illumque insimulabant quasi propria ac minime antiqua decreta antiquis & illustribus viris, Socrati & Platoni, Parmenidique atque Démocrito adfingeret, ut doctrinæ suæ auctoritatem fidemque apud vulgus conciliaret. Verum *Acatalepsiæ*, id est, desperatæ comprehensionis dogma ex Homero ipso antiquissimisque aliis repetitur & confirmatur apud 2 Laertium in *Pyrrhone*. Quod etiam & Cicero in *Lucullo* probare studet: namque id Academicis omnibus post Arcesilam propositum fuisse videtur. Multum igitur diversa origo novæ, sive mediæ, id est, Arcesilæ Academiæ ab aliis philosophis ambitionem & calumniam atque contentionem caussantibus, & ab ipsis Academicis commemoratur. Hi enim sic: 3 *Cum Zenone, ut accepimus, Arcesilas sibi omne certamen instituit, non pertinacia aut studio vincendi, ut mihi quidem videtur, sed earum rerum obscuritate, quæ ad confessionem ignorationis adduxerunt Socratem, & veluti amantes Socratem, Democritum, Anaxagoram, Empedoclem, omnes pæne veteres, qui nihil cognosci, nihil percipi, nihil sciri posse dixerunt, angustos sensus, imbecillos animos, brevia curricula vitæ, &, ut Democritus, in profundo veritatem esse demersam, opinionibus & institutis omnia teneri, nihil veritati relinqui, deinde omnia tenebris circumfusa esse, dixerunt.*

Vnicam ergo tantum Academiam, cuius originem & antiquitatem a Socrate Platoneque, aut etiam antiquioribus repetunt, Academici concedunt, nihil post Platonem aut ab Arcesila, aut ab alio ex successoribus novatum fateri volunt, ut paullo post hæc, quæ adscripsimus, Cicero scribit. *Hanc*, inquit, *Academiam novam appellant: quæ mihi vetus videtur, siquidem Platonem ex illa vetere nu-*

1 Plutarchus ad Colotem.
2 Vide Sextum *adversus disciplin.* cap. *de criterio*, & *Hypotypos.* lib. 1.
3 Cicero *Acad.* ad Varr. lib. 1.

numeramus, cet. Ipse Philo, de quo non modicus nobis futurus est labor, quique [1] magnus in Academia novator fuisse perhibetur, negavit duas Academias esse, erroremque eorum, qui ita putarunt, coarguit. Plutarchus in eo libro, quem in omnium philosophorum defensionem adversus Colotem Epicuri auditorem scripsit, quum ab Epicuro Coloteque contrario convitii genere petitum Arcesilam referat, quasi qui antiqua ac minime propria decreta pro novis ac suis venditaret, eaque ratione apud illitteratum vulgus laudem ac gloriam aucuparetur; gratias se de hoc & Colotæ, & alii cuilibet, qui Academicæ disciplinæ rationem antiqua successione in Arcesilam derivatam ostendat, debere se & agere ait. Itaque Arcesilam, qui novæ Academiæ primus auctor plerisque creditur, ipsi eius sectatores nihil novi attulisse, obstinate contendunt, nisi illud fortasse, quod a Zenone primum pronuntiatum ipse probavit, id est: Non opinaturum sapientem, id est, non adsensurum incognito aut imperceptо. Nam, nihil esse, quod percipi possit, Socratis Platonisque atque antiquiorum etiam complurium, quos ipse sequeretur, sententiam esse Arcesilas adstruebat. His vero duobus positis, NON OPINATVRVM SAPIENTEM, & NIHIL PERCIPI POSSE, necessario ἐποχὴ, id est, *approbationis retentio* ac continentia consequebatur. Qua etiam ratione non solum scientiam omnem, sed & philosophiam universam everti & e medio tolli [2] Lactantius putat. *Namque*, inquit, *si neque sciri quidquam potest, ut Socrates docuit, neque opinari oportet, ut Zeno, tota philosophia sublata est.* Sic epoche in Platonis scholam venit. Namque etsi, ut novi volunt, veteres Academici & Peripatetici nihil percipi dicerent, tamen quum opinari non prohiberent, nihil epoche opus habebant. Quoniam vero nos perspicuitati potius quam aut elegantiæ aut brevitati studemus, Arcesi-

las

[1] Cicero *Acad.* ad Varr. lib. 1. [2] *De falsa sapient.* lib. 3. cap. 3.

lam cum Zenone disputantem ea ratione, qua nunc vulgo in scholis par digladiantium scholasticorum committi solet, inducemus, apposita etiam Zenonis & Stoicorum de veritatis criterio sententia: sic enim maximi belli inter duas principes philosophorum factiones, Academicos & Stoicos, caussa origoque constabit, quæ ab historiæ scriptore minime est prætermittenda. Nos autem nunc nec quæstionem ipsam examinamus; nec decretum interponimus nostrum, sed rem gestam narramus, grammatico operi, ut 1 Galenus ait, id est, veterum dictis repetendis & in medium adferendis operam impendentes nostram, inglorio nimis, uti nunc hominum sensus est, ne dicam infami negotio. Tamen hoc agamus. Sic, inquam, & belli caussæ, & novæ Academiæ Arcesila fabro constructæ, quæ ipsius sectatoribus origo placet, perspicua fient.

Zenonis effatum, sive, ut vocant, conclusio erat: *Sapientem non oportet opinari*, id est, sapiens non adsentietur nisi percepto & cognito. Probat hoc Arcesilas laudatque tamquam sapientis gravitate dignum, licet novum, & quod ipse a sapientiæ, quam profiteretur, antecessoribus non acceperit. Verum & concedi sibi illud aliud postulat a Zenone, *Nihil approbaturum sapientem*, ut quod ex illo priore consequatur, aut pugnare. Zeno minime id concedit, pugnamque haud detrectat. Adoritur Arcesilas, & quasi Græco more iacto titione inter acies, prælium committit. *Sapiens*, inquit, *non adsentietur nisi percepto: sed nihil est, quod percipi possit.* Nulli ergo adsentietur sapiens, sed adsensum sustinebit. Negat Zeno posterius illud, id est, *Nihil percipi.* Quoniam aliquid sit, quod percipiatur. Quid illud sit, rogat Arcesilas. *Φαντασία*, id est, *visum* vel *visio*, aut, si liceat eo verbo uti, *apparentia*, hoc est, id quod apparet, Zeno ait. Omne, quod apparet, omneque visum verum est atque percipitur? subiungit Arcesilas. 2 Nequaquam, Zeno respon-

1 *De optima docendi ratione.* 2 Cicero in Lucullo.

spondet, verum phantasia illa, quam comprehendi dico, [1] sola ea est, quæ impressa sit atque effiƈta ex eo, quod est, qua ratione illud est, qualisque nulla possit offerri ex eo, quod non est. Reƈte definitum concessit Arcesilas, [2] tamen nullam eiusmodi phantasiam esse, ut non similis alia, & quæ ab illa non discernatur, id est, ut ipsorum verbis loquamur, [3] ὁμοιοτάτη καὶ ἀδιάκριτος, a falso etiam obiici possit. Hanc speciosam belli caussam ipsi Academici narrant. Quod si id, quod [4] D. Augustinus credit, verum sit existimandum, honestior etiam Arcesilæ & Academicorum caussa est, quam vel ipsos ego voluisse crediderim. Ait enim, quum Zeno a Platonis Polemonisque magistri sententia aperte discedens, nihil in rerum natura præter corpora esse concederet, ut & ipsum Deum animosque corpora esse diceret, Arcesilam, celata tamquam mysterio quopiam de iis, quæ intelligentia percipiuntur, & de quibus solis scientia veraque perceptio esse potest, Platonis sententia, quum nihil a Zenone reliƈtum videret, de quo opinione amplius quid esse posset, comprehensionem omnem optimo iure secundum Platonis decreta impugnasse, nec cognitionem aliam, quam opinionem Zenoni concedere voluisse. Quum vero Zeno opinari prohiberet, Arcesilas merito adsentiri etiam vetuit. Nam de corporibus, id est, non veris rebus, opinio, non scientia aut vera comprehensio est. Platonica ergo dogmata Academicorum decreta fuisse [5] Augustinus sibi persuasit, quæ tamen ipsi celarent, nec, ut Ciceronem scripsisse testatur, ea aperire solerent aliis, quam qui secum ad seneƈtutem usque vixissent. Verum enimvero novæ Academiæ rationem universam, quum ad Carneadem verum eius auƈtorem ventum fuerit, describemus. Namque

Ar-

1 De hac definitione inferius agemus.

2 Vide D. August. *contra Acad.* lib. 3. cap. 9.

3 Epiƈtetus Arriani lib. 2. cap. 20.

4 Lib. 3. *contra Acad.* cap. 17.

5 *Contra Acad.* lib. 1. cap. 20.

1 Arcesilam merum Pyrrhonium sub Academici nomine fuisse, plerique omnes tradiderunt. 2 Sextus magnam sibi videri habere Arcesilam cum Pyrrhoniorum verbis adfinitatem dicit, ita ut eadem propemodum disciplina eius sit ac Pyrrhonis. Numenius apud 3 Eusebium, Arcesilam & Crantoris & Theophrasti, Diodorique atque 4 Pyrrhonis disciplina imbutum & armatum ad pugnandum cum Zenone accessisse, scribit, verum præter cognomentum Academici Pyrrhonium perseverasse. Μνασέας γοῦν, inquit, καὶ Φιλόμηλος καὶ τίμων οἱ σκεπτικοὶ, σκεπτικὸν αὐτὸν προσονομάζουσι, ὥσπερ καὶ αὐτοὶ ἦσαν, ἀναιροῦντα καὶ αὐτὸν τὸ ἀληθὲς καὶ τὸ ψεῦδος καὶ τὸ πιθανόν. Id est, *Mnaseas ergo & Philomelus & Timo Sceptici Scepticum eum cognominant, quales & ipsi erant, qui etiam ipse verum & falsum & probabile tolleret.* Academici autem cognominationem propter Polemonis magistri reverentiam retinuisse illum, Numenius ait. Namque ei, quod Diocles Gnidius in *Diatribis* scriptum reliquit, minime se fidem habere, scribere vero illum, Arcesilam sibi caventem metu Theodoræorum Sophistarum ac Bionis, qui omnia omnium philosophorum decreta nullo discrimine impugnarent, ac pertinaciter instarent, nullum dogma palam statuere ausum, sed epoche, ut atramenti effusione sepiæ, sese occultasse, & tutum delitescere voluisse. Quin &, quod 5 Cicero ipse de eo scripsit, Sceptico magis quam Academico convenit: *In utramque partem eum disserere solitum, ut quum in eadem re*, inquit, *paria contrariis in partibus momenta rationum invenirentur, facilius ab utraque parte adsensio sustineretur.* Atqui hæc Sceptica vox est, παντὶ λόγῳ λόγος ἴσος ἀντικεῖται, id est, *omni rationi ratio alia æqualis obstat*: qua voce non solum comprehensio, sed

1 Arcesilas Pyrrhonius plerisque habetur.
2 *Hypotypos.* lib. 1. cap. 33.
3 *Præparation. Evang.* lib. 14.
4 Vide Laertium in Arcesila.
5 *Academic. ad Varr.* lib. 1.

sed & probabilitas omnis evertitur. Si enim pro alterutra parte æqualis momenti rationes omnes sunt, neutra est altera probabilior. Tamen Ciceronianum hoc de Arcesila cum eo, quod de veteribus Academicis [1] Galenus scribit, satis concordat: Ait enim is, *Disputationem in utramque partem in epochen desinere a veteribus Academicis existimatam.* Certe rationum pondera, quod perceptionem spectat, Academicis paria iudicantur; quod ad probabilitatem fidemque faciendam attinet, aliæ aliis rationibus præferuntur maiorique in pretio sunt. Vix enim, ac nec vix quidem Academicum a Pyrrhonio discernere liceret, si nec Academicus quidquam alio probabilius crederet. Verum de hac re satis multa dicturi sumus. Illa quoque Eusebii de Arcesila magis est, ut de Sceptico dicta videantur: Πολέμωνα γὰρ φασὶ διαδέξασθαι ἀρκεσίλαον, ὃν δὴ κατέχει λόγος ἀφέμενον τῶν πλάτωνος δογμάτων ξένην τινὰ καὶ, ὥς φασι, δευτέραν συστήσασθαι ἀκαδημίαν: φάναι γὰρ περὶ ἁπάντων ἐπέχειν δεῖν: εἶναι γὰρ πάντα ἀκατάληπτα καὶ τοὺς εἰς ἑκάτερα λόγους ἰσοκρατεῖς ἀλλήλοις, καὶ τὰς αἰσθήσεις δὲ ἀπίστους εἶναι, καὶ πάντα λόγον. ἐπῄνει γοῦν ἡσιόδου τοῦτο τὸ ἀπόφθεγμα: κρύψαντες γὰρ ἔχουσι θεοὶ νόον ἀνθρώποισιν. ἐπειρᾶτο δὲ καὶ παράδοξά τινα ἀνακαινίζειν, id est, *Polemoni enim Arcesilam aiunt successisse; quem memoriæ est proditum, relictis Platonis decretis, peregrinam quamdam & novam; ac, uti vocant, secundam Academiam constituisse. Dixisse enim, in omnibus adsensionem continere oportere: esse enim omnia incomprehensibilia, rationesque pro alterutra parte æqualis momenti. Fallaces esse sensus & rationem omnem.* Laudabat igitur Hesiodi dictum illud: *Sapientiam enim dii hominibus celarunt. Voluit etiam [2] & inopinata quædam ac nova introducere.*

[1] *De optima docendi ratione.*

[2] Vel, inopinata quædam dogmata iam obsoleta denuo excitare.

Illud vero, quod a Cicerone dicitur, Arceſilam non pertinacia aut ſtudio vincendi cum Zenone certamen inſtituiſſe, probri, quod Arceſilæ obiiceretur, depulſandi cauſſa dictum accipimus. Hæc enim, quæ ex Lactantio Numenioque adſcribemus, ex antiquorum ſententia petita ſunt. 1 Lactantius: *Verum Arceſilas ignorantiæ magiſter, quum Zenoni obtrectaret principi Stoicorum; ut totam philoſophiam everteret, auctore Socrate, ſuſcepit hanc ſententiam, ut adfirmaret; Nihil ſciri poſſe. Itaque coarguit æſtimationem philoſophorum, qui putaviſſent, ingeniis ſuis erutam eſſe atque inventam veritatem*, cet. 2 Numenius de Zenone & Arceſila: συμφοιτῶντες παρὰ πολέμωνι ἐφιλοτιμήθησαν ἀλλήλοις. i. *Quum Polemonis magiſtri ſcholam una frequentarent, mutuo ambitionis & contentionis ſtudio exarſerunt*. Et alio in loco: τὸν δὲ οὖν ζήνωνα ἀρκεσίλαος ἀντίτεχνον καὶ ἀξιόνικον ὑπάρχοντα θεωρῶν, τοὺς παρ' ἐκείνου ἀποφερομένους λόγους καθήρει καὶ οὐδὲν ὤκνει, id eſt: *Quum igitur Arceſilas Zenonem ſibi in arte æmulum eſſe videret, dignumque eum exiſtimaret adverſarium, ex quo debellato decus ſibi pararet, quæcumque ab illo dicta ad ſe deferebantur, impigre impugnabat & intrepide*. Et paullo poſt: Τὸ δὲ δόγμα τοῦτο αὐτοῦ πρώτου εὑρημένου, καὶ αὐτὸ τὸ ὄνομα βλέπων εὐδοκιμοῦν ἐν ταῖς ἀθήναις τὴν καταληπτικὴν φαντασίαν, πάσῃ μηχανῇ ἐχρῆτο ἐπ' αὐτήν, id eſt, *Quum igitur dogma hoc, ipſumque nomen comprehendentis phantaſiæ ab illo primum inventum maxime Athenis celebrari ac placere cerneret, omni adverſus eam machinarum genere utebatur*. Subdit autem Numenius, Zenonem quum multa fortaſſe haberet, quæ pro ſua phantaſia diceret, nihil tamen reſpondiſſe, verum quum nullum appareret Arceſilæ decretum, quod ipſe viciſſim impugnaret, adverſus Platonis nihil in ſe commeriti dogmata ſeſe convertiſſe. Impune ergo Arceſilas ſenſus & conſuetudinem

1 Lib. 3. *de falſ. ſapient.* cap. 6. 2 Apud Euſeb. *Præp.* lib. 14.

nem comprehensionemque universam devastabat, donec exortus ultor est, 1 Chrysippus videlicet, qui porticum videtur fulcire Stoicorum, id est, porticus columna esse: εἰ μὴ γὰρ ἦν χρύσιππος, οὐκ ἂν ἦν στοά, id est, *Nam si* 2 *Chrysippus non fuisset, non foret Stoa.* Hunc, uti 3 Plutarchus scribit, non casu, sed deorum providentia quadam Stoici dicebant post Arcesilam, & ante Carneadem prodiisse, quorum ille quidem iniuriæ ac contumeliæ adversus consuetudinem initium dedit, hic vero Academicorum omnium celeberrimus fuit. Chrysippus igitur quum inter utrumque exstitisset, iis, quæ adversus Arcesilam scripta reliquit, Carneadis ingenio atque acumini quasi vallum opposuit, aditumque præclusit, multis præsidiis quasi in obsidionem sensibus & consuetudini relictis, tumultuque omni, qui circa notitias oboriri aliquando posset, omnino sublato, singulis iis correctis aptoque ac proprio loco positis: ita ut qui iterum in posterum rebus vim inferre, easque loco pellere aggrederentur, nihil amplius agerent, quam ut deprehensi poenas darent. Hæc Stoici de Chrysippo, id est, Hectore suo. At Academici longe aliter de illo sentiunt. Tantum enim abesse eum, aiunt, ut sensibus consuetudinique subsidium attulerit, ut potius imperiti medici more, morbo vires addiderit & maiorem fecerit. Nam quum in iis, quæ pro sensibus & consuetudine scripsit, antequam ad obiecta responderet, ipse etiam multa, quæ solvere se facile posse sperabat, in contrarium rogaret, idque, ut non inferiore, quam Arcesilas, ingenio esse crederetur, ambitiosius faceret, viresque in eam rem ita intenderet, ut non solum philosophi more rationes opponeret, sed & rabulæ in modum interdum declamitaret, iis rationibus quum minus postea satisfaceret, lectoribus, non quod volebat, persuadebat. Ipsi Stoici de

1 Cicero in *Lucullo*.
2 Laertius in *Chrysippo*.
3 De commun. notitiis adversus Stoicos.

Chrysippo gloriantes, ab eo armatum Carneadem conqueri solebant. Quem, quum Chrysippi libros legeret, solitum dicere aiunt, 1 Δαιμόνιε, φθίσει σε τὸ σὸν μένος, id est, *Miser, tua te perdet vis*. Quod hemistichium ab Andromacha Hectorem a pugna revocare studente apud Homerum pronuntiatur. Dicebat etiam Carneades & illud: εἰ μὴ γὰρ ἦν Χρύσιππος, οὐκ ἂν ἦν ἐγώ, id est, *si Chrysippus non fuisset, non essem ego*: quod per parodiam ex illo superius relato est detortum. Ita Stoici de Chrysippi scriptis ac ingenio sibi placent, ut dicant, omnes omnium Academicorum libros, qui adversus sensus sint editi, si simul congerantur, non conferendos cum iis, quæ ab uno Chrysippo adversus sensus sunt scripta. Hæc Cicero non prætermisit, sic enim ait in Lucullo: *De quibus volumina impleta sunt, non a nostris solum, sed etiam a Chrysippo: de quo queri solent Stoici, dum studiose omnia conquisierit contra sensus & perspicuitatem, contraque omnem consuetudinem, contraque rationem, ipsum sibi respondentem se ipso inferiorem fuisse, itaque ab eo armatum esse Carneadem.*

Est ergo nostra sententia Arcesilas Pyrrhonius, aut qua ratione eius, quam plerique mediam Academiam vocant, a Carneadæa, quam novam & tertiam dicunt, discernamus, non habemus; nisi si nec Arcesilam a Platone, nec Carneadæm ab Arcesila, nec ab utroque Philonem descivisse Academicis concedamus. Vnum tamen est, quod Arcesilam non usquequaque cum Pyrrhone consentientem ostendere videatur, quod a Sexto in libro *adversus disciplinas* tradit; scribit enim is, Arcesilam id in vita agenda sequi iussisse, quod probabile iudicaretur. Namque prudenter se gerens quispiam, aiebat, beatitatem adipiscetur. Prudentia in recte factis versatur. Recte vero factum, id est, de quo, quod ita factum fuerit, proba-

1 Plutarchus & Laert. in *Carn.*

babilis & rationi consentanea potest reddi caussa. Atque hoc modo qui probabile sequutus fuerit, & recte se geret, & felicitatem adsequetur. Hæc autem omnia vehementer sunt Academica. Namque, ut ex 1 D. Augustino colligere est, Academici sapientem & beatum beatitate ea, quæ homini contingere possit, eum putabant, qui verum quæreret, licet id numquam apprehendat, sed probabilitatem sequatur. Beate enim vivere eum aiunt, qui secundum rationem vivat ab errore liber. Error autem illis est veri pro falso approbatio. A quo satis se securos putant nihil approbando. Magna autem apud me, etiam in huiusmodi, Augustini est auctoritas: existimo enim omnia, quæ ab illo de Academicorum disciplina in libris, quos adversus eos scripsit, commemorantur, ex M. Tullii libris, qui non exstant, esse desumta. Verumtamen ea ratione probabile sequi oportere, Arcesilas dicere potuit, qua Sceptici etiam ipsi πείθεσθαι, id est, *persuaderi* se, aut quidpiam sibi probari dicunt, quum simpliciter id, quod apparet, sine vehementi aliqua adfectione aut animi propensione sequuntur, ut ne nihil agant, quod idem 2 Sextus scribit.

Quid autem 3 Scepsis, ipsaque Pyrrhonis doctrina & institutio sit, etsi res postulare videatur, ut a nobis exponatur, tamen quum Sexti Pyrrhonii commentaria omnibus præ manibus sint, ex quibus hoc abunde liceat haurire, atque ii, qui non adeo vacarint, ut illa perlegant, ex 4 Laertio commode id capere possint, non magno vitio a nobis omitterentur. Sed quia non omnino sine vitio breviter universam Scepseos rationem perstringemus; vel præstiterit, a Timone Pyrrhonis ipsius discipulo iam olim in brevem summam redactam, & ab Aristocle Messenio re-

1 *Contra Acad.* lib. 1. cap. 1. & 2. & 4.

2 *Hypotypos* lib. 1. cap. 33.

3 De Scepsi, sive Pyrrhoniorum secta.

4 In Pyrrhonis vita.

repetitam transcribere. 1 Igitur quum dixisset Aristocles, adfirmasse quosdam aliquando, quibus Aristoteles contradixerit, haud quaquam nos ea ratione natura comparatos, ut quippiam cognoscere valeamus, subiungit: ἴσχυσε μέντοι τοιαῦτα λέγων καὶ πύῤῥων ὁ ἠλεῖος, ἀλλ' αὐτὸς μὲν οὐδὲν ἐν γραφῇ καταλέλοιπεν, ὁ δέ γε μαθητὴς αὐτοῦ τίμων φησὶ δεῖν τὸν μέλλοντα εὐδαιμονήσειν εἰς τρία ταῦτα βλέπειν. πρῶτον μὲν, ὁποῖα πέφυκε τὰ πράγματα. δεύτερον δὲ, τίνα χρὴ τρόπον ἡμᾶς πρὸς αὐτὰ διακεῖσθαι· Τελευταῖον δὲ, τὶ περιέσται τοῖς οὕτως ἔχουσιν. Τὰ μὲν οὖν πράγματα φησὶν αὐτὸν ἀποφαίνειν ἐπίσης ἀδιάφορα καὶ ἀστάθμητα καὶ ἀνέγκριτα, διὰ τοῦτο μήτε τὰς αἰσθήσεις ἡμῶν μήτε τὰς δόξας ἀληθεύειν ἢ ψούδεσθαι. διὰ τοῦτο οὖν μηδὲ πιστεύειν αὐταῖς δεῖν, ἀλλ' ἀδοξάστους καὶ ἀκλινεῖς καὶ ἀκραδάντους εἶναι περὶ ἑνὸς ἑκάστου λέγοντας, ὅτι οὐ μᾶλλόν ἐστιν ἢ οὐκ ἔστιν. ἢ καὶ ἔστι καὶ οὐκ ἔστιν, οὔτ' οὐκ ἔστιν. Τοῖς μέντοι διακειμένοις οὕτω περιέσεσθαι τίμων φησί, πρῶτον μὲν ἀφασίαν, ἔπειτα δὲ, ἀταραξίαν, αἰνησίδημος δ' ἡδονήν. Τὰ μὲν οὖν κεφάλαια τῶν λεγομένων ἐστὶ ταῦτα, id est: *Perseveravit tamen ac invaluit huiusmodi quædam adfirmans Pyrrho Elæus, verum ipse quidem nihil in scriptis reliquit; discipulus tamen eius Timo ad tria hæc animum advertere debere eum dicit, qui sit beatus futurus. Primum, qua natura res ipsæ sint: secundum, qua ratione nos erga easdem adfectos esse oporteat: postremo, quid ii, qui isto modo habeant, consequantur. Res igitur sibi videri ait, ex æquo indifferentes, & eiusmodi, ut nec mensuram nec iudicium ullum admittant: ideo neque sensus nostros, nec opiniones verum sentire, aut falsum: quare nec adhibendam fidem illis esse, sed absque opinione perstare nos oportere immotos ac stabiles, de quacumque re dicentes, non magis eam esse, quam non esse, vel esse & non esse, nec non esse. Eos, qui is-*

1 Apud Euseb. de *Præparat.* lib. 14.

isto modo sint animati, *Timo consequi dicit*, *primum quidem* APHASIAM, id est, ut de nulla re aut aiant aut negent; *tum etiam* ATARAXIAM, id est, perturbationibus liberum mentis statum; *Aenesidemus vero voluptatem. Atque haec quidem illorum*, *quae ab ipsis discuntur*, *summa capita sunt*. Hæc Aristocles. Iuvabit autem & Scepticæ definitionem ex 1 Sexto adscribere. *Sceptica*, inquit, est δύναμις, id est, *vis* & facultas, quæ, ea, quæ sunt φαινόμενα, id est, *sub sensum cadunt*, iis, quæ sunt νοούμενα, id est, *mente percipiuntur*, opponit; idque quolibet modo. Definitionis huius explanationem videat apud ipsum Sextum cui vacarit. Adfert etiam Laertius ex Aenesidemo hanc alteram Pyrrhoniæ disciplinæ & rationis descriptionem: ἐστὶν ὁ πυῤῥώνειος λόγος μνήμη τὶς τῶν φαινομένων ἢ τῶν ὁπως οὖν νοουμένων, καθ᾽ ἣν πάντα πᾶσι συμβάλλεται, καὶ συγκρινόμενα πολλὴν 2 ἀνωφέλειαν καὶ ταραχὴν ἔχοντα εὑρίσκεται, id est: *Est vero Pyrrhonia ratio & institutio*, *memoria quaedam & recordatio eorum*, *quae apparent*, *vel qualicumque ratione in cogitationem veniunt*, *secundum quam omnia omnibus conferuntur*, *& comparata atque inter se composita inutilia valde & confusionis plena comperiuntur*. Monet autem plusquam uno loco 3 Sextus, Scepticum minime *phaenomena*, id est, ea, quæ apparent, sensibusque obiiciuntur, tollere. Namque, ut ait, Scepticus iis, quibus per phantasiam cogitur adfici, adsentitur. Exempli gratia, quum calefit aut frigefit, nequaquam dixerit, puto me non calefieri aut frigefieri: sed dicimus, Scepticum dogma non ponere eo sensu, quo dogma nonnulli esse aiunt, adsensum ad rem aliquam dubiam & incertam earum, de quibus in scientiis quæritur & ambigitur. Nulli enim rei incertæ & controversæ adsentitur 4 Pyrrhonius, quærit autem & ambigit, non de

1 *Hypotypos.* lib. 1. cap. 4.
2 Libenter aliam vocem substituam.
3 *Hypotyp.* lib. 1. cap. 3.
4 *Hypotyp.* lib. 1. cap. 10.

de ea re, quæ apparet, sed de eo, quod dicitur de re apparente. Veluti, phænomenon est, mel gustum dulcem nobis præbere, de hoc non quærit; sed de illo; an mel dulce sit, quod ad rationem & intelligentian attinet, ambigit. Quod si etiam aperte circa id, quod apparet, aliquando quæstiones movet, non ita id facit quasi apparentia velit evertere, sed ut dogmaticorum temeritatem arguat. Si enim eiusmodi sunt rationis imposturæ, ut etiam apparentia tantum non oculis nostris surripiat; quomodo in incertis suspectam eam habere non debeamus, ne eam sequentes in temeritatem labamur? Est autem animadversione & adnotatione dignissima admonitio hæc, non pro Pyrrhoniis modo, sed potiori etiam ratione pro Academicis. *Nam & Academicis placuit*, ait D. Augustinus, *nec homini scientiam posse contingere, earum dumtaxat rerum, quæ ad philosophiam pertinent. Nam cetera curare se Carneades negabat*, cet.

„ Criterium igitur, inquit Sextus, Scepticæ institu-„ tionis dicimus esse id, quod apparet; quod perinde „ est, ac si phantasiam dicamus. Quum enim persuasio-„ nem & coactam passionem adferat, ambigi de ea non „ potest. Itaque hoc quidem nimirum tale, aut tale ap-„ parere ipsum subiectum, nemo fortasse in dubium vo-„ cat: sed de hoc videlicet, an tale sit, quale apparet, „ ambigitur. Apparentibus igitur adquiescentes, ea, quæ „ ad vitam communem pertinent, observando, opinatio-„ ne omni liberi vivimus: quia omnis actionis prorsus „ expertes esse non possumus. Videtur autem hæc ob-„ servatio eorum, quæ ad vitam communem spectant, tri-„ plex esse, & partim in naturali institutione versari, „ partim in impulsu & coactu passionum, partim in „ constitutione legum & consuetudinum, partim in tra-„ ditione artium; institutione naturali, per quam a na-„ tura & sensuum & intellectus facultate præditi su-„ mus: Passionum coactu; quo fit, ut fames ad cibum

„ nos

„ nos deducat, sitis ad potum: legum & morum constitutione, quæ facit, ut pie agere in vita communi, bonum censeamus; impie agere, malum: artium traditione, per quam non inutiles & otiosi sumus in iis, quæ nobis traduntur, artibus. Hæc autem omnia citra opinationem dicimus. “ Hæc Sextus.

Quum autem Scepticus de quæstione aliqua rogatur, illis verbis, quibus quasi cautionum formulis utitur, solet respondere: σκέπτομαι, id est, quid respondere oporteat, quum nondum compertum habeam, *quæro* atque considero. ἐπέχω, id est, *adsensionem sustineo*, οὐδὲν ὁρίζω, id est, *nihil definio*: namque omnia sunt ἀόριστα, id est, *indefinita*, οὐδὲν μᾶλλον, id est, *nihilo magis*, hoc videlicet est quam illud: παντὶ λόγῳ λόγος ἴσος ἀντικεῖται, id est, *omni sermoni & rationi ratio aliâ æqualis obstat*. Vtebantur & aliis similibus formulis, quas omnes illarumque explanationem ex ipso Sexto petas licet, una cum aliis multis ad hanc sectam pertinentibus. De qua etiam non pauca invenies apud Laertium in Pyrrhonis vita. Gellii quoque, sive Agellii caput quintum libri undecimi de Pyrrhoniis consulas licet, non tamen ut differentiam, quam inter Academicos & Pyrrhonios ipse adsignat, probes. *Quod Academici quidem*, inquit, *ipsum illud, Nihil posse comprehendi, quasi comprehendunt; &, Nihil posse decerni, quasi decernunt: Pyrrhonii ne id quidem ullo pacto videri verum dicunt, quod Nihil esse verum videtur*. Falsum enim hoc esse, quod de Academicis scribit, ex Carneadis ad Antipatrum responsione apud 1 Ciceronem manifestum fit. Nec enim ipsum hoc decretum, id est, *Nihil comprehendi*, Academici comprehensum sibi dicebant, sed probabile existimabant. Sed ea est inter Pyrrhoniam & Academicam rationem, quum utrique philosophi epoche utantur, id est, adsensionem cohibeant, potior differentia,

1 In *Lucullo*.

quod Academici, uti postea planissime constabit, verum ac falsum ex rebus minime tollant, ac nec ex phantassii quidem: nam phantasias aut veraces aut mendaces dicunt. Pyrrhonii hæc utraque ἐπίσης ἀδιάφορα, id est, *nihil inter ea interesse*, pronuntiant. Pyrrhonii paribus omnia stabiliri rationibus existimant: Academici & quædam improbabilia omnino, & alia aliis probabiliora, quæ pluribus aut potioribus rationibus fulciantur, maioremque fidem faciant, concedunt. Quæ tamen adhuc quantumvis probabilia, quum comprehensa non sint, adsensum ab ipsis minime extorqueant.

Et hæc de Scepsi pro instituti nostri ratione satis multa. Iam enim ad Academiam reverti tempus; sed contrarii, id est, Stoici, exercitus copiis prius enumeratis, ut promisimus & necessarium existimamus.

1 Stoica dogmata nisi altius repetito principio non facile intelligas, quum etiam plerumque inopinata sint. Explicaturi ergo Stoicorum de veritatis iudicio sententiam, illinc exordium sumendum ducimus. Animus secundum Stoicos corpore non caret: nec enim ipsi quidquam corporis expers in rerum natura esse credunt. Definiunt autem eum 2 πνεῦμα θερμὸν, id est, *calidum spiritum*, sive ut princeps ipse Chrysippus apud 3 Galenum ait, ἡ ψυχὴ πνεῦμά ἐστιν σύμφυτον ἡμῖν συνεχὲς παντὶ τῷ σώματι διῆκον ἔστ' ἂν ἡ τῆς ζωῆς 4 ειστρία παρῇ ἐν τῷ σώματι. Id est, *Animus est spiritus nobis ingenitus totum corpus pervadens, qui tamdiu est in corpore, quamdiu illud animi functionibus agitur ac regitur*. Et apud Stobæum de Stoicis: τὸ γὰρ συμφυὲς πνεῦμα ἡμῖν ἔνθερμον ὂν ψυχὴν ἡγοῦνται. Id est, *Spiritum enim calidum nobis ingenitum, animum putant*. Partes vero animi octo nume-

1 De Stoico Criterio.

2 Lucianus in *Hermotimo*. Plutarchus *de placit. philos*. lib. 4. cap. 1.

5 *De placitis Hippoc. & Plat*. lib. 3.

4 Corrupta vox, forte leg οὐσία vel διοικεία.

merant, uti statim post illam descriptionem quam, ex [1] Galeni libro excripsimus, Crysippus explicat, sed planissime Plutarchus. „ Stoici, inquit, *hegemonicon*, id est, „ *ductricem* seu principem partem, summam in animo „ esse dicunt, quæ & phantasiarum & adsensionum & sensuum atque appetitionum effectix sit. Hæc autem *logismos*, id est, ratiocinatio illis dicitur. Ab hegemonico vero septem animi partes enascuntur ac procedunt, „ & per corpus tendentes extenduntur, veluti cirri ex „ polypode. Harum autem septem animi partium quinque „ sunt sensoria ipsa, visus, odoratus, auditus, gustus, „ tactus. Ex quibus visus quidem est spiritus pertingens „ ab hegemonico ad oculos. Auditus vero est spiritus pertingens ab hegemonico usque ad aures. Odoratus est „ spiritus pertingens ab hegemonico [2] ad nares extenuandi vim habens. Gustus est spiritus pertingens ab hegemonico usque ad linguam. Tactus vero est spiritus „ pertingens ab hegemonico ad [*totius corporis*] extremitatem sive superficiem, ut quæ incurrunt & nos tangunt, facile sentiantur. Reliquarum partium altera dicitur semen, quæ etiam est spiritus pertingens ab hegemonico ad parastatas. Altera vero, quæ a Zenone *phonaen*, id est, vocalis, dicta est, quam & *phonen*, id „ est, vocem dicunt, est spiritus pertingens ab hegemonico usque ad guttur & linguam & accommodata instrumenta. “ Atque principem quidem animi partem *hegemonicon* & *logismos* dictam proprio nomine apud Stoicos *διοικείαν* indigitari solitam Stobæus refert. Significat autem verbum id *gubernatricem*, sive *gubernationem*, nisi corruptum sit, potiusque *διανοῖαν*, id est, *mentem*

 seu

1 *De placit.* lib. 4. cap. 21.

2 μέχρι μυκτήρων λεπτῆνον, *Budæus*, ad narium fauces, *ex re magis quam ex verbo: an legendum*, λεπτὸν ὕμενα, id est, ad tenuem intra nares pelliculam seu membranam. *Vide Galenum de odor. instrum.*

seu cogitationem, legere oporteat. Sedem autem & quasi solium parti huic, ut idem 1 Plutarchus scribit, in toto corde aut in spiritu, qui circa cor est, adsignabant; sive, ut ipse hic philosophus alio in 2 libro significare videtur, in ipsius cordis medio centro & puncto quodam, a quo ad sensuum instrumenta veluti ex orbis alicuius media parte ad extremas quasi radii ducantur. Atque de hac quidem re apud Galenum Platonis & Hippocratis, qui in cerebro mentem collocarunt, dogmata confirmantem, magna ac plus satis longo sermone agitata disputatio sive iurgium est. Nos autem ad Academiam festinamus. Aiunt ergo 3 Stoici, ita animi principem partem nato statim homine habere veluti membranam scripturæ paratam atque opportunam, in qua singulæ ἔννοιαι, id est, *notitiæ* inscribantur. 4 Primus vero adnotationis sive inscriptionis modus sensuum opere fit: αἴσθησιν autem, id est, *sensum*, sic definiunt: αἴσθησις ἐστὶν ἀντίληψις ἀισθητηρίου ἢ κατάληψις, id est, *sensus est sensorio facta apprehensio* sive comprehensio. Namque κατάληψις, id est, *comprehensio*, ut est apud 5 Laertium fit, secundum hos, aut sensu, ut albi & nigri, asperi & levis, cet. aut ratione, ut eorum quæ demonstratione colliguntur, ut Deos esse & mundo providere. Ac quum 6 plures significationes sensus vocabulo tribuant, in ea quum de illo sic agunt, accipiunt, qua, ut definitio ipsa continet, sentiendi instrumento factam apprehensionem significari dicunt. Atque in huiusmodi inscriptione phantasiæ litterarum usum præstant. Est vero phantasia, ut apud 7 Plutarchum Chrysippus ait, πάθος ἐν τῇ ψυχῇ γιγνόμενον ἐνδεικνύμενον ἑαυτὸ καὶ τὸ πεποιηκός, id est, *adfectio in animo facta, se & id, a quo est effecta, ostendens.* Veluti

1 *De placitis* lib. 4.
2 *De Commun. notitiis adversus Stoic.*
3 Plutarch. *de placit.* lib. 4. c. 11.
4 Plutarch. ibid. cap. 8.
5 In Zenone.
6 Plutarchus & Laertius.
7 *De placitis* lib. 4. cap. 12.

uti quum visu adspicimus album, adfectio quædam atque permotio in animo fit, cui commotioni album, quod ipsum excitavit, subiacere dicimus. Namque phantasia luminis [φῶτος] a quo denominationem accepit, in modum, & se & id, a quo est effecta, indicat. Sicut ipsum lumen se & rem lumine illustratam. Quum ergo 1 Zeno phantasiam τύπωσιν ἐν ψυχῇ, id est, *impressionem in animo* dixisset, Chrysippus τύπωσιν, id est, *impressionem*, ἀλλοίωσιν, id est, *immutationem* interpretabatur: non enim fieri posse, ut in eodem loco plures impressiones eodem tempore constent, si typi veluti impresso sigillo in animo fiant. Quum vero *in animo* dicunt, principem animi partem significant, in ea enim sola phantasias & adsensiones & appetitiones constituunt, quod præter Plutarchum Stobæus in *Physicis* tradit.

Sunt autem phantasiæ aliæ λογικαὶ, id est, *rationales*: aliæ ἄλογοι, id est, *irrationales*. Rationales sunt, quæ ratione præditis animantibus accidunt. Irrationales, quæ ratione carentibus contingunt. Hæ proprio nomine non appellantur, rationales, νοήσεις, id est, *mentis conceptiones* dicuntur. Rursus phantasias in αἰσθητικὰς, id est, *sensitivas*, quæ per sensuum instrumenta percipiuntur: & οὐκ αἰσθητικὰς, id est, *non sensu*, sed mente ac ratione *perceptas*, partiuntur. Præterea, phantasiæ quædam τεχνικαὶ, id est, *artificiosæ*, alteræ ἄτεχνοι, id est, *sine arte*. Namque aliter, inquiunt, artifex, aliter vero imperitus signum aut tabulam conspicit & contemplatur. In quo enim sensus deficere videantur, Stoici artes adhibere iubent, quasi sensus alteros, ait apud Ciceronem Lucullus. 2 Epictetus Academicos accusat, qui id, quod in sensibus ad comprehensionem & scientiam subsidii est, impugnent & subvertere conentur, quum contra oporteret

1 Sextus *contra discip.* Laertius in *Zenone.*

2 Epictetus Ariani lib. 2. cap. 20.

ret studio & diligentia arteque adhibita sensus ipsos iuvare, excolere atque ornare. Lucullus sive Antiochus, id est, Stoici ipsi apud Marcum Tullium: » Adhibita vero exercitatione & arte, ut oculi pictura teneantur, » & aures cantu, quis est, qui non cernat, quanta vis sit » in sensibus? quam multa vident pictores in umbris & » in eminentia, quæ nos non videmus? quam multa, quæ » nos fugiunt in cantu, exaudiunt in eo genere exerci» tati? qui primo inflatu tibicinis Antiopam esse aiunt, » aut Andromacham, quum id nos ne suspicemur quidem. Dividunt etiam Stoici phantasias in veras & falsas. Verum præcipua, & quæ magis ad rem facit, Stoica partitio est, qua phantasiarum 1 alia αταληπτικὴ, in est, *comprehensiva* vel comprehendens, alia ἀκατάληπτος, id est, *non comprehensa*, nec comprehendens, esse dicitur. Comprehendentis phantasiæ celebris est a Zenone ipso tradita definitio, Ἡ ἀπὸ τοῦ ὑπάρχοντος κατὰ αὐτὸ τὸ ὑπάρχον ἐναπομεμαγμένη καὶ ἐναποτετυπωμένη, οἷα οὐκ ἂν γένοιτο ἀπὸ τοῦ μὴ ὑπάρχοντος: id est, *Quæ expressa est atque impressa ab eo, quod est, veluti est, qualisque numquam fieri possit ab eo, quod non est.* Ἀκατάληπτον, id est, *non comprehensam*, sive quæ comprehendi non potest, eam dicunt, quæ ab eo, quod non est, incurrat.

Ac phantasias quidem alias veras esse, alias falsas dicunt, alias comprehendi, alias non comprehendi: sensus autem omnes veros omnesque comprehensos, quum ipsi comprehensiones quædam sint, esse adfirmant. Neque comprehensiones solum, sed & adsensiones sensus omnes necessario esse Stoici asseverant. Quum enim quis album intuetur, albumque illud esse sentit, simul & comprehendit & adsentitur album id esse, aut non sentit. Hoc in Lucullo ex Antiochi sententia pronuntiatur, & Stoicorum verbis apud

1 De phantasia comprehensiva.

apud 1 Laertium scribitur. Aiunt enim sensilium phantasiarum perceptionem μετὰ εἴξεως ϗ συγκαταθέσεως, id est, *sedente & adsentiente animo* fieri. Atque hoc unum est ex præcipuis controversiæ capitibus. Minime enim adsensus liber esset, minimeque illum retinere liceret, siquidem omnis, qui sentit, eo ipso & comprehendere & adsentiri dicendus foret. De hac re quædam apud Stobæum in *Physicis* leguntur, sed ita corrupta, ut huc transcribenda non existimarim, illum tamen sensum continere videntur. 2 Stoicis placere, sensum non ad solam phantasiam pertingere, sed & ipsum & appetitionem usque ad approbationem progredi, nec sine adsensione sensum esse: at veteres philosophos Academicos in primis, nudam phantasiæ adfectionem sensum esse putare, nec appetitionem initio illi adjunctam, nedum approbationem. Alioquin adsensus in nostra potestate non esset. Igitur Stoici quum neque sensum sine approbatione constare posse contendant, multo minus appetitione quemquam moveri posse concesserint, qui non adsentiatur, id quod appetit, ad naturam esse accommodatum. 3 Decernunt ergo; πάσας τὰς ὁρμὰς εἶναι συγκαταθέσεις. Id est, *omnes appetitiones esse approbationes*. Fuit itaque hoc Stoicarum adversus Academicos disputationum præcipuum argumentum. 4 Plutarchus: Καὶ μὴν ἐν τοῖς πρὸς τοὺς Ἀκαδημαϊκοὺς ἀγῶσιν ὁ πλεῖστος αὐτῷ τε χρυσίππῳ καὶ ἀντιπάτρῳ πόνος γέγονε περὶ τοῦ μήτε πράττειν μήτε ὁρμᾷν ἀσυγκαταθέτως, ἀλλὰ πλάσματα λέγειν καὶ κενὰς ὑποθέσεις, τοὺς ἀξιοῦντας οἰκείας φαντασίας γινομένης εὐθὺς ὁρμᾷν μὴ εἴξαντας μήτε συγκαταθεμένους, id est, *Atqui in certaminibus adversus Academicos pluri-*

1 In *Zenonis* vita.

2 Vide sententiam Semiæ Stoici de sensu apud Galenum. κατ' ἰατρεῖον, pag. 665. 22. Græcæ edition. Basil.

3 Apud Stobæum.

4 *De Stoicis contrariet.*

rimus & Chrysippo ipsi & Antipatro labor & conatus de eo fuit, ut ostenderent, nec agere quidquam, nec appetere quempiam citra adsensionem posse: sed figmenta & vanas positiones dicere eos, qui volunt, oblata phantasia rei ad naturam accommodatæ protinus appetere nos non cedentes neque approbantes. Tamen post multa tentata machinarum genera, multaque certamina anxie decertata, nihil tandem ab Stoicis aliisque philosophis actum, idem 1 Plutarchus scribit, sed firmam adhuc & inconcussam Epochen permansisse, neque loco umquam pulsam. Verum præstiterit verba ipsa Plutarchi adscribere, quæ mire ad rem pertinent, qua de agimus. Τὴν δὲ περὶ πάντων ἐποχὴν οὐδ᾽ οἱ πολλὰ πραγματευσάμενοι καὶ κατατείναντες εἰς τοῦτο συγγράμματα καὶ λόγους, ἐκίνησαν· ἀλλ᾽ ἐκ τῆς στοᾶς αὐτῆς τελευτῶντες, ὥσπερ γοργόνα, τὴν ἀπραξίαν ἐπάγοντες ἀπηγόρευσαν, ὡς πάντα πειρῶσι καὶ στρέφουσιν αὐτοῖς οὐχ ὑπήκουσεν ἡ ὁρμὴ γενέσθαι συγκατάθεσις, οὐδὲ τῆς ῥοπῆς ἀρχὴν ἐδέξατο τὴν αἴσθησιν, ἀλλ᾽ ἐξ ἑαυτῆς ἀγωγὸς ἐπὶ τὰς πράξεις ἐφάνη, μὴ δεομένη τοῦ προστίθεσθαι: id est, *Adsensus vero in omni re retentionem* [id et, epochen] *nec ii, qui multum negotii operæque in eam impenderunt, longis voluminibus adversus eam scriptis, loco pellere potuere. Verum quum nec sumta ab Stoa ipsa Apraxia* [id est, actionis universæ privatione] *ac veluti Medusæ capite intentata atque ostensa, quidquam proficerent, re tandem desperata destiterunt, postquam omnia experti, omnique lapide moto, numquam appetitionem adducere potuerunt, uti adsensus fieri se pateretur, nec a sensu propensionis suæ initium admittere voluit; sed sola ipsa nulla accessione egens ad adliciendum & deducendum ad actiones satis idonea est comperta.* Sed ad minuta illa Stoicorum revertendum nobis est.

Ac

1 *Adversus Colotem.*

1 Eas, quæ ratione utentibus obveniunt, phantasias, νοήσεις appellari adnotabamus, hæ postquam in mente repositæ sunt ac conservatæ, ἔννοιαι, id est, notitiæ dicuntur: sic enim definiunt, ἔννοιαι, ἀποκειμέναι νοήσεις, id est, *Notitiæ repositæ in mente apprehensiones*. Atque si animo infixæ perseverent, μνήμη, id est, *memoria* iam est, quam μόνιμον καὶ σχετικὴν τύπωσιν, id est, *stabilem impressionem*, & quæ in habitum abierit, dicunt. Vt quum albi sensu percepti memoria, eo e conspectu sublato, remanet. Namque quamdiu id, quod sentitur, adest, non memoria, sed, ut arbitror, phantasiæ ἔμφασις (quasi dicas *apparentia*) ab Stoicis dicebatur. Sic enim illa apud 2 Laertium accipio, εἰσὶ δὲ τῶν φαντασιῶν καὶ ἐμφάσεις ἕως ἂν ἀπὸ ὑπαρχόντων γινομέναι ἔτι, id est, *sunt etiam phantasiarum emphases, donec ab eo, quod est, fiunt*. Non negarim tamen, hæc illum sensum admittere, ut significent, phantasias ab eo, quod est, proprio nomine *emphases* vocari. Postquam vero multæ generis eiusdem memoriæ convenerint, ἐμπειρίαν, id est, *usum* sive artem habere dicunt. Est enim ἐμπειρία τὸ τῶν ὁμοειδῶν μνημῶν πλῆθος, id est, *generis unius memoriarum collectio* sive multitudo. Apud 3 Ciceronem Stoici artem non ex una aut ex duabus, sed ex multis animi perceptionibus constare dicunt.

Ac quotquot sine arte nostra notitiæ rerum mente excipiuntur, 4 φυσικαὶ, id est, *naturales* vocantur, suoque nomine προλήψεις. Est autem 5 πρόληψις ἔννοια φυσικὴ τοῦ καθόλου, id est, *Notitia naturalis universalium*, vel eorum, quæ in genere aut in universum dicuntur: ut notitia hominis, equi, bovis, albi, nigri, cet. Quæ vero arte & studio atque disciplina notitiæ

Aa com-

1 Plutarchus *de Stoicis contrariet.* & *de placit. phil.* lib. 4. cap. 11.
2 In *Zenone*.
3 In *Lucullo*.
4 Plutarchus.
5 Laert. in *Zeno*.

comparantur; τεχνικαὶ ἔννοιαι, id est, *artificiosæ notitiæ* sunt, nec proprio nomine insigniuntur. 1 Cicero ἐννοίας & προλήψεις non distinguit, sed uno vocabulo *notitias* vertit.

2 *Logos*, id est, ratio ipsa, propter quam homines rationis participes esse dicuntur, ἐκ τῶν προλήψεων, id est, *ex naturalibus* illis *prænotionibus* atque notitiis in animo collectis confici atque consummari constareque dicitur. Quod primo ætatis septennario absolvi solere putant; Iam enim eo tempore diversarum rerum notionibus consideratis, alterisque ad alteras comparatis ac invicem compositis, rationes & argumentationes construere & iudicare homines valent.

Criterium igitur *veritatis* 3 Zeno & Stoicorum maior pars τὴν καταληπτικὴν φαντασίαν, id est, *visionem comprehensivam* seu comprehendentem esse decreverunt. Cuius phantasiæ definitio superius a nobis Græce recitata, sic a 4 Marco Tullio Latinis verbis redditur: *Visum impressum effictumque ex eo quod est, quale esse non potest ex eo, quod non est.* Ac nescio, qua ratione in translatione hac verba illa definitionis κατὰ αὐτὸ τὸ ὑπάρχον, id est, *sicut est ipsum, quod est*, omissa sint, quum uti ex 5 Sexti explicatione, (is enim definitionem istam late prosequitur, singulasque eius partes interpretatur) apparet, necessaria omnino videantur. Namque ut visio aliqua comprehendens dici mereatur, & ab eo, quod est, proveniat oportet, & rem ita, uti est, repræsentet, eiusmodique sit, ut falsum aliquod visum eiusdem formæ omninoque simillimum, & quod nulla arte a vero discernatur, nullum contingere queat.

Ac talis certe phantasia revera comprehendens, & cui

1 In *Lucullo*.

2 Plutharcus *de Plac.* lib. 4. cap. 11 & Philo in *sacrar. leg. alleg.* post exahemer.

3 Cicero, Sextus, Laertius.

4 In *Lucullo*.

5 Lib. *advers. disciplin.* cap. de *criterio*.

cui adsensus iure optimo deberetur, foret, si quidem eiusmodi aliqua posset reperiri. Nec aliter [1] Academici ipsi censent, qui mire definitionem istam commendant, & Acatalepsiæ fundamento utuntur. Nisi quod Stoici multas eiusmodi visiones esse, pertinaciter adseverant. Academici nec unam quidem talem umquam contigisse aut contingere posse, probant. Atque adeo quum, uti aiunt, nullum visum sit, quod ad hanc comprehendendi veram rationem attinet, quod comprehendi possit, retinendam adsensionem merito sibi videntur statuere. Atque de hac una re tota fere concertatio est illis pro sensibus, consuetudine, perspicuitate & ratione depugnantibus; his, id est, Academicis, sensuum consuetudinisque universæ ac perspicuitatis, rationumque omnium, quod quidem ad aliud quippiam probabilitate maius præstandum faciat, iudicium damnantibus ac dilacerantibus. Hinc tot Chrysippi scripta pro sensibus & consuetudine laudantur, totque Academicorum contrariæ disputationes. Stoici [2] apud Plutarchum πρόδικοι τῆς ἐναργείας, id est, *evidentiæ advocati* & patroni cognominantur. Phavorinus Academicus tres libros adversus comprehendentem phantasiam scripsit, ut [3] Galenus refert, qui etiam tradit, Carneadem nec illud quidem concessise: quæ duo uni cuipiam æqualia sint, mutuo etiam æqualia esse. Ipse [4] Cicero geometricis his elementis non multum adquiescit. Verum enimvero nondum ad Academiam divertimus: sunt enim Stoica hæc amplius expedienda, quum sint impeditiora.

Igitur primum [5] occurrente phantasia animus percellitur, tum mens, ut quæ discernendi habet facultatem rationisque & eloquutionis usu est prædita, quidnam sit illud, quod phantasiam immittit, apud se enuntiat, ut

1 D. Augustinus *contra Academ.* lib. 2. cap. 5.

2 *De commun. notitiis adversus Stoicos.*

3 Galenus *de optimo docendi genere.*

4 In *Lucullo*.

5 Laertius in *Zenone*.

puta, Albi viſio eſt hæc. Ac ſi quidem nihil impediat, id eſt, ut dicebant, 1 ἐνστήματα vel ἐνστάσεις, id eſt, impedimenta nulla ſint, quominus viſio vera habeatur, Mens eam apprehendit, & apprehenſæ adſentitur: hæc res, ſi ſenſus inſtrumento excepta viſio fuerat, Stoicis *Senſus* eſt. Quod ſi res, cuius viſum perceptum & approbatum fuit, ad naturam indicetur accommodata, ὁρμὴ, id eſt, *appetitio* eveſtigio ſequitur; ſin vero naturæ incommoda ἀφορμὴ vel ἔκκλισις, id eſt, *animi declinatus* ac fuga. Eſt autem 2 ὁρμὴ, φορὰ ψυχῆς ἐπί τι, id eſt, *Impetus animi ad aliquid*. Quæ vero λογικὴ ὁρμὴ, id eſt, *rationalis appetitio* dicitur, illo modo definitur, φορὰ διανοίας ἐπί τι τῶν ἐν τῷ πράττειν, id eſt, *impetus* vel motus, vel impulſus *mentis ad aliquid eorum*, quæ *in actione ſunt*. Hæ apud Stobæum appetitionis definitiones ex Stoicis ſunt exſcriptæ. At 3 Plutarchus, Chryſippum in libro de lege iſto modo appetitionem deſcripſiſſe, refert: ἡ ὁρμὴ τοῦ ἀνθρώπου, λόγος ἐστὶ προστακτικὸς αὐτῷ τοῦ ποιεῖν, id eſt, *Hominis appetitio ratio* [quædam] *eſt*, *quæ illi actionem imperat*. Quæ definitio quum de animi adfectionibus in morali tractatione ex Stoicorum ſententia agendum fuerit, memoriæ maxime tenenda. Cicero ſecundam illam deſcriptionem reſpicere videtur, quum ſcribit: 4 *Nam aliter appetitio* (*eam enim eſſe volumus* ὁρμὴν) *qua ad agendum impellimur & id appetimus*, *quod eſt viſum*, *moveri non poteſt*. Hanc idem Cicero alio in 5 libro, animi *appetitum* & *adſcitum* interpretatur, contrarium, id eſt, ἀφορμὴν, *depulſionem* & *declinatum* vocat, Seneca *fugam*. Philo Iudæus, qui plerumque philoſophicis variarum ſectarum vocibus & decretis uti gaudet, in libro, cuius index eſt; ὅτι ἄτρεπτον τὸ θεῖον, id eſt, *non eſſe divinam na-*

1 Sextus.
2 Stobæus.
3 *De Stoicis contrarietatib.*
4 In *Lucullo.*
5 *De finibus.*

naturam mutationi obnoxiam, de appetitione hæc non quidem Stoica, sed planissime Academica scripta reliquit: τὸ δὲ φανὲν καὶ τυπῶσαν τότε μὴν οἰκείως, τό τε δὲ καὶ ὡς ἑτέρως διέθηκε τὴν ψυχήν. τοῦτο δὲ αὐτῆς τὸ πάθος ὁρμὴ καλεῖται, ἣν ὁριζόμενοι πρώτην ἔφασαν εἶναι ψυχῆς κίνησιν, id est, *Id vero, quod apparuit, visumque sui impressit, nunc quidem uti naturæ acommodatum, nunc vero ut altero modo habens adfecit animum.* Cuius adfectio ea *appetitio* nuncupatur, quam definire volentes primam animi motionem esse dixerunt. Πρακτικὴν autem, id est, *agentem* hanc appetitionem, Stoici more suo in multa minutiora dividunt, numerant enim eius species, πρόθεσιν, ἐπιβολὴν, παρασκευὴν, ἐγχείρησιν, προαίρησιν, θέλησιν. Quasi dicas, *propositum*, *intentionem*, *præparationem*, *conatum*, *consilium*, *voluntatem*. Verum nimis iam multum in Stoicis senticetis hæremus, Ad scientiam ergo, hæc enim ipsis viæ finis & navigationis portus, ipsaque beatorum civitas est, tandem accedamus.

Scientiam Stoici varie definiunt: hæc enim eius sunt ex ipsis collectæ apud Stobæum definitiones: ἐπιστήμη ἐστὶ κατάληψις ἀσφαλὴς καὶ ἀμετάπτωτος ὑπὸ λόγου, id est, *Scientia est firma & immutabilis ac rationi innixa comprehensio*, vel, quæ ratione convelli non possit, comprehensio. Et σύστημα ἐξ ἐπιστημῶν τοιούτων κατὰ μέρος [1] λογικὴ ἐν τῷ σπουδαίῳ ὑπάρχουσα, id est, *collectio ex huiusmodi scientiis in rationali animi parte sapientis constituta.* Et σύστημα ἐξ ἐπιστημῶν τεχνικῶν ἐξ αὐτοῦ ἔχον τὸ βέβαιον, ὡς [2] ἔχουσαν αἱ ἀρεταὶ, id est, *Collectio* sive aggregatio *ex scientiis artificiosis firmitudinem a se ipsa habens, quales virtutes sunt, vel qualem firmitudinem virtutes habent.* Et ἕξις φαντασιῶν δεκτικὴ ἀμετάπτωτος

1 Leg. λογικόν. 2 δ. τ. ἔχουσιν.

τωῖος ὑπὸ λόγου, id est, *Habitus ad phantasiarum receptionem accommodatus, a ratione firmitatem habens, ut convelli non possit*, vel, quem convellere nulla ratio possit.

In solis autem virtutibus atque in sapiente solo scientiam esse, 1 Stoicorum dogmatum caput est: quam & summum bonum dicunt, & solum. Cicero in *Lucullo*: *In quibus* [virtutibus] *solis inesse etiam scientiam dicimus, quam, nos* [Stoici & Antiochus] *non comprehensionem modo rerum, sed etiam stabilem atque immutabilem esse censemus.* Et paullo ante libri finem: *Nos enim* [Stoici] *defendimus, etiam insipientem multa comprehendere. At scire negatis quemquam rem ullam nisi sapientem.* 2 Plutarchus Stoicorum verbis, πᾶσα κατάληψις ἐν τῷ σοφῷ καὶ μνήμη τὸ ἀσφαλὲς ἔχουσα καὶ βέβαιον, εὐθὺς ἐστιν ἐπιστήμη καὶ ἀγαθὸν μέγα καὶ μέγιστον, id est, *Omnis comprehensio in sapiente & memoria, quæ constantiam & firmitudinem habeat, protinus scientia est, magnumque ac maximum bonum.* Omnia enim, quæcumque in sapiente sint, bona esse, in stulto, id est, vulgari hominum conditione, nihil bonum, meliora media esse statuebant. Vnde & officia quantumvis recta, in sapiente solo perfecta & bona & κατορθώματα, id est, *recte facta*, in insipiente non nisi media & imperfecta officia appellari volebant. Sed de his alius erit dicendi locus.

Quibus autem quasi gradibus ad hoc summum bonum deveniatur, & ex iis, quæ dicta sunt, iam elucescit, siquidem memoria tenes, quid visa, quid notitiæ, quid prolepses sint, quid memoria ac usus sive ars, qua ratione mens, dialecticæ etiam ductu, ex notitiis rationes conficiat, decretaque statuat & firmet. Quæ omnia etiam stulto ante sapientiam contingunt, nec, ut modo dicebat-

1 D. August. *contra Academ.* lib. I. cap 7.

2 *De commun. notitiis advers. Stoic.*

bamus, quantumvis speciosa, illi plusquam media sunt, neque propter ea aliquid est consequutus, quo minus stultus plane & miserrimus habeatur, nisi quod iis stationibus ultimo tandem pedatu scientiam tenet, repenteque ex insipiente & infelicissimo, cuique nullum malum absit, sapiens beatissimusque evadit, νοῦν τέλειον (ait 1 Plutarchus) ἄκραν φρόνησιν, ἰσόθεον διάθεσιν, ἀδόξαστον ἐπιστήμην, καὶ ἀμετάπτωτον ἕξιν ἐσχηκὼς, οὐδὲν ἐνδεούσης πρότερον αὐτῷ τῆς μοχθηρίας· ἀλλ' ἐξαίφνης, ὀλίγου δέω εἰπεῖν, ἥρως τις ἢ δαίμων ἢ θεὸς ἐκ θηρίου τοῦ κακίστου γενόμενος· ἐκ τῆς στοᾶς γὰρ λαβόντα τὴν ἀρετὴν, ἔστιν εἰπεῖν. Εὖξαι εἴ τι βούλει, πάντα σοι γενήσεται, id est, *Mentem perfectam, summam sapientiam, divinæ parem conditionem, scientiam ab opinione omni liberam, immutabilemque habitum consequutus: quum tamen antea nihil ei ex nequitia decederet: sed repente (parum est quin dicere ausim) in heroem quempiam, aut dæmonem aut deum mutatus. Qui enim virtutem ex Stoa sumtam habeat, dicat statim licet: Opta siquid vis, omnia tibi aderunt*, cet. Illos gradus idem 2 Plutarchus alio in loco indicat aperte, dum Stoicorum inconstantiam accusat: quos ita sibi non constare, neque quid dicant, animadvertere ait, ὥστε τὰς ἐννοίας ἀποκειμένας τινὰς ὁριζόμενοι νοήσεις, μνήμας δὲ μονίμους καὶ σχετικὰς τυπώσεις, τὰς δὲ ἐπιστήμας καὶ παντάπασι πηγνύντες ὡς τὸ ἀμετάπτωτον καὶ βέβαιον ἐχούσας, εἶτα τούτοις ὑποτιθέασι βάσιν καὶ ἕδραν οὐσίας ὀλισθηρᾶς καὶ σκεδαστῆς καὶ φερομένης ἀεὶ καὶ ῥεούσης, id est, *ut quum notitias repositas quasdam mentis conceptiones esse definiant, memorias autem constantes & habitum adeptas impressiones: scientias vero etiam omnino cogant & quasi coagulent, ut quæ immutabiles ac firmæ sint; fundamentum deinde sedemque istis ex lubrica & non stabili, sed dis-*

1 *Quod Stoici poetis magis inepita dicunt.*

2 *De commun. notitiis advers. Stoic.*

dissipabili semperque fluente natura substernant. Animum videlicet ex tenui aura compactum. Longa de hac re Lucullo habetur oratio ab illis statim verbis: *Ordiamur igitur a sensibus*, cet. Quam apud Ciceronem legas. Nos integrum librum exscribere nolumus. Duo tamen loca apponere necessarium existimamus. Altero tota Stoici criterii ratio ex Antiochi fide a Varrone describitur; altero Zenonis imago, qua omnia hæc repræsentare ipse solebat, Ciceronis verbis depingitur. 1 *Visis*, inquit Varro, *non omnibus adiungebat fidem* [Zeno;] *sed iis solum, quæ propriam quamdam haberent declarationem earum rerum, quæ viderentur. Id autem visum quum ipsum cerneretur, comprehensibile, feretis hæc? Nos vero, inquam; quonam enim modo* καταληπτὸν *diceres? Sed quum acceptum iam & approbatum esset, comprehensionem appellabat, similem iis rebus, quæ manu prehenderentur: ex quo etiam nomen hoc duxerat, quum eo verbo antea nemo in tali re usus esset, plurimisque idem novis verbis (nova enim dicebat) usus est. Quod autem erat sensu comprehensum, id ipsum sensum appellabat.* 2 *Et, si ita erat comprehensum, ut convelli ratione non posset, scientiam; sin aliter, inscientiam nominabat: ex qua exsisteret etiam opinio, quæ esset imbecilla & cum falso incognitoque communis. Sed inter scientiam & inscientiam comprehensionem illam, quam dixi, collocabat. Eamque neque in rectis, neque in pravis numerabat, sed soli credendum esse dicebat: e quo sensibus etiam fidem tribuebat, quod, ut supra dixi, comprehensio facta sensibus & vera esse illi & fidelis videbatur; non quod omnia, quæ essent in re, comprehenderet, sed quia nihil, quod cadere in eam posset, relinqueret; quodque natura quasi normam scientiæ & principium sui dedisset. Vnde postea notiones rerum in animis imprimerentur, e qui-*

1 Cicero. *Acad. ad Varr.* lib. 1.
2 Vides qua ratione interpretetur τὸ ἀδιάπτωτον ὑπὸ λόγου.

quibus non principia solum, sed latiores quædam ad rationem inveniendam viæ reperiuntur. Errorem autem & temeritatem, & ignorantiam, & opinationem, & suspicionem, & uno nomine omnia, quæ essent aliena firmæ & constantis adsensionis, a virtute sapientiaque removebat. Hæc apud Ciceronem Varro. Illo autem altero loco ipse Cicero: *Et hoc quidem*, ait, *Zeno gestu conficiebat: nam quum extensis digitis adversam manum extenderat, visum, inquiebat, huiusmodi est: deinde quum paullum digitos constrinxerat, adsensus huiusmodi: tum quum plane compresserat, pugnumque fecerat, comprehensionem illam esse dicebat: qua ex similitudine etiam nomen ei rei, quod antea non fuerat, κατάληψιν imposuit. Quum autem lævam manum pugno admoverat, & illum pugnum arcte vehementerque compresserat, scientiam talem esse dicebat, cuius compotem nisi sapientem esse neminem.* Cernis ergo, quo ista ordine procedere Stoici velint. Hoc nempe, phantasia, comprehensio, & sensus & adsensus, memoria, scientia. Adsensum autem ideo in imagine apprehensionem præcedere suspicor, quod in plerisque hominum id soleat accidere, ita ut minus firmus & pertinax adsensus, quam comprehensio sit, si vulgarem hominum conditionem spectes. Namque in sapiente comprehensio approbationem antecedat necesse est, aut opinari sapientem, a quo maxime Stoici abhorrent. [1] Aiunt enim peccare homines, dum phantasiis adsentiuntur, *ἂν μὲν ἀδήλοις εἴκωσι* [2] *προσπίπτοντας, ἂν δὲ ψεύδεσι, διαψευδομένους: ἂν δὲ κοινῶς ἀκαταλήπτοις, δοξάζοντας*, id est, *Siquidem incertis cedant & abduci se patiantur, proruentes ac præcipites quasi qui cadere festinent; si vero falsis, deceptos; sin autem communiter imperceptis, opinantes.* Stobæus de Stoicis: Μηδὲν δὲ ὑπολαμβάνειν ἀσθενῶς, ἀλλὰ μᾶλλον ἀσφα-

1 Plutarchus *de Stoic. contrarietatibus.*

2 δεπροσπίπτοντας.

λῶς καὶ βεβαίως, διὸ καὶ μήδε δοξάζειν τὸν σοφόν. δίττας μὲν εἶναι δόξας, τὴν μὲν ἀκατάληπτον συγκατάθεσιν, τὴν δὲ ὑπόληψιν ἀσθενῆ. ταῦτας δὲ ἀλλοτρίοις εἶναι τῆς τοῦ σοφοῦ διαθέσεως. διὸ καὶ τὸ προπίπτειν, πρὸ καταλήψεως συγκατατίθεσθαι. κατὰ τὸ προπετῆ μᾶλλον εἶναι, καὶ μὴ πίπτειν εἰς τὸν εὐφυῆ καὶ τέλειον ἄνδρα καὶ σπουδαῖον. Id est, *Nihil vero existimare nisi firmiter, ideo nec opinari sapientem. Ac duas quidem esse opinionis species: alteram, quæ sit adsensus sine comprehensione; alteram vero, existimatio infirma. Vtramque alienam a sapientis adfectione.* Quare & approbatione apprehensioni præcurrere, quod προπίπτειν dicunt, temerario ac præcipiti, sapienti vero atque perfecto viro minime accidere. Harum duarum opinionis specierum priorem simpliciter opinationem, alteram suspicionem a Cicerone in Varronis verbis, quæ retulimus, vocatam advertere debuisti. Esto ergo scientia maximum summumque bonum, sed quæ tandem eius est utilitas, si nemo futurus est, qui eius compos fiat? Ait namque 1 Cicero, qui sapiens sit, aut fuerit, nec ipsos quidem Stoicos dicere solere: id est, non habere eos, nec pronuntiare cuiuspiam nomen posse, qui illam magnam felicitatem consequutus umquam fuerit. Contingere quidem posse virtutem & sapientiam, inde sibi 2 Possidonius Stoicus colligere videbatur, quod Socrates Diogenesque ac Antisthenes ad eam profectus fecissent: tamen neminem, qui virtutem ipsam obtinuisset, Stoici noverant, aut fuisse aliquando credebant. De quorum sententia illud a Plutarcho, quum de Stoico sapiente agit, pronuntiatur: ἔστι δὲ οὗτος οὐδαμοῦ γῆς οὐδὲ γέγονεν. Id est, *Est vero hic, aut fuit nusquam gentium.* Nec solis Stoicis hoc placuit, sed & omnes fere gentium sapientes producere possemus, 3 qui non solum nulli umquam sapientiam conti-

ti-

1 In *Lucullo*.
2 Apud Laertium in *Zenone*.
3 Vide Plutarch. in *Lycurgo*.

tigisse, sed nec contingere homini posse aperte sunt professi. Sunt autem hæ gentium confessiones animadversione dignæ pro illo divi Paulli dicto: *Neminem ad perfectum adduxit lex. Philosophia enim instar legis habet. Nam huiusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex.* Illud etiam non prætermittendum, quod a Diocle apud 1 Laertium est traditum, fuisse Stoicos aliquos, quibus Zenonis de criterio sententia non probaretur. Nam antiquiores quidam Stoici, ut Possidonius in libro *de criterio* scripsit, rectæ rationi iudicium veritatis tribuerunt. Boetius mentem & sensum & ὄρεξιν, id est, *appetitum* seu appetitionem seu desiderium, & scientiam criteria dicit. Chrysippus in libro *de ratione* vel sermone, sensum & prolepsin criteria statuit. Tamen 2 Galenus Zenonis sententiam de criterio Chrysippo tribuit. Hæc de Stoico criterio.

3 Arcesilæ successit in Academia Lacydes, qui dum adhuc viveret, Teleclo & Evandro Phocensibus scholam regendam tradidit. Evandrum sequutus est Hegesinus Pergamenus, post quem Carneades Cyrenensis Clitomachi Poeni, quem Larissæus Philo audivit, magister Academiam tenuit. Hic est ille Carneades, cuius & in oratoria & in philosophia magnum nomen est, quique verus novæ Academiæ auctor habetur: quam enim hic philosophandi rationem edixit, eam plerique omnes, qui Academicorum cognomento gavisi sunt, postea tenuerunt, certe tenere & sequi sunt professi. Quare & nos omnia, quæ de huius disciplina invenire potuerimus, colligere, & in medium adferre curabimus, nec diligentiæ & laboris pro viribus parci erimus.

Igitur Carneades hic, uti videbatur, de Arcesilæ illa Pyrrhonia ac rigida pertinacia aliquantum laxans ac re-

1 In *Zenone*.
2 *De placitis Hippocr. & Plat.* l. 9.
3 De Carneade & nova Academia.

mittens, ferarum potius more (ait apud Eusebium Numenius) ut auctis viribus & contentis maiori insultu & impetu adoriretur, retrocessisse existimandus. Gravior enim & expugnatu difficilior, quam Arcesilas, Carneades hostis dogmaticis omnibus infensissimus, sed præcipue Stoicis fuit. Tota vero eius sententia huiusmodi fuisse videtur.

Primum quidem certe omnia sunt ἀκατάληπτα, id est, *incomprehensibilia*, nihilque est, quod percipi & comprehendi possit. Verum hoc non rerum ipsarum culpa; sua enim ipsæ apud se natura constant, ut siquid de illis adfirmetur aut negetur, effatum aut verum, aut falsum necessario sit, a parte rei, ut nostri philosophi loquuntur. Tamen hominibus non obtigit facultas vel ars aliqua, qua verum a falso discernant & diiudicare valeant. Similiter & de phantasiis, quod quidem res spectat, quarum imagines sunt, & a quibus ingeruntur, vel veræ vel falsæ sunt, veraque nuntiant, aut mentiuntur. At quum sua veritas apud res ipsas remaneat, ipsæque immotæ perstent (non enim res animos nostros ingrediuntur) immissa tantum nobis ex se phantasia atque similitudine quadam, quæ plerumque, uti mali nuntii, mentiri & fallere solet, nec nota aliqua nobis comperta sit, qua veraces a mendacibus visionibus distinguamus, nullum apud nos visum comprehensum esse potest, aut verum haberi debet, potest tamen verum videri, & probabile iudicari: *Quia probandi species est*, ait 1 Cicero, *percipiendi signum nullum habemus*, id est, nulla præcipua nota insignes veræ phantasiæ animos nostros ingrediuntur, ut ea statim animadversa: *Hæc vera phantasia est*, dicere possimus: tamen aliquæ phantasiæ ita nos commovent, itaque erga illas adficimur, ut sese nobis probent ac magis veræ iudicentur. Iis probabilibus, quando veris & perceptis caremus, in tra-

1 In Lucullo.

traducenda vita uti oportebit, ne nihil agamus. Ad eumdem etiam modum de notionibus decretisque, & omnibus, quæ de rebus intelliguntur aut enuntiantur, est statuendum, ut nihil horum perceptum aut comprehensum, id est, plus quam probabile existimetur.

Hæc est universæ Carneadææ sententiæ satis aperta summa. Sed iteranda eadem ista sunt dialectice magis & ad doctrinam accommodatiore ratione: valde enim percipi velim, qua ratione *Nihil percipi* nova Academia probet, ac decreto utatur. Res sua natura sunt, suaque, ut aiunt, essentia constant, nec per eas stat, quo minus percipiantur. Sed hominibus nullum integrum iudicium aut idoneum iudicandi instrumentum a natura est concessum: non phantasia, quia fallere potest & plerumque solet: non mens, quia phantasiis utitur, nihilque sine illis excipere aut augere valet. Nam notitiæ prolepsesque universæ ex phantasiis ortum habent: ex his & sermones sunt, & argumentationes constant. Ipsa dialectice, cuius ductu & opera ratiocinationes compinguntur atque iudicantur, lubrica est ac fallax; ut nec decretis, quæ huiusmodi rationibus nituntur, nimium fidere debeamus. Sic itaque percipientis ratione, id est, hominis, de quo, quum de comprehendendo agitur, sermo est, omnia esse incomprehensibilia Carneadis sententia fuit; quum Arcesilas, uti arbitramur, res etiam ipsas non extra culpam poneret. Sed confirmare hæc veterum testimoniis debere nos scimus. Numenius apud Eusebium de Carneade: Τὸ γὰρ ἀληθὲς καὶ τὸ ψεῦδος ἐν τοῖς πράγμασιν ἐνεῖναι συγχωρῶν, ὥσπερ συνεργαζόμενος, τῆς ζητήσεως τρόπῳ παλαιστοῦ δεινοῦ λαβὴν δοὺς, ἐπελεγίγνετο ἔνθεν. κατὰ γὰρ τὴν τοῦ πιθανοῦ ῥοπὴν ἑκάτερον παραχωρῶν, οὐδέτερον εἶπε βεβαίως καταλαμβάνεσθαι. Id est, *Verum enim & falsum rebus ipsis inesse concedens, quasi qui* [adversario] *cederet, & illius etiam ipse iam rem ageret, velut callidus luctator ansa tantum & nexu disputationi permisso, illinc rursusque sese* ex-

extricabat & *resilibat. Ex probabilitatis enim ratione* & *momento utroque tributo, neutrum dicebat firmiter comprehendi.* Cicero in Lucullo: *Veri esse aliquid non negamus, percipere posse negamus.* Et alio in [1] loco: *Non enim sumus ii, quibus nihil verum esse videatur: sed ii, qui omnibus veris falsa quædam adiuncta esse dicamus, tanta similitudine, ut nulla insit certa iudicandi* & *adsentiendi nota.* Ad hanc rationem illustre illud apud Philonem in libello *de ebrietate* acatalepsiæ patrocinum est referendum: Τὸν μέν τοι σεμνυνόμενον, inquit, ἢ ἐπὶ τῷ βουλεύεσθαι, ἢ ἐπὶ τῷ τὰ μὲν αἱρεῖσθαι τὰ δὲ φεύγειν ἱκανῶς δύνασθαι, διὰ τούτων ὑπομνηστέον. εἰ μὲν ἀπὸ τῶν αὐτῶν αὐτὰς ἀεὶ συνέβαινε προσπίπτειν ἀπαραλλάκτους φαντασίας, ἦν ἴσως ἀναγκαῖον τά τε ἐν ἡμῖν αὐτοῖς φύσει κατασκευασθέντα διττὰ κριτήρια, αἴσθησίν τε καὶ νοῦν, ὡς ἀψευδῆ καὶ ἀδέκαστα θαυμάζειν καὶ περὶ μηδενὸς ἐνδοιάζοντας ἐπέχειν· ἀλλὰ τοῖς ἅπαξ φανεῖσι πιστεύοντας τὰ μὲν αἱρεῖσθαι τὰ δὲ ἔμπαλιν ἀποστρέφεσθαι. ἐπειδὴ δὲ διαφόρως ἀπ' αὐτῶν εὑρισκόμεθα κεκινημένοι, βέβαιον περὶ οὐδενὸς οὐδὲν ἂν ἔχοιμεν εἰπεῖν, ἅτε μὴ ἑστῶτος τοῦ φανέντος, ἀλλὰ πολυτρόποις καὶ πολυμόρφοις χρωμένου ταῖς μεταβολαῖς. Ανάγκη γάρ, ἀνιδρύτου τῆς φαντασίας οὔσης ἀνίδρυτον εἶναι καὶ τὴν ἐπ' αὐτῇ κρίσιν. id est: *Eum igitur, qui sibi placeat ac iactet, vel in consilio capiendo, vel in iis, quæ seligenda, quæque reiicienda sunt, satis ingenio* & *sapientia valere, his admonere oportet. Siquidem ab iisdem semper rebus easdem nulloque discrimine dissimiles phantasias occurrere contingeret: esset etiam fortasse necessarium, duo in nobis a natura fabricata ac constructa iudicia, sensum videlicet* & *intelligentiam, plurimi facere uti incorrupta,* & *quæ minime mentirentur, nec de ulla re oporteret dubitantes adsensum sustinere, sed phantasiis semel oblatis fidentes illa quidem capere, declinare alia. At*

quum.

1 *De nat. Deorum* lib. 1.

quum ab iisdem rebus vario modo adfecti comperiamur, quum visum non stet, sed multis modis permutetur. Necesse enim est commutabile nec firmum iudicium de commutabili phantasia sit, & quæ sequuntur omnia. Academica sunt & Carneadæa, etsi ex illis decem pervulgatis Pyrrhoniorum sive locis, sive modis, quibus illi acatalepsiam statuunt, & epochen commendant, petita videantur: nam & ii modi maiori ex parte hanc rationem spectant, quum sensus & phantasias potius accusent.

Academici certe propter eas maxime phantasias comprehensionem ablatam dicunt, quas, quum a falso sint, simillimas iis, quæ sunt a vero, apparere aiunt, ut discerni nequeant. Verum retulerit totum hoc imagine repræsentare. C. Iulii Cæsaris, qui Dictator dictus est, veram faciem, quam ipsam ego numquam vidi, quantumvis multas eius adfabre factas imagines ac simillima simulacra attente perspexerim & considerarim, nec Stoici quidem ipsi cognitam mihi ac comprehensam dicent. Existimare mihi certe ac arbitrari licebit, hanc vel illam picturam Cæsaris faciem reddere propiusque ad veri vultus speciem accedere, coniectura ex eo facta, quod videam plures ex illis imaginibus huiusmodi effigiem repræsentare, aut alia demum ratione adducto mihi hanc præ illa imaginem probare placebit, probabilemque laudabo & amplectar, reiectis ceteris, minime fortasse probandam. Verum ipsam viri faciem visam mihi ac comprehensam numquam mihi aliquis argutando persuadebit, aut quæ verax & cum ipsa re conveniens pictura sit, compertum nihil & cognitum umquam esse poterit. Ita & de visis sive phantasiis, quæ & ipsæ non res, quas ostendunt, sed rerum imagines & spectra quædam sunt, [1] Academici iudicabant. Idque Carneades ipse duplici partitione docuisse dicitur. Altera est: Phantasiæ aliæ veræ,

[1] Sextus *ad disciplin. cap. de criterio.*

ræ, aliæ falsæ sunt, id est, aliæ rem, a qua sunt immissæ, recte repræsentant. Aliæ veram rei imaginem non reddunt. Verum qua ratione quove iudicio veraces a mentitis separemus, non habemus, ideo quum veræ sint eæ, quas comprehendere oporteret, neutras comprehendimus. Namque inter quæ nihil intersit, haudquaquam alterum percipietur, alterum minime percipere licebit: sed inter visa vera & falsa nihil interest, falsaque non possunt comprehendi; igitur neque vera. Visa aliqua esse falsa, solus fortasse Epicurus negabat, quem coniunctis viribus Academici & Stoici, & reliquarum sectarum turbæ omnes impugnabant. Illud erat difficilius duriusque maxime propugnantibus Stoicis: Inter visa vera & falsa, quod ad perceptionem comprehensionemque attinet, nihil interesse. In hoc maxime Academici desudant, hic ipsorum præcipuus labor & conatus; omnisque adversus sensus & consuetudinem rationemque omnem atque coniecturam ipsorum disputatio de hoc est, dum universa hæc enervare, infirmaque ad veritatis iudicium ac comprehensionem reddere omni studio adnituntur: idque adeo ipsi admonent, & maxime adnotatum volunt: omnia, quæ ab ipsis contra sensus contraque perspicuitatem dicantur, ad eam divisionem pertinere, qua visa in ea, quæ percipi possunt, & in ea, quæ non possunt, dividuntur. Reprehensio vero illa, quæ in his implicata videtur, quaque Philonem maxime perturbatum narrare solitum Antiochum 1 Cicero refert, nihil est, quod quemquam commoveat. Ea est: Contraria sibi dicere eum, qui, phantasiis in veras & falsas divisis, nihil veras a falsis differre rursus adfirmet. Quod tantumdem ac plurimum inter eas interesse, & nihil interesse, simul ponere sit. *Namque id ita esset*, ait idem Romanus Academicus, *si nos verum omnino tolleremus. Non faci-*

1 In *Lucullo*.

cimus : *nam tam vera* , *quam falsa cernimus* : *sed probandi species est* ; *percipiendi signum nullum habemus*. Itaque , ut ad nauseam usque repetitum volunt , verae , & falsae phantasiae sunt , hoc est , quae veram rei similitudinem referant , & quae mentiantur ; quod tamen ad nostram comprehensionem attinet , inter utrasque nihil interest , quum nihil sit , quo eas abinvicem dignoscamus, aut notam illam , qua differunt , Stoici indicent. Quam quidem nullam compertam illis esse ; nihilque ita in animis nostris signari a vero posse , quod non eodem modo possit a falso , Antiochus dum adhuc Academiam propugnaret , ex Dionysii Heracleotae , qui ob hoc Metathemenos est cognominatus , commutata sententia probare sibi videbatur. Qui enim is , si certa illa nota , dum Stoicus fuit , certum & comprehensum habuisset , *Solum honestum esse bonum* , postea oculorum dolore vexatus ad Cyrenaicorum , ut 1 Laertius scribit , vel ad Epicuri , ut 2 Cicero , partes transiret ? Sed idem Antiochus a nova in veterem Academiam , ut ipse dicebat , sive potius ad Stoam migrans fecit , ut idem argumentum adversus eum cuilibet sumere liceat. Multa ergo Academici pro sua hac acatalepsiae ratione congerunt argumenta sensibus rationique auctoritatem detrahentia , quorum aliqua 3 Tertullianus & 4 D. Augustinus retulerunt & solvere se credunt. Adferebant similitudines 5 ovorum , capillorum , geminorum , visa somniantium & furiosorum, & 6 eiusmodi alia. Aristonem Stoicum , qui Stoicum dogma illud, *Nihil opinaturum sapientem* vehementer commendabat & defendebat , sic a Persaeo re ipsa convictum

 men-

1 In *Zenone*.
2 In *Lucullo*.
3 Tertul. lib. *de anima* cap. 17.
4 D. Aug. lib. 3. *contra Acad.*
5 Ex hoc Hermagorae Stoici περὶ σοφιστείας πρὸς τοὺς ἀκαδημαϊκοὺς dialogo titulus factus ᾠοσκοπία , id est , ovorum inspectio sive examinatio. Suid.
6 Vide D Hieron. ad Pammach. *de errorib. Iohan.* cet. ad libri finem.

tradunt : curavit enim hic, ut ex duobus simillimis geminis fratribus alter pecuniam apud Aristonem deponeret, alter repeteret, quam Aristo similitudine deceptus ei, qui non deposuerat, restituit. *Omnia autem hæc*, ait [1] Cicero, *proferuntur, ut illud efficiatur, quo certius nihil potest esse, inter visa vera & falsa ad animi adsensum nihil interesse. Vos autem nihil agitis, quum falsa illa vel furiosorum vel somniantum recordatione ipsorum refellitis. Non enim id quæritur, qualis recordatio fieri soleat eorum, qui exsperrecti sunt, aut eorum, qui furere destiterunt, sed qualis visio fuerit aut furentium aut somniantium, tum quum commovebantur.* Namque quum visio aderat, quam Stoicus falsam iudicat, Academico non quidem probatur, nihil differebat a vera, quamdiu ea adficimur. Quod si nec postea visum id suspectum redderetur, nec ab alia probabili phantasia aut a ratione refelleretur, nec in argumentum quidem adduci ab Academicis posset: quum enim Academicus diceret: Vides, visa furentium falsa nihil, quamdiu adsunt, a veris differre, sed eodem modo adficere, nec discerni a veris posse? Stoicus, nisi & ipse illa improbaret & falsa diceret, id, quod Epicuræus, responderet: Non mirum hoc esse, quum ea etiam visa vera sint. Eo ergo modo Academici nihil comprehendi decernunt, id est, probabile putant, quasi dicerent: Libenter imaginibus utimur, quum de imaginibus, id est, de phantasiis sermo fit: res ipsas apud se suo quamque pondere esse, sed nullam apud homines esse stateram; vel, quum verum & adulterinum aurum sit, Lydii lapidis non esse copiam, ita ut ex colore, ponderequc & duritia aurum probare vel improbare, probabilique tantum auro uti, sit necesse.

Adversus hæc [2] Stoici aliqui ne disserere quidem necessarium aut dignum ducebant, quod nihil esset clarius

ipsa

1 Cicero in *Lucullo*. 2 In *Lucullo*.

ipſa ἐνάργεια, id est, *evidentia* ſive perſpicuitate, qua nullam illustriorem orationem reperiri poſſe dicebant. Epictetus apud 1 Arrianum ſic Academicum adloquitur: Καταλαμβάνεις ὅτι ἐγρήγορας; οὒ, φησὶν: οὐδὲ γὰρ ὅταν ἐν τοῖς ὕπνοις φαντάζωμαι ὅτι ἐγρήγορα. οὐδὲν οὖν διαφέρει αὕτη ἡ φαντασία ἐκείνης; οὐδέν. ἔτι τούτῳ διαλέγωμαι; καὶ ποῖον πῦρ, ἢ ποῖον αὐτῷ σίδηρον προσάγω ἵνα αἴσθηται ὅτι νενέκρωται; αἰσθανόμενος οὐ προσποιεῖται, ἔτι χείρων ἐστὶ τοῦ νεκροῦ, id est, *Vigilare te comprehendis? Non, inquit, nec enim quum in ſomnis vigilare mihi videor. Nihilne ergo viſum hoc ab illo differt? Nihil. Vlterius ne quum hoc diſſeram? Quemne ignem aut quale ferrum illi admoveam, ut mortui adfectionem habere ſe ſentiat? Sentit, & tamen ſentire diſſimulat. Mortuo etiam peior eſt.*

Aliquando illo potius modo, quam ullis rationibus vel argumentis redarguendos Academicos Stoici cenſent, quo, ſi cuiuſpiam illorum ſervum eſſe contingeret, uſurum ſe dicit Epictetus. 2 *Namque*, ait, *etiamſi millies quotidie ſibi vapulandum foret, quum oleum adferre & infundere herus iuberet, adlaturum ſe garum; quumque herus diceret, quid hoc eſt? nonne oleum dixi? Dixiſti, inquit, reſponderem: ſed a garo mihi olei phantaſia oblata eſt:* ὁμοιοτάτη ἀδιάκριτος, id est, *ſimillima, & quae non diſcerneretur*. In omnibus eodem ſe modo facturum dicit Epictetus, & ſperat, ſi duo vel tres ex conſervis ſecum adverſus herum conſpirent, effecturum, ut aut ſententiam mutaret Academicus, aut ad ſuſpendium adigeretur. Verum, o Epictete, ſi tuus ille herus me audiat, experiri oportebit, quis prior defatigatus conſilium mutaret, tu vapulando, an caedendo ille. *Alii autem negabant* (ait Lucullus) *ſe pro hac evidentia quidquam priores fuiſſe dicturos: ſed ad ea, quae contra dicerentur, dici oporte-*

1 Lib. 1. cap. 5. 2 Lib. 2. cap. 20.

tere putabant, *ne qui fallerentur*. Multa ergo Stoici Chrysippus, Antipater & Antiochus pro sensibus & evidentia dixerunt & scripserunt, quorum aliqua in Luculli sermone legas; nos omnia huc non transcribimus. Illud non prætermittendum, quod ad similitudines respondebant: *Omnia sui generis esse*, *Nihil esse idem*, *quod sit aliud*. Stoicum ἀξίωμα, quo id significatur: omnes singulas res propria natura, atque, uti dicitur, essentia constare, ideoque & propriis qualitatibus, quæ eædem in nullo alio sint aut esse possint. Quare quum quæque res natura sua ab omnibus aliis differat, dignosci etiam atque discerni, proprioque discrimine animadverso separari a ceteris omnibus poterit & debebit. 1 Plutarchus: Ἀκοῦσαι τοίνυν ἐστὶν αὐτῶν (de Stoicis sermo est) καὶ γράμμασιν ἐντυχεῖν πολλοῖς πρὸς τοὺς Ἀκαδημαϊκοὺς διαφερομένων καὶ βοώντων, ὡς πάντα πράγματα συγχέουσι ταῖς ἀπαραλλαξίαις. ἐπὶ δυοῖν οὐσιῶν ἕνα ποιὸν εἶναι βιαζόμενοι. Καίτοι τοῦτο μὲν οὐκ ἔστιν ὅστις ἀνθρώπων οὐ διανοεῖται, καὶ τοὐναντίον οἴεται θαυμαστὸν εἶναι καὶ παράδοξον, εἰ μήτε φάττα φάττῃ, μήτε μελίττῃ μέλιττα, μήτε πυρῷ πυρὸς, ἢ σύκῳ (τὸ τοῦ λόγου) σῦκον ἐν παντὶ χρόνῳ γέγονεν ἀπαράλλακτον; id est, *Audire autem eos est* (*multosque ipsorum de ea re libros legere*) *cum Academicis altercantes clamantesque*; *Omnia ab illis confundi ac permisceri indiscreta hac similitudine inducta atque concessa*, *rebus ab ipsis vim fieri*, *dum qualitatem unam substantiis duabus tribuere conantur*. *Atqui hoc nemo hominum est qui non existimet*, *contraque mirum & præter opinionem putet*, *si neque palumbus palumbo*, *neque apis api*, *neque tritici granum grano alteri*, *vel ficus* (*ut in proverbio est*) *fico*, *in universo tempore exstitit ita simile*, *ut discerni non posset*. Verba 2 Ciceronis concordant: *Omnia dicis sui generis esse*, *nihil esse idem*, *quod*

sit

1 *De commun. notitiis adversus Stoic.* 2 *Lucullo.*

sit aliud. Stoicum est id quidem, nec admodum credibile, nullum esse pilum omnibus rebus talem, qualis sit pilus alius, nullum granum. Hæc refelli possunt, sed pugnare nolo: ad id enim, quod agitur, nihil interest, omnibusne partibus visa res nihil differat, an internosci non possit, etiamsi differat, cet.

Ea, vero quibus dialecticen oppugnant ac subvertere putant Academici, valde sunt infirma. 1 Proferunt & obiiciunt soritas, & ea quæ Stoici ἄπορα vocant, *inexplicabilia* 2 Cicero; quæ quum vitiosa manifesto sint, nullum tamen adversus illa auxilium a dialectica adferatur, nullaque artis regula excludantur: sed æque ac ea, quæ vitio carere dicuntur, concludere videantur: non enim hoc artis vitio tribuendum, sed artificum negligentiæ; qui regulam, qua horum vitium aperiant, commenti non sint. Quin & arti satis est illa notare & cavere iubere: ut & navis rector satis pro officio facit, si, etsi brevia de medio non tollit, tamen cavere iubeat, ac declinet. Nec enim ideo ars aliqua damnanda, quia quædam superare non possit. Summum gubernatorem aut medicum, 3 Plato ait, quæ effici arte sua possint, & quæ non, cognita habere, & illis quidem manus admovere & aggredi facere, omittere alia. Itaque melius adversus huiusmodi se gerat dialecticus, si tantum vitiosa dicat, nec explicare anxie laboret. Etsi non multi negotii foret distinctione aliqua illius modi omnia eludere & frangere. Quis umquam dixit, *Ego mentior*, quum hoc ipsum pronuntiatum falsum vellet declarare? Nemo umquam, existimo, aut nihil dixerit. Sed quum sic aliquis loquitur, de alio aliquo paullo ante a se adfirmato sermonem facit; si non facit, quum nihil dicat, nec verum nec falsum dicit. Verum non tantum otii est, ut operam in hisce nostram profunda-

1 Laertius in *Zenone*.
2 Cicero in *Lucullo*.
3 *De republic.* lib. 2.

damus. Nec multum etiam firma sunt ea, quibus D. Augustinus dialecticam adversus Academicorum incursiones munit, vera multa docere dialecticam, ut effatum omne aut verum esse, aut falsum: disiunctiones necessario esse veras. 1 Ipsum vide, nec enim hæc negotium nobis facere debere putavimus. Dictam ergo visorum in vera & falsa divisionem, rerum, quarum visa sunt, rationem spectare admonebamus. At vero ratione eius, qui visione adficitur, id est, hominis, phantasias in veras, aut falsas, comprehensas, aut non comprehensas partiri non oportere Academici aiunt, quum apud eum nihil veræ a falsis differant, nullæque ab ipso comprehendantur. 2 Tamen hominibus quædam phantasiæ veræ videntur, ac probantur; quædam falsæ videntur, atque improbantur. Quæ veræ videntur, πιθαναὶ, id est, *probabiles*, & ἐμφάσεις & πιθανὸν Academicis vocantur. Quæ vero falsæ habentur, ac improbantur, ἀπίθανοι, id est, *improbabiles*, & ἀπεμφάσεις & ἀπίθανον ab iisdem dicuntur. Quum igitur homines non otiosos in vita esse oporteat, sed moveri & agere aliquid, humanaque omnis cognitio (Academicorum partes agimus, nec ex animi nostri sententia loquimur) & perceptio probabilitate amplius quid non adsequatur; probabili phantasia necessario erit utendum: hæc enim est 3 Academicis criterium, non quidem veritatis: namque huius nullum usque adhuc constitit: sed τοῦ πιθανοῦ, id est, *probabilis*, quod in vitæ actionibus atque electionibus, officiisque omnibus & decretis sequi Carneades iussit, & sectari se Academici profitentur. Atque hac una re sapientes se putant & haberi volunt, sapientia ea, quæ hominibus contingere possit, etiamsi nihil sciant neque comprehendant, ut 4 D. Augustinus in libris adversus

1 *Contra Academicos* lib. 3. cap. 13.
2 Academica divisio altera phantasiarum.
3 D. Augustinus *contra Acad.* lib. 3. cap. 1.
4 Lib. 3. cap. 4.

mus eos ſcriptis teſtatur. Quum autem aliis alia veriora videantur & magis probentur, illa amplecti oportere aiunt, quæ probabiliora iudicabuntur, & accuratius & attente magis ſint examinata & conſiderata. Ea vero examinatio & circumſpectio non eſt omnibus in rebus æqualis impendenda, ſed maior minorve, prout res, de qua agitur, quæque in deliberationem venit, maioris aut minoris momenti fuerit æſtimata. Vniverſa hæc novæ Academiæ ratio ex Clitomachi Carneadis diſcipuli locis duobus in *Lucullo* relatis manifeſtior ſit. *Duo*, inquit, *placet eſſe Carneadi viſorum genera. In uno hanc diviſionem* [Stoicam]: *Alia viſa eſſe, quæ percipi poſſint, alia quæ non poſſint. In altero autem: Alia viſa eſſe probabilia, alia non probabilia. Itaque quæ contra ſenſus contraque perſpicuitatem dicantur, ea pertinere ad ſuperiorem diviſionem. Contra poſteriorem nihil dici oportere. Quare ita placere. Tale viſum nullum eſſe, ut perceptio conſequatur; ut autem probatio, multa. Etenim contra naturam eſſet, ſi probabile nihil eſſet.* Vides igitur comprehenſionem univerſam negatam a Carneade, probabilitatem conceſſam. Comprehenſione autem ſublata omnia ſubverti putant Stoici, ſenſus, memoriam, artes, decreta; ſcientiam, quæ ſine comprehenſione ſtare nullo modo poſſe, uti abunde iam expoſuimus, dicebant. Verum nihil hoc Academicos perturbat: ad omnia enim, ad quæ Stoici vero & comprehenſo, hi ſuo probabili utuntur. Scribit ergo in illo altero loco Clitomachus: Academicis placere eſſe rerum eiuſmodi diſſimilitudines, ut aliæ probabiles videantur, aliæ contra; id autem non eſſe ſatis, cur alia percipi poſſe dicas, alia non poſſe: propterea quod multa falſa probabilia ſint, nihil autem falſi perceptum & cognitum poſſit eſſe. 1 Cicero hoc ſolo Academicos ab Stoicis differre aiebat, quod ea, quæ hi percipi comprehendique, ea-

1 In *Lucullo*.

eadem illi, si modo probabilia sint, *videri* dicant. Igitur quum urgentur, ad *probabile* confugiunt. Idque Carneadis consilium fuisse videtur, inducto ac constituto probabili, ut quum ad illud quasi ad castra, quum *acatalepsiam* defendens premeretur, sese reciperet, nihil ex eo amplius adversariis fieret, quum interim æque imperceptа omnia relinquerentur, *acatalepsia* non expugnata. D. Hieronymus *advers. Ruffin.* lib. 2. *Arcesilaum aut Carneadem putes, qui omnia incerta pronuntiant: licet & illos superet cautione. Illi enim omnium philosophorum invidiam non ferentes, quod vitam e vita tollerent, verisimilia repererunt, ut ignorantiam rerum probabili adsertione temperarent.* Eum Carneadis fucum, quo visus cedere concesso probabili nihil concedebat, Numenius post illa verba, quæ superius ex eo attulimus, sic indicabat: ἦν γοῦν λῃστὴς καὶ γόης σοφώτερος: παραλαβὼν γὰρ ἀληθεῖ μὲν ὅμοιον ψεῦδος, καὶ καταληπτικῇ φαντασίᾳ καταληπτὸν ὅμοιον, καὶ ἀγαγὼν εἰς τὰς ἴσας, οὐκ εἴασεν οὔτε τὸ ἀληθὲς εἶναι, οὔτε τὸ ψεῦδος, ἢ οὐ μᾶλλον τὸ ἕτερον τοῦ ἑτέρου, ἢ μᾶλλον ἀπὸ τοῦ πιθανοῦ. ἦν γοῦν ὀνείρατα ἀντὶ ὀνειράτων, διὰ τὸ ὁμοίας φαντασίας ἀληθέσιν εἶναι τὰς ψευδεῖς, ὡς ἀπὸ ὠοῦ κηρίνου πρὸς τὸ ἀληθινὸν ὠόν. συνέβαινεν οὖν τὰ κακὰ καὶ πλείω. Id est, *Erat ergo* (Carneades) *latro ac præstigiator sapientior. Adsumens enim vero falsum simile, & comprehendente phantasia similiter comprehensibile, ac ad pares deducens calculos,* (id est suffragia) *nec verum nec falsum esse sinebat, vel alterum altero non magis, vel magis probabilitatis ratione. Erant igitur insomnia pro insomniis, ideo quod similes veris falsæ phantasiæ essent, ut ea, quæ ab ovo cereo ei quæ a vero ovo. Sequebatur ergo eadem aut plura etiam mala.*

Eadem certe mala ex hac, quæ ex Arcesilæ sententia contingebant, aut plura maioraque etiam, quum eodem modo comprehendens phantasia, id est, Stoicorum arx subverteretur, hostes vero ipsi non eodem modo propugna-

torum ictibus paterent probabilitatis vallo protecti. Namque quum ἐνάργεια, id est *evidentia* perspicuitasque rerum sensuumque manifesta certitudo, rationumque omnium atque capitum consensus & ὁμολογία in illos iaciebantur, universa hæc magna tela 1 probabili quasi Aiacis septem boum scuto excipiebant, omnemque Stoicorum tormentorum impetum frangebant. Aiebant enim, perspicuis se non repugnare, probabilia maxime esse atque certa, libenter se illa sequi, iisque uti, a quibus vel nolentes adficiantur & percellantur: verum comprehensa hæc aut cognita esse, numquam, ut fateantur, adduci posse. Ita scilicet Academici comprehensioni & perceptioni omni infensi sunt & inimici, ὡς μηδὲ τὸν ἥλιον (inquit 2 Galenus) ὁμολογεῖν εἶναι καταληπτὸν, id est, *ut neque solem percipi posse concedant*, rem omnium, quæ sub sensum cadunt, evidentissimam, eius tamen non nisi probabilem visionem fatentur. Ratio autem ea, qua 3 D. Augustinus Academicorum probabile impugnat, & qua una os illis occlusisse credit, Carneade solutore non eget. Nihil inquit Academicis verisimile esse posse, quum nihil veri cognitum sibi ipsi fateantur. Quomodo enim quis simile quippiam iudicet ei rei, quam numquam viderit? Latini enim verbi *verisimile* notatione tota hæc argumentatio nititur, nec adversus Græcos Academicos rogari potest, qui πιθανὸν & πείθεσθαι se dicunt; ac nec adversus Latinos quidem, si *probari* sibi quidpiam dicant & *probabile* id vocent, non vero simile, sed, si sic placeat, perspicuo simile.

Quadam etiam alia distinctione evidentiæ impetum a se propellunt Academici, quam Carneadi auctori tribuit 4 Eusebius: Διαφορὰν εἶναι ἀδήλου καὶ ἀκαταλήπτου,

Dd καὶ

1 Vide D. Augustinum *contra Academ.* lib. 3. cap. 15.
2 *De optimo docendi genere.*
3 *Contra Acad.* lib. 1. cap. 7.
4 *De præparat.* lib. 14.

καὶ πάντα μὲν εἶναι ἀκατάληπτα, οὐ πάντα δὲ ἄδηλα. id est, *Differre incertum & incomprehensibile, atque omnia quidem esse incomprehensibilia, verum non omnia esse incerta.* Huius differentiæ in Lucullo quoque mentio facta est. *Alii autem elegantius, qui etiam queruntur, quod eos insimulemus, omnia incerta dicere: quantumque intersit inter incertum, & id quod percipi non possit, docere conantur, eaque distinguere.* Ea distinctione id significabant, non omnia se ita incerta dicere, ut stellarum est numerus: namque quinque se digitos in altera manu habere certum putare & vehementer probabile, in iis vero, quæ incerta sint, nihil probabile esse. Et hoc enim ex Academicorum sententia [1] in *Lucullo* est scriptum. Quum tamen, si Græci vocabuli δῆλον, & Latini *certum* propriæ & certæ significationes sint attendendæ, multa πιθανὰ ἄδηλα & probabilia incerta dici haud iniuria possint.

Aiebat itaque Clitomachus (uti apud [2] Ciceronem est) *vehementer errare eos, qui dicant ab Academia sensus eripi; a quibus numquam dictum sit, aut colorem, aut saporem, aut sonum nullum esse; illud sit disputatum, non inesse in his propriam, quæ nusquam alibi esset, veri & certi notam.* Plutarchus de hoc perquam eleganter Colotæ respondet: Τὸ δ' αἰσθάνεσθαι καὶ τυποῦσθαι πρὸς τὰ φαινόμενα, κοινόν ἐστι πάθος, ἀλόγοις περαινόμενον αἰτίαις. ὁ δὲ τὰς αἰσθήσεις λόγος ἐπαγόμενος ὡς οὐκ ἀκριβεῖς οὐδὲ ἀσφαλεῖς πρὸς πίστιν οὔσας, οὐκ ἀναιρεῖ τὸ φαίνεσθαι τῶν πραγμάτων ἡμῖν ἕκαστον, ἀλλὰ χρωμένοις κατὰ τὸ φαινόμενον ἐπὶ τὰς πράξεις ταῖς αἰσθήσεσι, τὸ πιστεύειν ὡς ἀληθέσι πάντῃ καὶ ἀδιαπτώτως οὐ δίδωσιν αὐταῖς. τὸ γὰρ ἀναγκαῖον ἀρκεῖ καὶ χρειῶδες ἀπ' αὐτῶν, ὅτι βέλτιον ἕτερον οὐκ ἔστιν. ἣν δὲ ποθεῖ φιλόσοφος ψυχὴ [3] λαβεῖν ἐπιστήμην περὶ ἑκάστου

καὶ

1 Cicero in *Lucullo*.

2 In *Lucullo*.

3 Λαβεῖν suo loco excidisse videtur, & ponendum post ἀπ' αὐτῶν.

ὑπάρχει γνῶσιν, κ. ἔχουσι. Id est, *sentire vero, & ab iis, quæ apparent, visorum impressiones recipere, communis omnibus adfectio est, & quæ caussarum ratione ac intelligentia carentium opere absolvitur. Doctrina vero ea atque disputatio, qua sensus uti minus ad fidem faciendam exacti atque idonei reiiciuntur, non tollit quominus quæque res nobis appareat; sed sensibus ex eius, quod apparet, ratione ad actiones uti concedens, fidere eis tamquam omnino veris, & qui errare ac labi non possint, non permittit: id enim, quo ad necessarios usus est opus, ab ipsis sumere satis fuerit, quoniam melius aliud non est, eam autem de singulis rebus scientiam & cognitionem, cuius desiderio sapientiæ studiosus animus tenetur,* [sensus] *non habent*. Hic autem in memoriam revocanda ea, quæ de sensibus ab Stoicis dici & ab Academicis contradici adnotabamus: nihil enim comprehensione est opus, ut quis sentire dicatur, ac multo minus adsensu, si, uti Academici volebant, sensus ψιλὸν πάθος, id est *nuda ac simplex adfectio* est: quod & Peripatetici existimare dicuntur.

Memoriam vero, & artes decretaque omnia facile sine comprehensione stare, satisque firme *probabili* inniti, quis neget? quum falsa quæque, ipsasque adeo poetarum fabulas memoria etiam tenacissime teneamus.

Qualem vero probabilitatem, quibusque ponderibus examinatam atque perpensam Carneades sequi iuberet, accurata hac probabilium phantasiarum partitione tradita ipse docuit. *Phantasiæ* aliæ sunt tantum πιθαναὶ, id est, probabiles; aliæ πιθαναὶ καὶ ἀπερίσπαστοι, id est, *probabiles simul, & quæ non impediantur*, circa quas animus non distrahatur, ad verbum, *indistractæ*, aliæ πιθαναὶ, ἀπερίσπαστοι καὶ περιωδευμέναι ἢ ἐξωδευμέναι, id est, *probabiles non impeditæ aut indistractæ; perlustratæ aut peragratæ*, vel, ut Cicero vertere videtur, ex circumspectione & accurata consideratione, & quæ non impediantur.

 Ape-

Aperispastos, id est, *indistracta*, phantasia ea vocatur, cuius probabilitati omnes, quæ simul cum illa occurrunt, phantasiæ suffragantur, nullaque obstat quominus vera videatur, & quam omnia, quæ una mente excipiuntur, confirmant. Quum enim ego Socratem conspicio, non nuda ac simplici solum eius visione ferior; sed & plurium, quæ circa illum, quæque extra sunt, rerum visiones me petant atque tangant necesse est, etiamsi nulla accuratiore circumspectione adhibita tantummodo eum intuear. Video enim una, quæ circa ipsum sunt, illique insunt, colorem corporis, & magnitudinem ac staturam, habitum, motum, vocis sonum, si tum forte loquatur, vestitum, alia. Quæ vero extra sunt res, verum earum visiones huic una comitantur, eodem etiam intuitu video, ut puta cæli, lucis, diei, regionisque & amicorum, qui illi adsint, aut servorum, qui præsto sint, facies. Hæc igitur omnia si concordent & in eamdem concurrant sententiam, nullumque illorum visorum probabili Socratis visioni refragetur, ei phantasiæ ut adquiescat animus oportet, ideoque ea merito *aperispastos* nuncupetur & fidem faciat. Verum enimvero contingit aliquando, ut nullo eorum, quæ enumeravimus, visionem impugnante, opinio tamen aliqua, quæ antea in animo insederit, suspectam eam reddat, nec fidere illi sinat. Sic apud Euripidem Menelaus in Pharum delatus visam 1. Helenam non agnoscit, quia a se in navi relictam arbitratur, eaque opinio animum eius retrahit, nec fidem visioni adhibere permittit, ita ut non indistracta phantasia sit, quæ, quantumvis reliqua consentiant, opinione aliqua impediatur. *Aperispastos* vero & *periodeumene* sive *exodeumene* (idem enim hæc duo verba significant) id est, indistracta & perlustrata, phantasia primum probabilitatis locum tenet; maioremque quam ea, quæ aperispastos tantum sit, fidem

me-

1. In Helena [illegible]

meretur. Namque accidit, ut propter rem non satis circumspectam, minusque attente singula quæque examinata, phantasiam aliquam nulla re impediri, ideoque aperispaton quis iudicet ac probet, & minime fidelem sequatur. At visio ea, quæ singulis quibusque, quæ circa quæque extra sunt, animo ac mente perlustratis, attenteque circumspectis & consideratis, nulla vel minima re impediri comperitur, fide dignissima est & minime fallax. Hæc autem ea est, de qua agimus, quæque ex hoc nomina ista est adepta, ut aperispastos periodeumene dicatur. Atque hanc phantasiam illis apud Ciceronem verbis significatam existimo: *Sin ex circumspectione aliqua & accurata consideratione, quod visum sit, id se dicent sequi* [Academici].

Quale autem examen qualemque animi attentionem, quamque diligentem circumspectionem, ut visio huiusmodi exsistat adhibere oporteat, diligentissime docent: aiunt enim, quum visum aliquod iudicium subit, multa consideranda convenire. Primum quidem, instrumentum ipsum, quo iudicium fit; puta visus oculique, num caligent hebetesve sint. Secundo ipsa res, quæ oculis subiicitur, an ita parva sit atque exilis, ut facile visum fallere existimare quis possit. Tertio circumfusus aer, num obscurus ac nubilus. Deinde intervallum, an nimis longe res distet. Locus, in quo ipsa res iacet, num quia rei concolor, aut cavus est, aut alia ratione quapiam rei veram faciem celet. Tempus, si nimis sit exiguum, ut rem satis perspicere non licuerit. Rei ipsius adfectio atque habitus, ut si quæratur, quale animal sit id, quod currens pertransierit. Multa præterea alia attendere iubent, quorum si nullum impediat, phantasiam probare, illaque etiam in maximi momenti rebus uti permittunt. *Quum tamen* (uti apud Ciceronem est) *possit accidere sapienti, ut quum omnia fecerit, diligentissimeque circumspexerit, exsistat aliquid, quod & verisimile videatur, & absit longis-*

gissime a vero. Verum, aiunt, quid aliquis faciat, si natura nullam veri trutinam dedit? Concessa utere, id est, probabili phantasia, licet non exacta.

Non est autem ubique omnibusque in rebus fide dignissima hæc visio exspectanda, sed pro rerum æstimatione ac pretio exactiori aut minus exacta statera erit utendum. Namque in levioribus probabilem quampiam visionem sequi licebit: graviora non nisi *aperispasto* phantasia trutinari expedierit. Gravissima, & quæ ad bene beateque vivendum pertinent, eius, quæ *aperispastos* & *periodeumene* nuncupatur, iudicium subeant. Atque hunc observationis ordinem præscribunt, nisi quid impedimento sit, quominus cura hæc atque diligentia impendatur. Nam si quis post fugam e prælio latibula petens speluncam ingredi paret, sed iamiam ingressurus rumore aut tumultu aliquo percellatur, huiusmodique phantasia hostes intra antrum latere suspicionem faciat, aufugere evestigio expedierit illa vel parum probabili visione admonitum, nec moram examinando facere. Et hæc quidem omnia ex 1 Sexto petita sunt. Verum ut mihi videor comprehendere, illustrissima divisio hæc uno membro trunca est. Potest enim aliqua visio contingere, quæ *periodeumene*, nec tamen *aperispastos* sit. Sic ergo integra divisio constabit. *Probabilium* phantasiarum alia tantum *probabilis* alia *probabilis aperispastos*, alia *probabilis periodeumene*: quarta demum *probabilis aperispastos* & *periodeumene* simul. Exemplum autem phantasiæ, quæ periodeumene, nec tamen aperispastos sit, ex Euripidis *Alcestide* sumere est. Mortuam Alcestin ac humatam Hercules a mortuis revocat, ac Admeto marito, ut quæ alia mulier sit, servandam tradit. Admetus uxoris visione perculsus, re diligenter perlustrata, phantasiam attentissime examinat. Omnia conveniunt: sed qui credat eam esse, quam nuper ipse

1 Lib. *advers. disciplinas* cap. *de criterio*, & *Hypotyp.* lib. 1. cap. 33.

ipse sepelierit? Simillimam iudicat, verum aliam: περιεσπάζετο, id est, *distrahebatur* enim ipsius animus opinione, ita ut quantumvis singula convenirent, minime hanc Alcestin ipsam putaret, ac nec suspicaretur quidem. Erat igitur phantasia illa satis periodeumene, non aperispastos tamen.

Est ergo Academicorum criterium φαντασία πιθανὴ, id est, *visum probabile*. Galenus phantasiam probabilem periodeumenen, & aperispastos criterium Academicis fuisse scribit. Quod dicta a nobis ratione accipiendum. [1] Galeni verba altius repetita adscribere commodum duximus. Εἰκότως οὖν ἔνιοι τὴν τῶν ὁμοίων τε καὶ οὐχ ὁμοίων ἀκριβῆ γνῶσιν αὐταρκῆ νομίζουσι ὑπάρχειν εἰς μεθοδικὴν σύστασιν ἁπάσης τέχνης, εἴγε καὶ πρὸς τὴν τῶν ἀμφισβητουμένων κρίσιν ἱκανὴ ποδηγός ἐστιν. ὁμοιότητος γὰρ οὔσης πολλῆς ἐνίοις τῶν πιθανῶν μὲν οὐκ ἀληθῶν δὲ πρὸς τοὺς ὄντας ἀληθεῖς λόγους, ὁ γεγυμνασμένος διακρίνειν ἀπ' ἀλλήλων αὐτοὺς, εἴσεται σαφῶς, ὅσον γε χρὴ δόγμασι πιστεύειν ὡς ἀληθέσιν, ὅσον τε καταγιγνώσκειν ὡς ψευδῶν, ὅσον τε τὸ πιθανὸν ἄδηλον ὅπως ἀδηλίας ἔχον προσέοικε τῷ ἀπιθάνῳ, ὥσπερ γε καὶ τῶν ἐπίσης ἀλλήλων εἴτ' ἐν δυσὶν, εἴτ' ἐν τρισὶν, εἴτ' ἐν πλείοσιν ἡ ἔκτασις γένοιτο, μηδὲν ἡγεῖσθαι πιστότερον. Ἀνάγεται δ' ἡ τούτων κρίσις εἰς φαντασίαν, ὡς μὲν οἱ νεώτεροι τῶν Ἀκαδημαϊκῶν λέγουσιν, οὐ μόνον πιθανὴν ἀλλὰ καὶ περιωδευμένην καὶ ἀπερίσπαστον, ὡς δὲ οἱ περὶ τὸν Χρύσιππον, εἰς καταληπτικὴν, ὡς δὲ κοινῇ πάντες ἄνθρωποι πεπιστεύκασιν, εἰς αἴσθησίν τε καὶ νόησιν. ἐναργῆ. Id est, *Non igitur præter rationem quidam existimant, integram exactamque similium atque dissimilium cognitionem sufficere ad quamcumque artem ex methodo tradendam & constituendam: siquidem hæc ad ea, quæ in controversiam veniunt, iudicanda satis idonea est: quum enim magna similitudo sit probabilium, sed non vera-*

rum

1 *De placitis Hippocr. & Plat. lib. 9.*

rum rationum ad eas, quæ revera veræ sunt, qui ad has abinvicem secernendas peritiam sit consequutus, manifesto sciet, quantum oporteat decretis uti veris fidem habere, quantumque ipsa uti falsa reprobare, quantumque id, quod probabile est, incertum quam rationem incertitudinis habens, ad eius, quod est improbabile, similitudinem accedat, sicut & in iis, quæ inter se sint æqualia (nec ulla dissimilitudine secernantur): *seu inter duo, seu inter tria, aut inter plura huiusmodi æqualitas comperiatur, nihil aliud alio ad fidem faciendam præferet. Horum autem omnium iudicium ad phantasiam refertur, ut quidem recentiores Academici dicunt, non solum probabilem, verum & periodeumenen & aperispaston, ut vero Chrysippus, comprehensivam; ut autem omnes homines consentiunt, ad sensum & intelligentiam evidentem.* Adiicit & alia de criterio, lectu quidem digna omnia: sed hæc ad Academiam pertinebant.

Reliquum est de epoche dicere, quod unum ex præcipuis Academiæ capitibus, certe maxime decantatum ac a ceteris philosophorum generibus valde exagitatum est. Primum quidem, si Carneades, ut aliqui tradiderunt, epochen, quam ab omnium una in illam coniuratorum philosophorum incursu tueri non sustineret, ignave dereliquit & subverti est passus, indecore nimis, nec pro Academiæ antiqua dignitate & fortitudinis gloria fecisse fuerit dicendus, ipsa Academiæ arce hostibus tradita. Certe tamen Clitomachi discipulus 1 Philo Larisæus ac Carneadis ipsius quasi nepos, & Metrodorus Carneadem probasse dixerunt, uti liceret opinari sapienti, id est, ei, quod probasset, adsentiri, licet non percepto. 2 Eusebius dissensisse Carneadem ab Arcesila de epoche, scribit, ac significare quidem videtur, illam Carneadis fuisse sententiam, ut diceret, non esse in omnibus adsensum retinendum;

1 Cicero in *Lucullo*. 2 *De præparat.* lib. 14.

dum ; sed in incertis. Hoc autem ex Philonis fortasse auctoritate Eusebius retulit : mirum enim, nisi hæc est Philonis sententia , quam ipse Carneadi adfingeret. Eusebii verba sunt: Μόνῳ δὲ ἐν τῷ περὶ τῆς ἐποχῆς λόγῳ πρὸς αὐτὸν διέστη , φὰς ἀδύνατον εἶναι , ἄνθρωπον ὄντα περὶ ἁπάντων ἐπέχειν , διαφορὰν δ' εἶναι ἀδήλου καὶ ἀκαταλήπτου, καὶ πάντα μὲν εἶναι ἀκατάληπτα , οὐ πάντα δ' ἄδηλα: id est , *De sola epoche ab illo dissensit* (Carneades ab Arcesila) : *dicebat enim impossibile esse ei, qui homo sit , in omnibus rebus adsensum retinere : differre autem incertum & incomprehensibile , & omnia quidem esse incomprehensibilia , sed non omnia incerta.*

1 Verum ego quidem cum 1 Cicerone Clitomacho plus quam Philoni aut Metrodoro credens , hoc magis ab illo disputatum quam probatum puto : quæ enim necessitas adegit Carneadem , ut , quum liceret aut adsentientem , aut retento adsensu , probabili uti, adsentiri impercepto, id est, opinari , potius vellet ? At is, qui numquam opinari sibi proposuerit, qua possit meliori cautione quam epoche uti, nulla est. *Nobis*, ait 2 Cicero , *primum etiam si quid percipi possit , tamen ipsa consuetudo adsentiendi periculosa esse videtur & lubrica*. Vt autem ei , qui a periurio tutus esse cupiat , nec iurare omnino optima cautio est , sic qui impercepto adsentiri nolit , nulli adsentiri tutissimum fuerit. Quid ? quod nec Stoicorum iurgia effugerit, qui quum nihil percipi posse statuerit , epochen deserat : potius enim Stoici epochen , quam opinari , sapienti concesserint. *Opinatione vero e perceptione sublata* , inquit idem 3 Cicero , *sequitur omnium adsensionum retentio : ut si ostendero , nihil posse percipi , tu* [Stoice] *concedas numquam adsensurum esse.*

4 Galenus : Κατὰ μὲν τοὺς ἀκαδημαϊκούς τε καὶ

2 In *Lucullo.*
2 In *Lucullo.*
3 In *Lucullo.*

4 *De dignotione vitiorum, quæ iin animo cuiusque sunt.*

πυῤῥωνείους, οὐ συγχωροῦντας ὧν ζητοῦμεν ἀπόδειξιν ἐπιστημονικὴν ἔχειν ἡμᾶς, ἅπασαι συγκαταθέσεις ἐξ ἀνάγκης μὲν εἰσὶ προπετεῖς: id est, *Equidem secundum Academicos & Pyrrhonios, qui de iis, de quibus quærimus, demonstrationem, quæ scientiam efficiat, habere nos non concedunt, adsensiones universæ temerariæ sunt & præcipites.* Illud vero animadversione dignum, quod Cicero adnotat, quum opinatio interdicitur, non alii quam sapienti interdictam putare oportere: *Namque non de me,* ait [id est de vulgari hominum conditione] *sed de sapiente quæritur: visa enim ista, quum acriter mentem sensumve pepulerunt, accipio, hisque interdum etiam adsentior, nec percipio tamen.* Sed hoc, ut mihi quidem videtur, cedentis est: ut enim ab eo, qui sapiens non sit, proficiat tamen ad virtutem, Stoici quum κατορθώματα, id est, *recte facta*, præstari non posse dicant, officia exigunt, id est, ad sapientis exemplum philosophum sese componere iubent. Sic etiam in hoc studiosus sapientiæ quilibet sapientem imitatus a temeritate cavere & approbationem temperare debuerit.

Quo autem moderamine epoche uti expedierit, ut Pyrrhoniarum illarum rigidarum responsionum invidia vitetur, nemo melius aut dilucidius Cicerone ipso docet, qui in libro iam sæpius citato hæc ex Clitomacho refert: 1 *Quæ quum exposuisset* [Clitomachus] *adiungit, dupliciter dici adsensus sustinere sapientem. Vno modo, quum hoc intelligatur, omnino eum rei nulli adsentiri: altero, quum se a respondendo, ut aut approbet quid, aut improbet, sustineat, ut neque neget aliquid, neque aiat. Id quum ita sit, alterum placere, ut numquam adsentiatur: alterum tenere, ut sequens probabilitatem, ubicumque hæc aut occurrat, aut deficiat, aut* etiam, *aut* non, *respondere possit,* [quæ quidem numquam Pyrrho-

rho-

1 In Lucullo.

rhoniorum Aphasia respondere sustineret : sed illa *Nihilo magis* , *Nihil definio* , cet.] Subiungit ipse Cicero: *Quum id placeat* , *eum* , *qui de omnibus rebus contineat se ab adsentiendo* , *moveri tamen* & *agere aliquid* : *reliquit* [Carneades] *eiusmodi visa* , *quibus ad actionem excitemur* : *item ea* , *quæ interrogati in utramque partem respondere possimus* , *sequentes tantummodo* , *quod ita visum sit* , *dum sine adsensu* : *neque tamen omnia eiusmodi visa approbari* , *sed ea* , *quæ nulla re impedirentur* , id est , non omnes phantasias , sed quæ sint aperispasti. Quum autem visa ea relicta dicit , nec sublata a Carneade , quæ interrogati in utramque partem respondere possimus , Carneadæam quamdam phantasiarum divisionem a Numenio indicatam significare illum voluisse existimarim. *Phantasiæ* aliæ θετικαὶ, id est , *adfirmantes* , quasi dicas , positivæ , quæ adfimantem responsionem eliciant. Alteræ ἀρνητικαὶ , id est , *negantes* sive *negativæ* , quæ ad negandum impellunt. 1 Numenii verba : κακὸν δ᾽ ἦν ἂν κακῷ ἐπαναχείμενον ὁ καρνεάδης τῷ ἀρκεσιλάῳ , μὴ χαλάσας τὶ σμικρὸν , ὑφ᾽ οὗ οὐκ ἄπρακτοι ἔμελλον ἔσεσθαι , κατὰ τὰς ἀπὸ τοῦ πιθανοῦ λεγομένας αὐτῷ θετικάς τε καὶ ἀρνητικὰς φαντασίας , τοῦ εἶναι τὸ δὲ τὶ ζῶον , ἢ μὴ ζῶον εἶναι. Id est , *Malum igitur malo accesserat Arcesilæ Carneades* , *nec minimum quidpiam* , *quod* (adversariis) *non inutile esset futurum* , *remitens*. *Illarum phantasiarum exemplo* , *quas probabilitatis ratione aientes* & *negantes dixit* , *ut* , *esset hoc animal*, *vel non esset* (respondere liceret.) Atque hac divisione ab *Aphasia* , id est , altero Stoico terriculamento liberabantur.

Illæ autem phantasiæ , quibus ad actionem excitemur , ideo relictæ sunt , ut *Apraxia* , id est , actionis universæ privatio , quo maximo altero terriculamento

1 Apud Eusebium *Præpar.* lib. 14.

1 Stoici ab epoche absterrere volebant, evanesceret. Vt enim quis ad actionem moveatur, ac vel appetat quid, vel declinet, probabilis visio rei ad naturam accommodatæ, vel naturæ incommodæ satis est, etiam si adsensus retineatur. Nec verum est, quod Stoici maxime propugnant atque prætendunt, ὁρμὴν, id est, *appetitionem* omnem, immo & sensus ipsos cum approbatione coniuncta necessario esse, nec divelli posse. Hoc enim etiam 2 ipsi sibi, ut solent, contrarii tollunt, quum & sapienti suo in quibusdam epoche & 3 probabili uti permittant. Verum universa ratio hæc a Plutarcho in libro adversus Coloten, ex Academica, quam ipse profitetur, disciplina, commodissime explicatur. Ipsum Plutarchum audi, sed ex versione nostra: *At Colotæ, uti existimo, ea, quæ de appetitione & adsensione* (disputari solent) *commemorare, perinde fuerit, ac lyram coram asino pulsare. Verum iis, qui adsequi hæc & audire valent, sic dicta sunto. Quum triplici animus adfectione moveatur, aut enim visione adficitur, aut appetitione movetur, aut adsentitur: priorem quidem motionem, nec si velit quis, prohibere possit: necesse enim est, ut rerum incurrentium effigies nobis imprimantur, atque ab illis adficiamur: ut vero appetitionis* [adfectio aut facultas] *a phantasia excitata ad ea, quæ accommodata ad naturam sunt, capienda hominem impellit, quadam in principe animi parte* [quasi in lance] *propensione & nutu exsistente. Nec hanc vero adfectionem tollant, qui in omnibus adsensionem retinent: sed appetitione utuntur, quæ naturali propensione ad id, quod accommodatum naturæ apparet, impellit ac ducit. Quid igitur solum fugiunt? Id nimirum, in quo solo* men-

1 Vide D. Augustinum *contra Academ.* lib. 2. cap. 4. & 11.

2 Plutarchus *de Stoicis contrarietat.*

3 Vide Sphæri Stoici distinctionem inter τὴν καταληπτικὴν φαντασίαν, & τὸ εὔλογον, id est, *probabile*, quo sibi uti permittit apud Athenæum lib. 8. pag. 135. 43. Græcæ edit. Aldinæ.

mendacium errorque innasci atque inhaerere solet, opinationem & praecipitem adsensionem, ne erumpat, cohibent, quae animi apparentibus succumbentis, ac prae infirmitate cedentis est, nullumque praeterea usum praestat. Operatio enim duobus indiget, phantasia rei ad naturam accomodatae, & ad id, quod accomodatum apparuit, appetione: quorum neutrum cum epoche pugnat: ab opinione enim, non ab appetitione, nec a phantasia ratio haec deterret.

Igitur ex Academica doctrina quum tria sint *κινήματα*, id est *momenta* sive adfectiones animi, τὸ φανταςικὸν, τὸ ὁρμητικὸν, τὸ συγκαταθετικὸν, id est, *phantasticum*, *appetens* & *adsentiens*; prioribus duabus adfectionibus ii etiam, qui epoche utuntur, necessario moventur, aut nihil agerent; tertia nihil illis est opus, nec se umquam ab illa auferri patiuntur, ne in barathrum, id est, opinationem delabantur. Vides autem interim, quam haec ab Stoica ratione dissideant, quum illi nec sentire nec appetere quemquam sine adsensione posse ad ravim clament. Sed de hoc egimus iam plus bis.

Alia quaedam de epoche apud Plutarchum illo eodem loco legere potes, ad quorum finem quasi epochen ipsam describens certe commendans subiungit: ȣ̓ μῦθος οὖν ȣ̓δὲ θήρα μειρακίων λαμυρῶν καὶ προπετῶν ὁ περὶ τῆς ἐποχῆς λόγος ἐςὶν, ὡς οἴεται Κολώτης, ἀλλ' ἕξις ἀνδρῶν καὶ διάθεσις φυλάττουσα τὸ ἀδιάπτωτον, καὶ μὴ προσιεμένη ταῖς διαβεβλημέναις ȣ̔́τω καὶ δυςατούσαις αἰσθήσεσι τὴν κρίσιν, id est, *Non est ergo fabula doctrina de epoche, neque procacium ac temerariorum adolescentum aucupium, ut arbitratur Colotes; sed habitus & adfectio virorum, quae constantem mentis statum a lapsu liberat atque conservat, neque diffamatis adeo sensibus & inconstantibus iudicium permittit.*

Qualem vero corporis gestum aut actionem epoche in animo imitetur, explicaverat Cicero aliquo *Academi-*

micarum quæstionum, qui non exstat, libro, illis verbis, quæ ipse in quadam ad Atticum 1 epistola refert: *Nec est melius quidquam, quam, ut Lucilius*:

Sustineat currum ut bonu' sæpe agitator, equosque.

Semperque Carneades προβολὴν *pugilis & retentionem aurigæ similem facit* ἐποχῇ. Significabat ergo, eo se modo animum in retinendo adsensu habere, quo pugil, quum pugnum quasi feriturus intentat, nec ferit tamen; aut quo auriga, quum erumpentes equos habenis retinet, nec præcipites ferri sinit.

Verum enimvero non quod adsensionem in omnibus, quæ in disputationem veniunt, Academici continerent, ideo desides illos atque otiosos accipere quisquam debet. Qui quidem philosophorum omnium laboriosissimi verique inveniendi studiosissimi fuerunt, cuius adsequendi caussa arduum nimis & difficile opus sibi proposuere. Omnium, qui umquam fuerunt, philosophorum in omni philosophiæ parte sententias perquirere, ediscere & memoria tenere, quæque alia nondum inventa circa eamdem quæstionem comminisci dogmata possent, ingenio pervestigata in medium adducere & proponere; atque pro omnibus iis sententiis contraque omnes dicere: hoc autem optimum docendi genus existimabant: sic enim omnibus omnium sententiis examinatis & rationum momentis libratis atque pensitatis, quum quidem, quod ad comprehensionem perceptionemque attinet, paria contrariis in rebus rationum pondera invenirentur, adsensus velut a nondum perceptis sustineretur, probabiliora utenda seligerentur. Probabilitatis namque ratione non æqua sunt pro contrariis rationum momenta: adrident enim & placent rationes aliæ aliis magis. Quo autem modo Academici erga decreta, quæ probaverint & utenda selegerint, adfecti sint, quantum-

1 Lib. 13. Epist. 21.

tumque hæc ipsorum adfectio a Dogmaticorum erga propria placita adfectione & animo differat, ex Varronis libro de philosophia 1 D. Augustinus indicavit. *Quum*, inquit, *quæritur de Academicis novis, quibus incerta sunt omnia, utrum ita sint res habendæ, in quibus philosophandum est, an, sicut aliis philosophis placuit, certas eas habere debeamus: non quæritur, quid in boni fine sectandum sit, sed de ipsius boni veritate, quod videtur sectandum, utrum sit, necne, dubitandum: hoc est, ut id planius eloquar, utrum ita sectandum sit, ut qui sectatur, dicat esse verum: an ita, ut qui sectatur, dicat sibi videri, etiam si forte sit falsum: tamen uterque sectetur unum atque idem bonum.*

Illam igitur disputandi in utramque partem rationem, quæ ἡ εἰς ἑκάτερα ἐπιχείρησις Græcis dicitur, Arcesilam tenuisse 2 Cicero scribit. *Huic rationi*, inquit, *quod erat consentaneum, faciebat* [Arcesilas,] *ut contra omnium sententias dies iam plerosque dissereret, ut quum in eadem re paria contrariis in partibus momenta rationum invenirentur, facilius ab utraque parte adsensio sustineretur*. Hanc eamdem rationem sequutus est Carneades, ut statim post hæc Cicero dicit, & 3 Eusebius: λόγων μὲν οὖν ἀγωγῇ ἐχρήσατο ἣ καὶ ὁ ἀρκεσίλαος: καὶ γὰρ αὐτὸς ἐπετήδευε τὴν εἰς ἑκάτερα ἐπιχείρησιν: id est, *ea disserendi forma usus est, qua & Arcesilas: etenim & ipse disputationi in utramque partem operam dabat.* Idem docendi genus optimum existimatum & ab omnibus Academicis retentum Galenus tradidit libello adversus hanc doctrinæ rationem scripto, cuius index est, περὶ ἀρίστης διδασκαλίας, id est, *de optimo docendi genere*; illiusque finem veteres Academicos epochen dixisse commemorat. In Phavorino autem, qui rationem hanc ve-

1 *De civitat.* lib. 19 cap. 1.
2 *Academic. ad Varr.* lib. 1.
3 *De Præparat.* lib. 14.

vehementer commendavit, reprehendit Galenus, quod omni iudicio sublato, discipulis sententiam, quæ optima videatur, eligendam reliquerit. Non caret tamen excusatione Phavorinus: nam probandi species est, ut explicabamus, qua quisque usus probabilius dignoscet atque sumet. Nec enim decretis carebant Academici, sed, quæ decreta selegerant, probabilia, non percepta putabant. Atque hanc Academicorum libertatem respexisse potius 1 Horatium crediderim, quum scriberet:

Ac ne forte roges, quo me duce, quo lare tuter:
Nullius addictus iurare in verba magistri,
Quo me cumque rapit tempestas, deferor hospes:

quam illorum philosophorum institutum, qui ἐκλεκτικοὶ, id est, *selectores*, sunt cognominati: alia enim, ut dicemus, nec ita libera istorum ratio, &, ut existimo, post Horatii ætatem primum inventa.

Exemplum vero huius in disciplina tradenda formæ multi Plutarchi, omnesque M. Tullii philosophici libri continent. De quo sic in ipsius vita Plutarchus: συντάξεις μὲν ἰδίας φιλοσόφους ἀπολέλοιπεν οὐκ ὀλίγας εἰς τὸν ἀκαδημαϊκὸν τρόπον: id est, *Scripta philosophica reliquit non pauca ad Academicam consuetudinem & disserendi formam accomodata.* Istum tamen docendi morem Stoici, ut & Academica omnia, exagitant, quum eodem & ipsi genere plerumque uti comperiantur, ac maxime Chrysippus, ut 2 Plutarchus adnotavit, & eius rei exemplum nos, quum de Chrysippo ageremus, ex eodem Plutarcho descripsimus. 3 Romanus ipse Zeno libros suos sic legi vult tamquam eius, qui quærat adhuc, non sciat. *Non enim*, inquit, *me cuiquam mancipavi, nul-*

1 Epist. 1. lib. 1.
2 *De Stoicis contrarietatibus.*
3 Seneca epist. 45.

nullius nomen fero, cet. [1] Cicero primum in philosophia locum Academicos tenere ex eo putabat, quod secundæ illis partes a ceteris philosophantium sectis, sibi primas vindicantibus, concederentur. Sic Themistocles primus in Salaminia navali pugna habetur, quod ceterorum Græcorum calculis secundus fuerit pronuntiatus. Atque hæc de nova, id est, Carneadis Academia habuisse, quæ diceremus pro nostri ingenii modulo, non exiguum ducimus.

Carneadi autem successit Clitomachus Poenus, patrio nomine Asdrubas antea vocatus, non quidem ipse primus inter [2] Carneadis discipulos; namque illum locum [3] Mentor Bithynus tenuit. Verum hunc Carneades cum pellice deprehensum (comprehendentem phantasiam fuisse illam, non probabilem modo Carneades fateatur oportet) ex schola primum eiectum quasi exheredem fecit & successione privavit. Clitomachus ergo magistri, qui nihil in scriptis reliquerat, sententiam scriptis mandavit, & docuit. Clitomachi familiares [4] Philo quidam fuit Larisæus, hoc enim cognomento apud Stobæum cognominatum reperi, apud quem & moralis philosophiæ exquisita partitio ex Philone hoc refertur. Quum autem plures eodem nomine urbes fuerint, ex qua Larisa sit, nondum compertum habeo. Atque omnia quidem de Philone hoc in obscuro sunt: nec enim post satis diligentem indagationem, quæ qualisve ipsius sententia fuerit, & in Academiam inducta novatio (namque novasse eum plerique, non quidem ipsi Academici, scripserunt) satis possum subodorari. Ac initio statim huius historiæ præcipuum mihi laborem de Philone futurum prædixi. Ve-

1 Apud D. Augustinum *contra Academ.* lib. 3. cap. 7.

2 Laert. in *Carneade.*

3 Numenius apud Euseb. *Præparat.* lib. 14.

4 D. Hieron. *advers. Iovian.* lib. 1. Philonem nescio quem Carneadis magistrum dicit.

rum despondere animum minime oportet, sed omnis lapis movendus, ut ipsius sententiam, si fieri possit, eruamus. Primum descivisse illum a Carneadis Clitomachique sententia, quam aliquando tenuerat, ipsius auditor Antiochus apud 1 Ciceronem testatur, cui & apud 2 Eusebium Numenius attestatur: ὁ δὲ Φίλων ἄρα οὗτος ἄρτι μὲν ἐκδεξάμενος τὴν διατριβὴν ὑπὸ χαρμονῆς ἐξεπέπληκτο, καὶ χάριν ἀποδιδοὺς ἐθεράπευε καὶ τὰ δεδογμένα τῷ Κλειτομάχῳ ηὖξε, καὶ τοῖς Στωϊκοῖς ἐκορύσσετο νώροπι χαλκῷ: id est, *Philo ergo hic nuper quidem scholæ successione ad eum delata, lætitia perculsus & gestiens efferebatur, gratiasque de hoc reddens, & Clitomachi decreta tuebatur & ornabat, & sese adversus Stoicos lucenti ære armabat.* Sed efferbuisse eum postea, Numenius ait, nec in eodem sensu permansisse. 3 Sextus Philonis Academiam quartam a quibusdam vocatam, scriptum reliquit. 4 Eusebius etiam Philonis & Charmidæ Academiam quartam numerat denique: nova quædam commovisse, quod ea sustinere vix poterat, quæ contra Academicorum pertinaciam dicerentur, Ciceronis Lucullus adfirmat. Teneamus ergo hoc, novasse Philonem, nec eamdem illi cum Clitomacho & Carneade fuisse sententiam. Atque quæ illorum quidem fuit, tribus, uti explicuimus, continebatur capitibus, acatalepsia, probabili, & epoche sive opinandi prohibitione. Ac epochen ab ipso non conservatam, quum opinari sapientem non prohiberet, manifestum est, & a Numenio aperte scribitur. Verum non solum hoc novi in Academiam intulisse Philo accusabatur: 5 *Nam & Catullus pater in eadem sententia erat, & Carneadæam esse dicebat, ut percipi nihil posse putaret; adsensurum autem non perce-*

ce-

1 In *Lucullo*.
2 *Præparat.* lib. 14.
3 *Hippotyp.* lib. 1. cap. 33.
4 Eusebius *Præpar.* lib. 14.
5 Cicero in *Luculli* fine.

cepto, *id est*, *opinaturum sapientem existimaret*, *sed ita ut intelligat se opinari*, *sciatque nihil esse*, *quod comprehendi & percipi possit*. Qui tamen [1] Catullus Philonem reprehendisse mendaciique insimulasse commemoratur: quod utique non faceret, si Philo ab eo de Carneadis sententia non dissentiret. Verum quid nos de Philonis sententia sentiamus, proferendum summatim est, tum & veterum testimonia, unde illam elicere nobis detur, producemus.

Natura ita comparatas esse res omnes, ut cognosci & comprehendi possent, Philo aiebat, atque adeo multa percipi: verum hoc non eo modo, quo Stoici dicebant, id est, non ita ut quum quis quippiam cognoscit & perceptum habet, certus ac securus sit aut esse possit, eiusmodi illam phantasiam, qua id comprehensum est, exstitisse, ut nulla ipsi similis alia, & quæ discerni ab illa nequeat, ab eo, quod non est, obiici possit. Ita ut, si Stoici ab illa sua definitione ultima illa verba: *qualis offerri non potest ab eo*, *quod non est*, auferri patiantur, Philo amplius cum eis non contendat. Cognita ergo quædam Philo concedit, quæ comprehensiva phantasia percipiantur. Hæc autem secundum ipsum ea est, *qua offertur ab eo*, *quod est*. Videatur igitur Philo, iam Peripateticus potius quam Academicus, quum & adsensum non retineat, & percepta concedat, cognitaque ab incognitis secernat atque discriminet, licet non illa certissima, & quæ errare numquam possit, Stoicorum nota.

Hæc quum Academica & Carneadæa, immo & Platonica, ut qui non plures una Academia fuisse fateri vellet, esse diceret; præter quam quod mendacii ab Antiocho & Stoicis accusatus convinci putabatur, qui commenta sua a nullo antea Academicorum dicta exponeret,

[1] In *Lucullo* non multum post principium.

ret, & pro Academicis venditaret. Nec isto quidem modo Stoicorum iurgia & rixas effugiebat: qui partem illam definitionis mordicus tenentes, nihil esse cognitum aut comprehensum clamabant, cui illa potissimum pars non conveniret: atque ita Philonem, qui illam conditionem nulli umquam rei convenire posse adfirmaret, nullam rem percipi diceret, discrimenque incogniti & cogniti tollere. Cicero: 1 *Philo autem dum nova quædam commovet, quod ea sustinere vix poterat, quæ contra Academicorum pertinaciam dicebantur, & aperte mentitur, ut est reprehensus a patre Catullo, &, ut docuit, Antiochus, in id ipsum se induit, quod timebat. Quum enim ita negaret quidquam esse, quod comprehendi posset, si illud esset, sicut Zeno definiret, visum impressum effictumque ex eo, quod esset, quale esse non posset ex eo, quod non esset, id nos a Zenone definitum rectissime dicimus. Qui enim potest quidquam comprehendi, ut plane confidas id perceptum cognitumque esse, quod est tale, quale vel falsum esse possit? Hoc quum infirmat tollitque Philo, iudicium tollit incogniti & cogniti. Ex quo efficitur, nihil posse comprehendi: ita imprudens eo, quo minime vult, revolvitur.*

Illa etiam omnia, quæ ex ipsius Ciceronis persona, in *Lucullo* recitantur, Philonem magistrum sapiunt. *Si enim*, inquit, *mihi cum Peripatetico res esset, qui id percipi posse diceret, quod impressum esset a vero, neque adhiberet illam magnam accessionem, quomodo imprimi non posset a falso: cum simplici homine simpliciter agerem, nec magnopore contenderem. Atque etiam, si, quum ego nihil dicerem posse comprehendi, diceret ille sapientem interdum opinari, non repugnarem, præsertim nec Carneade quidem huic loco valde repugnante. Nunc quid facere possum? quæro enim, quid sit, quod comprehen-*

1 In *Lucullo*.

hendi possit. Respondit mihi non Aristoteles aut Theophrastus, ne Xenocrates quidem aut Polemo, sed nihilo minor, id est Zeno: *Quod est tale verum quale, falsum esse non possit. Nihil eiusmodi invenio, itaque incognito nimirum adsentiar, id est, opinabor. Hoc mihi & Peripatetici & vetus Academia concedit, vos* (Stoici) *negatis, Antiochus in primis*, cet. 1 Sextus Philo autem ait, quantum ad Stoicum criterium, id est, phantasiam comprehensivam, res esse incomprehensibiles: quantum autem ad naturam rerum, comprehensibiles. Numenius statim post illa verba, quæ superius ex ipso adscribebamus: ὡς δὲ προϊόντος μὲν τȣ̃ χρόνου, ἐξιτήλου δὲ ὑπὸ συνηθείας οὔσης αὐτῶν τῆς ἐποχῆς, ȣ̓δὲν μὲν κατὰ τὰ αὐτὰ ἑαυτῷ ἐνόει, ἡ δὲ τ̃ παθημάτων αὐτὸν ἀνέστρεφεν ἐνάργειά τε ϗ ὁμολογία. πολλὴν δῆτ᾽ ἔχων ἤδη τὴν διαίσθησιν, ὑπερεπεθύμει, εὖ οἶσθ᾽ ὅτι τῶν ἐλεγξόντων τυχεῖν, ἵνα μὴ ἐδόκει μετὰ νῶτα βαλὼν αὐτὸς ἑκὼν φεύγειν: id est, *Quum vero & tempus lapsum esset, ipsaque illorum epoche usu detrita obolevisset, non iam amplius sibi constabat* (Philo), *neque simile quid, prioribus suis decretis, sapiebat. Torquebat autem eum, nec quiescere sinebat adfectionum evidentia & concordia. Ergo sua ipse iam apud se conscientia convictus atque edoctus, vehementer, sat scio, cupiebat, qui se convincerent, invenire, ne videretur libens ipse terga vertere & fugere.*

In primo *Academicarum* ad Varronem libro Cicero Philonis partes egerat, sicut Varro Antiochinas, ut si integer liber ad nos pervenisset, non esset, quod de Philonis sententia dubitaremus. Verum ex Ciceronis oratione omnia fere interciderunt. Adhuc tamen etiam in *Lucullo* non multum a Philonis sensu Ciceronem recedere crediderim, præter id, quod opinari non probat, quod probasse Philonem citra controversiam est. Namque

1 *Hyppotypos.* lib. 1. cap. 33.

que quod ad comprehensionem attinet, parum aut nihil Philonis sententia a Carneade discedit, cui etiam, immo & Arcesilæ Academicisque omnibus, de postrema illa definitionis parte tota adversus Stoicos controversia fuit. Immerito autem illi mendacium obiici, Cicero istis ex *Lucullo* verbis subindicare fortasse videatur: *Sed ut omneis*, inquit, *istos aculeos, & hoc totum tortuosum genus disputandi relinquamus, ostendamque qui simus: iam explicata tota Carneadis sententia, Antiochi ista corruent universa. Nec vero quidquam ita dicam, ut quisquam id fingi suspicetur, a Clitomacho sumam*, cet.

Igitur, ut videtur, in verbis solum Philo a Carneade dissentiebat, siquidem percepta & cognita vocabat illa, quæ Carneades δῆλα, id est, *certa*, & ἐναργῆ, id est, *perspicua*. Quæ ratio ad posteriores etiam Academicos permansisse videtur. Namque 1 Galenus scribit, Phavorinum Academicum in quodam libro, cui *Alcibiadi* nomen fecerit, scripsisse, *Probabile sibi videri, nihil comprehendi*: in alio vero eiusdem volumine *Plutarchus* inscripto, concessisse videri, *Esse aliud, quod comprehendatur*. Quod, qua exposuimus ratione, a Phavorino concessum est intelligendum. Philonem enim Phavorinus omnimodo sequutus videtur. Accusatur namque in eodem Galeni libro, quod quum Academicus haberi velit, antiquorum epochen deseruerit. Est vero hæc universa Philonis ratio: epoche non uti, nec ab opinione cavere; quædamque percepta & cognita putare, sed non ea, qua Stoici ratione.

Philonis auditor 2 *Antiochus* Ascalonita quum multo tempore 3 Academiam incoluisset & defendisset, demum iis castris desertis, sive evidentiæ & perspicuita-tis

1 *De optimo docendi genere.*
2 De Anthiocho.
3 Plutarchus in *Cicerone.*

tis sensuumque testimonio adductus ac flexus, seu ambitionis potius studio & contentione adversus Clitomachi & Philonis familiares actus, ad Stoam sese transtulit: non qui Stoæ nomen dederit, namque id indecorum forte putavit: semper enim Academici cognomentum retinuit; verum *in decretis placitisque omnibus erat*, ut 1 Cicero ait; *si perpauca mutavisset, germanissimus Stoicus*. A Philone quidem & Carneade Arcesilaque novæque Academiæ universa disciplina apertam discessionem fecit, nec id ipse dissimulabat: verum ad antiquam Platonis & Xenocratis ceterorumque veterum, quæ ad Polemonem, quem ipse maxime probabat, perdurasset, migrasse dicebat, quasi e nova in veterem domum. Veterisque Academicæ disciplinæ restitutor, quasi tunc postliminio redeuntis, audire volebat. Hæc & quædam alia de Antiocho a Cicerone in iis libris *Academicarum*, qui reliqui sunt, commemorantur, ipsiusque universæ doctrinæ ratio sub Varronis persona in primo libro luculenter exponitur. In *Lucullo* quoque omnia ea Stoica, quæ de veritatis iudicio dicuntur, ex Antiochi sententia sumta sunt: namque quod ad criterium attinet, Stoicus omnino erat. In naturali autem & morali philosophia, etiam quum Platonica placita explicare profiretur, plerumque Stoam sapit: ut, si hic esset locus, ostendere possemus. Quum vero Stoica refert, mire erga illa adficitur, ipsamque adeo Stoam correctionem quamdam, non mutationem, antiquæ Platonis doctrinæ dicit. 2 Namque, ut tradit Sextus, in id maxime incubuit, ut ostenderet, Stoica decreta e Socrate Platoneque petita. Non est ergo, quod de eius explicanda sententia anxii simus: quod enim huius commentationis fuisset, id est, quid de criterio senserit 3 Antiochus

1 In *Lucullo*.

2 *Hypotypos.* lib. 1. cap. 33.

3 Vide D. Aug. *contra Acad.* lib. 2. cap. 6.

chus in medium adferre, dum Stoica proponebamus, una est peractum, ut iterum agendum non sit. Ipsius vero placita universa in morum atque in naturæ philosophia, quæ partim Platonica, maiori autem ex parte Stoica sunt, huc explicanda congerere supervacaneum duximus. Præterquam quod immensæ molis est Stoicorum moralis disciplina, & fortasse iusto aliquando volumine a nobis, si Deus adnuat, tractanda.

Illud autem, quod de Antiocho [1] Cicero scripsit, non discessisse eum a Philone, nec ad Stoicum magistrum aliquem, quales erant tunc Athenis Mnesarchus & Dardanus principes Stoicorum, se contulisse; quod, si Stoica illi placebant, facere debuisset, cum istis Numenii non concordat. [2] Φίλωνος δὲ γίνεται ἀκουστὴς Ἀντίοχος ἑτέρας ἄρξας ἀκαδημίας. Μνησάρχῳ γοῦν τῷ στωϊκῷ σχολάσας ἐναντία Φίλωνι τῷ καθηγητῇ ἐφρόνησε, μυρία τε ξένα προσῆψε τῇ ἀκαδημίᾳ: id est, *Philonis vero auditor fuit Antiochus, qui alii Academiæ initium dedit. Mnesarcho igitur Stoico opera navata, Philoni magistro contraria sensit, innumeraque aliena Academiæ adfinxit*. Sed & vide etiam de Antiocho quædam apud divum Augustinum *contra Academicos* lib. 3. cap. 18.

Ipse [3] Cicero & Philonis & Antiochi scholas frequentavit, Antiochumque amasse & ab illo dialectica didicisse scribit. Verum in philosophicis Philonis potius placita amplexus est, ut ipsius scripta aperte demonstrant, & [4] Plutarchus tradidit. Fatetur interim in aliqua ad Atticum epistola Cicero, Antiochia illa decreta vehementer esse πιθανά, id est, *probabilia*. Varro autem ille Romanorum doctissimus Antiochum magis probabat, ut & Cicero Varroni ipsi scripsit, & ex iis, quæ ex eiusdem libro *de philosophia* D. Augustinus adfert, mani-

1 In *Lucullo*.
2 Apud Euseb. *Præp*. lib. 14.
3 In *Lucullo*.
4 In *Cicerone*.

nifeſtè comperitur. Ecce enim universam Antiochi rationem ex Varronis sententia ab 1 Augustino descriptam. Namque sic ait: *Quomodo Varro in eo libro* (quem de philosophia scripsit) *enumeratis ac confutatis ceteris omnium philosophorum sectis unam eligat, quam vult esse Academicorum veterum, quos a Platone institutos usque ad Polemonem, qui ab illo quartus eius scholam tenuit, quæ Academia dicta est, habuisse certa dogmata vult videri: & ob hoc distinguit ab Academicis novis, quibus incerta sunt omnia. Quod philosophiæ genus ab Arcesila cepit successore Polemonis; eamque sectam*, id est, *veterum Academicorum, sicut dubitatione, ita errore omnia carere arbitretur* (Varro), *longum est per omnia demonstrare*, cet.

Et hæc quidem symbola collata a nobis esto in *Academicarum* M. Tullii quæstionum elucidationem, quæ quidem si ad nos integræ pervenissent, nulla a nobis luce indigerent. Absolverat enim Cicero, ut ipse Attico scribit, Academicam omnem quæstionem libris quatuor, *ita accurate* (namque sic ait) *ut nihil posset supra*. In iis, quæ erant contra ἀκαταληψίαν præclare collecta ab Antiocho, Varroni dederat, ad ea ipse respondebat Philonis partes agens. Tertius in sermone erat Atticus. Atque hæ quidem in secunda editione illorum (duas enim fecit) personæ fuerant. In priore alii colloquebantur. Id quare mutaverit, 2 Attico etiam indicat. Is liber *Academicarum ad Varronem*, qui nec integer restat, secundæ editionis primus habetur. *Lucullus* prioris editionis est, in qua quarti libri locum tenebat, uti ex iis, quæ ex illo producit Nonius, conficitur. Atque hucusque commentationem hanc deducere decreveramus. Nunc vero quoniam ita omnem fere de criterio historiam absolutum iri existimamus, Cyrenaicorum & Epicu-

1 *De civitate Dei* lib. 19. cap. 1. 2 Epist. 16. lib. 13.

curi de eadem quæstione sententias auctarii nomine adiungere placet.

Aristippus Cyreneus Socratis familiaris, eius factionis caput fuit, quæ ab illo *Cyrenaica* nuncupatur. Hic ipsiusque sectatores criterium veritatis τὰ πάθη dixerunt; id est, *interiores adfectiones & permotiones*: de quibus solis, quod sint, liceat pronuntiare; de iis vero, quæ extra sunt, rebus, etsi adfectiones ipsas nobis immittunt, nosque permovent, tamen statuere non posse, præterquam quod ita videantur. Quum enim alio modo eædem res alios atque alios adficiant, nec commune quid sit, quo iudicentur: omnia quidem exteriora esse ἀκατάληπτα, id est, *incomprehensibilia*, interiora, id est, adfectiones comprehendi. Ita quum quis voluptate aut dolore adficiatur, delectari se aut dolere, haud dubie possit adfirmare; sitne illa res, quæ voluptatem conciliavit, suavis, aut, quæ dolorem peperit, molesta, statuere nequeat. Similiter quum albi species dulcisve, aut odori, ceterorumve aliqua sensum ferit, is, qui illa commotione percellitur, albi, dulcis ac odori sensu adfici se adfirmet, licet: id enim verum est & illi compertum. Verum albumne, dulceque & odorum sit id, quod ipsum perculit, ne decernat, quum nec comprehendat. Igitur quum adfectiones & se, & id, a quo efficiuntur, ostendant, de se quidem ipsis non mentiuntur, rerum extra positarum non veraces nuntii sunt. 1 Cicero: *Aliud* (iudicium) *Cyrenaicorum, qui præter permotiones intimas nihil putant esse iudicii.* Et alia in loco: 2 *Quid Cyrenæi? Videntur minime contemti philosophi. Hi negant esse quidquam, quod percipi possit extrinsecus: ea se sola percipere, quæ tactu intimo sentiant, ut dolorem & voluptatem: neque se, quo quid colore, aut quo sono sit, scire, sed tantum sentire adfici se quodam modo.* Idem etiam de hac Cyrenaicorum sen-

ten-

1 In *Lucullo*. 2 In *Lucullo*.

tentia scribit Laertius in *Aristippo*: sed multa Sextus, quem consulas licet. 1 Plutarchus optime illam explicat & a Colotæ calumnia defendit. Ἐκεῖνοι δὲ, inquit, τὰ πάθη καὶ τὰς φαντασίας ἐν αὑτοῖς τιθέντες, οὐκ ᾤοντο τὴν ἀπὸ τούτων πίστιν εἶναι διαρκῆ πρὸς τὰς ὑπὲρ τῶν πραγμάτων καταβεβαιώσεις, ἀλλ' ὥσπερ ἐν πολιορκίᾳ τῶν ἐκτὸς ἀποστάντες εἰς τὰ πάθη κατέκλεισαν αὑτοὺς, τὸ ΦΑΙΝΕΤΑΙ τιθέμενοι, 2 τὸ δ' ἐστὶ προσαποφαινόμενοι περὶ τῶν ἐντός: id est: *Illi vero quum adfectiones & phantasias intra se ipsos posuissent, non existimarunt horum testimonia satis idonea ad sententiam de rebus ipsis ferendam; sed, veluti in obsidione, ab iis, quæ extra* [moenia] *sunt, recedentes, intra adfectiones se ipsos concluserunt, de iis, quæ extra sunt,* VIDETUR *dicentes;* EST *vero de iis, quæ sunt intra, adfirmantes.* Et paullo post: γλυκαίνεσθαι γὰρ λέγουσι καὶ πικραίνεσθαι καὶ φωτίζεσθαι καὶ σκοτίζεσθαι, τῶν παθῶν τούτων ἑκάστου τὴν 3 ἐνέργειαν οἰκείαν ἐν αὑτῷ καὶ ἀπερίσπαστον ἔχοντος. εἰ δὲ γλυκὺ τὸ μέλι, καὶ πικρὸς ὁ θαλλὸς, καὶ ψυχρὰ ἡ χάλαζα, καὶ θερμὸς ὁ ἄκρατος, καὶ σκοτεινὸς ὁ τῆς νυκτὸς ἀὴρ ὑπὸ πολλῶν ἀντιμαρτυρεῖσθαι καὶ θηρίων, καὶ πραγμάτων, καὶ ἀνθρώπων, τῶν μὲν δυσχεραινόντων 4 τῶν δὲ προιεμένων τὴν θαλλίαν, καὶ ἀποκαομένων ὑπὸ τῆς χαλάζης, καὶ καταψυχομένων ὑπὸ οἴνου, καὶ τὸν ἥλιον ἀμβλυαττόντων, καὶ νύκτωρ βλεπόντων. ὅθεν ἐμμένουσα τοῖς πάθεσιν ἡ δόξα διατηρεῖ τὸ ἀναμάρτητον, ἐκβαίνουσα δὲ καὶ πολυπραγμονοῦσα τῷ κρίνειν καὶ ἀποφαίνεσθαι περὶ τῶν ἐκτὸς, αὑτήν τε πολλάκις ταράσσει καὶ μάχεται πρὸς ἑτέρους ἀπὸ τῶν αὐτῶν ἐναντία πάθη καὶ διαφόρας φαντασίας λαμβάνοντας. Id est: *Namque dulci gustu & amaro adfici, & lumine & te-*

1 Lib *advers. disciplin.* c. *de criterio*.

2 Videtur deesse περὶ τῶν ἐκτός.

3 Forte ἐνάργειαν.

4 τὸ μέλι.

nebris percelli se aiunt, quum videlicet harum adfectionum singulæ sua propria 1 *evidentia nullaque re impedita constent. Verum dulce esse mel, & olivæ termitem amarum, & grandinem frigidam, & calidum temetum, & obscurum nocturnum aerem, multorum tam animalium, quam rerum atque hominum testimoniis impugnari ac refelli: quum quidam mel aversentur, quidam oleagineum ramum cupide gustent, alii grandine urantur, refrigerentur vino, in sole cæcutiant, noctu videant. Quapropter opinio dum intra adfectiones manet, a lapsu & errore sese tutam conservat, si vero exeat & curiose rebus, quæ extra sunt, se immisceat, illas iudicatura aut de ipsis pronuntiatura, & sese ipsa multoties perturbat, ac a tranquillitate excidit, & cum aliis certamina & contentiones iniit, qui ab iisdem rebus contrarias adfectiones & phantasias accipiunt.*

Vides, quæ horum fuerit sententia. Quæ mihi quidem non probanda, nec ridenda tamen ullo modo videtur, quum & 2 D. Augustinus probasse magis illam, quam reiecisse videatur. At aliarum sectarum professores eo modo aliena dogmata, quibus impugnandis sese accingunt, proferre & interpretari morem habent, ita turpibus coloribus depingere ac repræsentare solent, ut nihil hac ipsa opinione ridendum magis, uti ab illis prolata est, inveniri posse videatur. Quali cachinno a Colote explosa sit, Plutarchus scripsit. 3 Aristocles Peripateticus sic nobis ridendum propinat. » Consequantur, inquit, hos ii, qui adfectiones solas comprehendi posse dicunt, dixerunt vero hoc quidam ex Cyrene. Hi autem velut ii, qui letargo sunt oppressi, nihil omnino uspiam esse existimabant, nisi quis adsit, qui ipsos feriat aut pungat. Namque si aut urerentur, aut

» se-

1 vel efficientis.
2 *Contra Acad.* lib. 3. cap. 11.
3 Apud Euseb. *Præpar.* lib. 14.

„ secarentur, cognoscere se quidpiam pati dicebant. V-
„ trum vero, quo urerentur, ignis, aut quo secarentur,
„ ferrum esset, statuere non posse. Eos autem, qui ista
„ dicunt, roget protinus aliquis: an hoc saltim sciant,
„ pati nempe se ac sentire: namque si nesciant, nec
„ illud possint dicere, solam se adfectionem cognoscere.
„ Si vero sciunt, non solæ adfectiones comprehensibiles
„ fuerint dicendæ: siquidem istud, *Ego uror*, effatum
„ est, non adfectio. Verum enimvero tria hæc simul
„ subsistere est necesse, ipsam adfectionem, & quod il-
„ lam infert, atque id, quod adfectionem excipit ac pa-
„ titur. Is igitur, cui adfectio accidit, illam sentiet uti-
„ que: non etenim se, exempli caussa, calefieri cog-
„ noscet; utrum autem ipse, an ipsius vicinus id patia-
„ tur, ignorabit: ac an nunc id contingat, an heri; A-
„ thenisne, an in Aegypto; vivusne uratur, an mortuus;
„ homóne ipse, qui uratur, sit, an lapis. Ergo & a quo
„ id patiatur, sciet: namque alii alios homines cog-
„ noscunt ac sciunt, vias quoque & urbes, & cibum:
„ artifices etiam sua instrumenta cognoscunt: medici
„ quoque, & ii, qui nauticæ rei sunt periti, futura ad-
„ notant ac prænuntiant: canesque ferarum tramites &
„ vestigia adinveniunt. Præterea qui quidpiam patitur,
„ necessario uti accommodatum id suæ naturæ, aut uti
„ incommodum percipit; aut undenam adfirmare pote-
„ rit, voluptasne id sit, an dolor? aut quod illo, dum
„ gustat, aut dum videt, aut dum audit, adficitur? at-
„ que dum gustat lingua, ac videt oculis, & auribus
„ audit? Aut quomodo sciunt, hoc quidem capere opor-
„ tere, fugere illud? Quod si horum nihil sciant, nec
„ appetitione agi, nec conari quidquam poterunt. Eaque
„ ratione neque animantes quidem erunt. Ridiculum enim
„ fuerit, si dicant, hæc quidem illis contingere; quo-
„ modo vero accidant, nescire. Huiusmodi enim nec an
„ homines quidem sint, nec an vivant, dicere licebit.

„ Er-

» Ergo nec an aliquid dicant ac statuant. Quum his er-
» go quis disputationem instituat. Ac mirabitur fortasse
» quispiam, si nesciant, utrum in terra sint, an in cæ-
» lo. Verum multo magis mirandum est, nescire illos,
» tribusne quatuor plura sint, quotque sint unum &
» duo: idque quum philosophari profiteantur. Nec enim
» hi dicere possunt, quot in manibus digitos habeant;
» aut numquid ipsorum quilibet unus sit, an plures:
» ut nec proprium nomen noverint, nec patriam, nec
» Aristippum. Igitur nec quos ament aut oderint, quæ-
» que cupiant. Quod si rideant, aut fleant, dicere non
» poterunt, illud esse ridiculum, alterum molestum. Per-
» spicuum igitur est etiam nec quid modo dicamus ab
» ipsis intelligi: huiusmodi igitur nihil a culicibus mus-
» cisque differant oportet. Quin potius etiam ista, quæ
» naturæ suæ conveniunt, agnoscunt. Ac ad eos, qui isto
» modo adfecti sunt, etsi multa dici possent, hæc ta-
» men sufficiunt. « Hæc Aristocles ex versione nostra: nam Græca adscribere piguit. Quæ ideo exscripsimus, ut exemplo sint, quam non sint antiquorum philosophorum dogmata ex adversariorum dictis æstimanda. Atque ego quidem quum illustrium quondam virorum absurda quædam decreta, & præter communem omnium hominum sensum narrari & exsibilari audio, adduci non possum, ut credam, fideliter, &, uti ab illis sentiabantur & docebantur, relata & interpretata: qui enim ego nullius ingenii homo illorum absurditatem evestigio pervideam, illi multo ingenio meditata ridicula tandem protulerint? Sed Thucydidæum illud verissimum semper comperias: 1 Πολύ τε διαφέρειν οὐ δεῖ νομίζειν ἄνθρωπον ἀνθρώπου. Id est: *Multum quid hominem homini præstare existimare non oportet*. Et: Νομίζειν δὲ τὰς διανοίας τῶν πέλας παραπλησίους εἶναι: id est: *Existimare o-*

por-

1 Lib 1. in oratione Archidami.

portet, quæ nos cogitamus, aliis etiam in mentem venire.

Epicurum quidam nullius auditorem fuisse, sed antiquorum librorum lectione profecisse scripserunt: alii Xenocratem & Nausiphanem magistros illi tribuunt. Hic, licet rationalem omnem philosophiæ partem contemserit, noxiamque potius esse putaverit, quæstionem de criterio non intactam reliquit, sed de illo inter naturalia egit. Statuit vero: *Veritatis iudicia sensus & notitias sive prolepses & adfectiones esse*, id est, ut 1 Laertius scribit, κριτήρια τῆς ἀληθείας εἶναι τὰς αἰσθήσεις, καὶ προλήψεις καὶ τὰ πάθη. 2 Cicero: *Aliud* (iudicium) *Epicuri, qui omne iudicium in sensibus, & in rerum notitiis, & in voluptate constituit.* Omnes enim sensus veros esse aiebat, omniaque visa: si aliqua falsa sint, aut esse possint, nullum iudicium relinqui. Huic rei sic Epicurus ipse apud Laertium fidem facere studet: Πᾶσα γὰρ (φησὶν) αἴσθησις, ἄλογός ἐστι, καὶ μνήμης οὐδεμιᾶς δεκτική. οὔτε γὰρ ὑφ᾽ αὑτῆς κινεῖται, οὔθ᾽ ὑφ᾽ ἑτέρου κινηθεῖσα, ἀδυνατεῖ τι προσθεῖναι ἢ ἀφελεῖν. Sentiant enim, aut non sentiant sensus necessarium esse. Ac siquidem sentiunt, fallere minime possunt, quum ratione omni careant, nec addere quidquam aut detrahere ii, quas exceperint, phantasiis, sciant: quare fideliter illas repræsentare. Atque quum nullam præteritarum phantasiarum ipsi apud se sensus memoriam conservent (namque & hac etiam facultate destituuntur) non valent phantasias permutare, aliamque pro alia offerre. Immoti igitur constant sensus, nec ab alio, ut detrahant quid, aut addant, moveri possunt. Idem confirmare tendit: Οὐδὲ ἔστι τὸ δυνάμενον αὐτὰς διελέγξαι, οὔτε γὰρ ὁμογενὲς αἴσθησις τὴν ὁμογενῆ, διὰ τὴν ἰσοσθένειαν, οὔθ᾽ ἡ ἀνομοιογενὴς τὴν ἀνομοιογενῆ: οὐ γὰρ τῶν αὐτῶν εἰσι κριτικαί: οὔτε μὲν λόγος. πᾶς γὰρ λόγος ἀπὸ τῶν αἰσθήσεων ἤρτηται:

οὔθ᾽

1 In Lucullo. 2 In Epicuro.

οὔθ' ἡ ἑτέρα τὴν ἑτέραν, πάσαις γὰρ προσέχομεν. καὶ τὸ τὰ ἐπαισθήματα δὲ ὑφεστάναι, πιστοῦται τὴν τῶν αἰσθήσεων ἀλήθειαν. ὑφέστηκε δὲ τό, τε ὁρᾷν ἡμᾶς καὶ ἀκούειν ὥσπερ τὸ ἀλγεῖν. *Etiam*, inquit, *si mentiri sensus atque fallere nos possent, non est quo illos arguamus ac falsi convincamus. Neque enim eiusdem generis sensum eiusdem generis alio iudicare est. Aequalem enim vim habent, & eamdem merentur fidem: nec qui diversi est generis, eum, qui diversi a se generis sensus est, examinare valet: quum diversæ rei quilibet sensus sit iudex: non enim odorem iudicabit visus, neque ratio: omnis enim ratio ex phantasiis pendet. Nec phantasia una aliam convincet: æque enim omnibus attendimus. Confirmatur etiam sensuum veritas & fides ex eo, quod ipsorum affectiones manifeste sint atque subsistant. Sicut enim non potest ipsum dolore esse, & non esse id, quod dolorem infert, sed necessario ambo simul sunt; ita quum videre nos & audire perspicuum sit, erit etiam & id, quod videtur, & quod auditur.*

Sunt igitur Epicuro omnes sensus veri, & omnes phantasiæ veræ, opiniones non item: aliæ falsæ: ait enim, unicuique phantasiæ adiungi statim, eamque evestigio consequi opinionem, quam δόξαν & ὑπόληψιν vocant, qua videlicet visum ipsum ab illa re immissum apud nos statuimus: opinionem ergo hanc atque existimationem esse eam, quæ fallatur, quam quum ab evidentia ac illata vera phantasia distinguere nesciamus, ipsius errorem phantasiæ tribuere. 1 Quare sapientis esse, opinionem a perspicuitate seiungere, nec illa inter se confundere; si confundantur, non habituros nos quo iudicemus: sic enim ipse in 2 Κυρίαις δόξαις scripsit. Eo enim rem demittebat Epicurus: *Si unus sen-*

1 Cicero in *Lucullo*.
2 Id est: *præcipuis vel maxime ratis sententiis.*

ſenſus ſemel in vita mentitus ſit, nulli umquam eſſe credendum. Namque ſic ſcriptum eſt apud Ciceronem, cui ipſa Epicuri de hac re apud Laertium verba, & plus uno loco Plutarchus & Sextus adſtipulantur. 1 Ariſtocles etiam timuiſſe Epicurum ait, ne, ſi ſenſus aliquos falſos diceret, criterio regulaque omni deſtitueretur. 2 Tertullianus, *Epicuræi*, inquit, *conſtantius* [quam Stoici] *parem omnibus* [ſenſibus] *atque perpetuam defendunt veritatem, ſed alia via. Non enim ſenſum mentiri, ſed opinionem: ſenſum enim pati, non opinari: animam enim opinari. Abſciderunt & opinionem a ſenſu, & ſenſum ab anima.*

Quum autem viſa furentium & ſomniantium Epicuræis obiiciuntur; quum, qua ratione ſimul parva & magna, rotunda & quadrata turris aliqua ſit, ſi ex intervallo conſpiciatur, & ſi quis prope eam conſpecturus accedat; qua etiam ratione una res aliis calida, frigida aliis videatur, ut ſi viſa omnia vera futura ſint, res eadem & calida & frigida ſimul dicenda veniat, rogantur: univerſam illam ſuam de natura diſciplinam docere nos atque perſuadere opus habent, idque adeo ſatagunt. Per infinitum, inquiunt, vacuum innumera *corpuſcula* (ἀτόμους vocant) diverſis prædita facultatibus, ut frigida quædam, alia calida ſint, perambulare. Hæc alia aliis incurrentia atque impacta denſari & coaleſcere, illorum compages corpora ipſa eſſe, quæ ϛερέμνια, id eſt, *ſolida*, dici volunt. Ex corporibus ac rebus omnibus tenuiora alia atque leviora corpora, quæ rerum ipſarum imagines ſint, effluere atque hac illac pervagari: εἴδωλα hæc vocant, id eſt, *ſpectra* & *effigies*, ſive, ut Lucretius, *effigies* ſive *ſpecies*. Namque & has corporeas ab ipſis inductas, Galenus ſcripſit. Odores etiam ſaporeſque & voces e rebus deferri, quæ omnia ſen-

1 Apud Euſeb. *Præp.* lib. 14. 2 Libro de anima cap. 17.

suum instrumenta feriant & sensus efficiant, id est, sentiantur. Igitur idola hæc per varia loca delata tenuiora minoraque fieri, deterique & evanescere tandem, ac vario etiam modo inter se misceri & permutari. Quæ & a furentibus & a somniantibus intra corpus irrumpentia cernantur: errare ergo illos, non sensu: namque vere eiusmodi visis adficiuntur: sed opinione, dum credunt, a solidis, quæ adsint, corporibus spectra illa sibi offerri. Atque hoc quidem, ut & physica Epicuri universa, Democriti est, quem 1 Cicero dicit scripsisse, si nunc, aut si etiam dormientes aliquid animo videre videamur, imágines extrinsecus in animos nostros per corpus irrumpere. Laertius ex Epicuri sententia: Τά τε τῶν μαινομένων φαντάσματα, καὶ κατ' ὄναρ ἀληθῆ. κινεῖ γάρ: τὸ δὲ μὴ ὂν ἢ κινεῖ: id est, *furentiumque & somniantium visa vera esse, movent enim. Quod vero non est, non movet.* 2 Plutarchus de Epicuræis: Καὶ τίνα γὰρ ἐκ ὄψιν ἢ φύσιν ἔκφυλον εἰς τὸ αὐτὸ συνενεγκόντες ἐκ τῶν ἐνυπνίων καὶ τῶν παρακοπῶν; οὐδὲν εἶναί φασι παρόραμα τούτων, οὐδὲ ψεῦδος οὐδὲ ἀσύστατον· ἀλλὰ φαντασίας ἀληθεῖς ἁπάσας καὶ σώματα καὶ μορφὰς ἐκ τοῦ περιέχοντος ἀφικνουμένας. Id est: *Quam vero speciem aut naturam monstrosam atque peregrinam non una compingunt, ex insomniis & delitiis eas desumentes? quorum nihil vanam visionem, aut falsum, aut inconveniens, &, quod esse non possit, dicunt; sed veras phantasias & corpora & formas, quæ ex circumfuso aere nobis immittantur.*

3 Similiter & de procul visa turri, quæ parva & rotunda, cum magna & quadrata sit, videatur, respondent. Ita videlicet deformatam turris effigiem ad nos pervenire, vereque illa, quam animo offert, specie sensum percelli, nec mentiri. Quod si quis ipsam solidam tur-

1 In *Lucullo*.
2 Contra Coloten.
3 Plutarchus *contra Coloten*. Sextus *advers. discip.* cap. *de criterio*.

turrim eiusdem formæ cum longo itinere defesso atque languido, & iam iam evanescente spectro suo esse existimet, opinione, non sensu decipiatur. Namque & validam quis vocem e longinquo ad se delatam, si, uti sensu percipit, exilem putet, ipse, non sensus, aberret. Namque sensus uti ad se delata est, illam excepit, & fideliter repræsentavit. Atque hac eadem responsione in solis astrorumque magnitudine Epicurus uti potuit, nec risum sui mathematicis & philosophis omnibus facere. Tamen, præterquam quod a compluribus cum Cicerone est traditum, ipsius Epicuri verba ex epistola ad Pythoclen, & ex undecimo de natura a Diogene Laertio Epicuræo relata interpretationem non admittunt. Diserte enim adfirmat, tanta esse astra omnia, quanta videantur, aut maiora paullo. Adiicitque ridiculam rationem, non amissam illis intervallo magnitudinem, quandoquidem nec colorem. Verum sententia hæc innumeris perspicuitatis evidentissimis testimoniis convicta damnatur, & exsibilata exploditur a [1] Cleomede Stoico: Stoicus enim is est, ut apparet.

Caussam vero, cur eadem aliis frigida, aliis calida sentiantur, hanc illos adsignare solitos [2] Plutarchus refert. Singula diversis ac contrariis qualitatibus constare, multaque ac sibi pugnantia in unaquaque re commixta & colligata teneri. Hominum quoque sensus varia ratione temperatos, vario etiam modo ad res accommodari atque applicari, ita ut quum alius eamdem rem tangat, aut quovis sensu apprehendat, non easdem illius, quas alius, partes attingat. Sed prout sensus ad rem temperaturæ habet, ita alias & alias eiusdem rei partes & facultates tangat & excipiat: veluti si ex fonte aliquo, in quo multorum generum res permixtæ conti-

1 Lib. 2. *circularis contemplationis sublimium.* 2 *Contra Coloten.*

neantur, accedens alius aliud hauriat. Non esse igitur quod quis aliorum sensus damnet, aut mendaces dicat, quod non eo, quo ipse, modo ab eadem re adficiantur, quum omnes omnium sensus veraces sint, nec mentiri possint. 1 Sic vinum alios quidem calidum, alios frigidum experiri, neutros sensu decipi.

Esse ergo omnia visa vera *καὶ δῆλα καὶ ἐναργῆ*, id est, *& certa & perspicua*; opiniones sive sententias nostras, quæ ex evidentibus ipsis ortum habeant, sensusque statim consequantur, non omnes veras esse: sed alias veras, alias falsas. Solere enim nos aliquando sensui, qui nihil aliud, quam id, quod sentit, denuntiat, opinione & arbitrio nostro detrahere quid aut addere, ita ut decipiamur. Sunt igitur veræ sententiæ, quibus ipsa rei & sensus evidentia testimonium reddit, nec refragatur, id est, uti 2 Epicurus ipse aiebat, *ἂν ἐπιμαρτυρῆται ἢ μὴ ἀντιμαρτυρῆται ἀληθῆ εἶναι*. Falsæ autem, quæ evidentiæ testimonio non confirmantur, vel adversus quas evidentia testimonium dixerit, *ἐὰν δὲ μὴ ἐπιμαρτυρῆται ἢ ἀντιμαρτυρῆται ψευδῆ τυγχάνειν*. Exempli caussa: cernit quis procul hominem ad se venientem, & Socratem putat. Si is, postquam accesserit, Socrates ex evidentiæ testimonio esse comperiatur, ablato intervallo, quod impediebat, quo minus illius spectrum plane integrum exciperetur, opinio vera fuerat; sin contra, falsa. Quare ad opinionum explorationem & probationem exspectare jubent Epicuræi evidentiam: ut de turri procul visa nihil statuere, sed, uti dicebant *προσμεῖναι καὶ ἐγγὺς γενέσθαι τῷ πύργῳ, καὶ μαθεῖν ὁποῖος ἐγγὺς φαίνεται*. Id est: *Exspectare accedereque ad turrim, & cognoscere qualis ei, qui prope sit, appareat.* Hæc exspectatio, sive, exspectatione facta, exploratio peculiari vocabulo *τὸ προσμένον* Epicuræis dicebatur.

Pro-

1 Plutarchus *Sympos.* lib. 3. cap. 5 2 Apud Laertium.

1 *Prolepses* etiam perspicuæ & certæ sunt, nec de illis dubitari solet. Sunt enim prolepses sive notitiæ, anticipatæ quædam rerum notiones, quæ verbis significantur; & veluti veræ certæque de unaquaque re opiniones ac universales cognitiones mente repositæ, memoriæque rerum sensibus perceptarum. Sensuum enim comprehensio præcedit, ut puta rei visæ, ut hominis & equi & bovis aliquando conspectorum. Tum formæ ipsæ ac typi rerum apud mentem adnotati & conditi servantur, quos rebus dein in posterum visis accommodamus. Non enim de re, quæ apparet, quæreremus, equusne sit, an bos, nisi equi bovisque typum mente teneremus una cum vocibus, quibus hæc significantur. Principio enim res ipsa sensibus capitur, tum eius nomen ediscitur. Quod etiam evidens & extra controversiam est. Non enim controvertitur de bove viso, sitne ejus Latinum nomen *bos*. Videor hæc facile explicare, si dicam, Epicurum, dum sensus certos dicit, de re indicata, ac quasi de subiecto dubium non esse, dicere. Quum autem prolepses certas appellat, de prædicato etiam non dubitari, adfirmare, sed de opinione, id est, de connexo sive propositione. 2 Clemens Alexandrinus de Epicuro: Πρόληψιν δὲ ἀποδίδωσιν ἐπιβολὴν ἐπί τι ἐναργὲς, καὶ ἐπὶ τὴν ἐναργῆ τοῦ πράγματος ἐπίνοιαν: μὴ δύνασθαι δὲ μηδένα μήτε ζητῆσαι μήτε ἀπορῆσαι μήτε μὴν δόξασαι ἀλλ' οὐδ' ἔλεγξαι χωρὶς προλήψεως. Id est: *Prolepsin vero definit adnotationem sive animadversionem* [ad verbum adiectionem] *animi de evidenti aliquo, & de evidenti rei notione: non posse autem quemquam neque quærere, nec dubitare, nec opinare quidem, ac neque arguere, sive convincere sine prolepsi.*

Adfectiones autem [id est, τὰ πάθη] (namque & has criteria censeri ab Epicuro adnotabamus) duo ipsis sunt,

1 Laertius in *Epicuro*, & Sextus. 2 *Stromat.* lib. 1.

sunt, *voluptas* & *dolor*, quæ animantibus obveniant. Voluptas quidem uti naturæ accommodatum, dolor vero ut incommodum & a natura alienum. Horum igitur duorum ductu, quæ capere oporteat, & quæ declinare expediat, iudicare Epicurus iussit. Nam quæ voluptatem adferunt, eligenda, quæ dolorem, fugienda esse. Tria igitur hæc, sensus, prolepses & adfectiones perspicua esse aiebat, nec de illis dubitare oportere, sed ducibus uti ad ea, quæ perspicua non sint, pervestiganda: omnes enim, quæ in animo sint, opiniones atque sententias ex evidentia ortum habuisse. Sic ipsi Epicuræi ex motus evidentia comperire sibi videntur vacuum esse, quod evidens non est: si enim omnia corporibus plena essent, nullum corpus moveretur. Hæc de Epicuri iudicio. Verum accessio adhuc alia reliqua est. Scribit enim 1 Laertius, qui mihi haud antiquus scriptor videtur, non multo ante suam ætatem tempore exortam novam quamdam philosophorum sectam Potamone quodam Alexandrino auctore, quæ ἐκλεκτικη, id est, *selectrix*, fuerit nuncupata. Hic enim Potamo nullum se novum decretum statuere velle profitebatur, sed inter antiqua veterum philosophorum placita, quæ satis multa iam essent, optima quæque tenenda seligere. Hunc igitur in libro, cui ϛοιχείωσιν, id est, *elementarem traditionem*, nomen fecerit, scripsisse Laertius refert: criterium, quod iudicet, esse τὸ ἡγεμονικὸν, id est, *principem in animo partem.* Quo autem hoc in iudicando utatur, τὴν ἀκριβεϛάτην φαντασίαν, id est, *exactissimum & maxime examinatum visum.* Sunt ergo, ut videtur, philosophi dogmatici, non Sceptici. Selecta enim illa dogmata approbant, & comprehensa, non probabilia solum, putant. Differunt etiam ab Academicis, quod isti semel a Potamone selecta decreta tenuisse omnes videantur. Academici, qui-

1 Eclectici ad finem proœmii lib. 1.

quisque sibi eligebant aut inveniebant, quæ placerent, nec quæ Carneadi, omnibus deinceps probabilia videbantur.

Hæ fere sunt omnium post Socratem philosophorum de veritatis iudicio, quod unum ex duobus in philosophia maximus esse 1 Cicero scribit, sententiæ. Atque hæc nunc nos pro temporis angustia, librorumque, non quantam optaremus, copia præstare potuimus. Plura quidem daturi, si Sexti auctoritate uti plerumque non temperassemus. Quod minime factum oportuisset (is enim multus maximusque in hac quæstione est) si Græcum Sexti librum, quem nondum editum scimus, nacti essemus. Latinorum vero interpretum fidei non multum fidebamus, iis maxime in libris, qui adversus disciplinarum professores sunt: quum præcipue historia hæc magnam verborum Græcorum, quibus quæque scripta sunt, rationem esset habitura. Plurimum enim in huiusmodi hoc refert, quum quæque philosophorum secta propriis a se confictis verbis utatur. Ego quidem diligentiam meam desiderari nolim, quamquam illorum reprehensionem feram, qui multum me operæ studiique in exigui momenti rebus posuisse dicent. Sint sine illis hæc nullo in pretio, scimus quam non multis operam navemus ac probemus: iis volumus potius placere, quam plurimis. Verum itane parvi est, etiamsi quæstio resque ipsa vilipendenda iudicetur, antiquorum ac gravissimorum Ciceronis, Plutarchi, Galeni, D. Augustini, aliorúmque complurium libros quum legas, intelligere? At multa apud illos, nisi hæc de non percipiendo percipias, impercepta te fugiant necesse est, quæ si scire non magnum, at certe non ingratum. Quum præcipue nos, dum his vacaremus, nulli aut publico aut privato negotio defuerimus; iique simus, qui præ in-

1 In *Lucullo*.

ingenii nostri tenuitate, cuius conscii sumus, vel minimis his inepti nobis videamur, tantum abest, ut maiora docere alios aggrediamur.

Verum enimvero illud interim his admonemur, Græcos humanumque ingenium omne sapientiam quærere, sibique & aliis promittere, quam tamen nec invenire nec præstare umquam posse. Qui igitur vera sapientia indigere se mecum sentiet, postulet, non ab huiusmodi philosophia; sed a Deo, qui dat omnibus adfluenter, & non improperat. Quod siquis videtur sapiens: Abscondit enim Deus veram sapientiam a falsæ sapientiæ amatoribus, revelat vero parvulis. Ipsi soli sapienti per IESVM CHRISTVM gloria. Amen.

FINIS.

SYN-

SYNTRA
ALOISIAE SYGAEAE TOLETANAE,
ALIAQVE EIVSDEM AC NONNVLLORVM

PRAETEREA VIRORVM AD EAMDEM

EPIGRAMMATA:

QVIBVS ACCESIT

PAVLLI III. P. M.

EPISTOLA DE SINGVLARI EIVS DOCTRINA

AC INGENII PRAESTANTIA.

TVMVLVS EIVSDEM

AB ANDREA RESENDIO ET CLAVDIO MONSELLO

CONCINNATVS.

PARISIIS

EX TYPOGRAPHIA DIONYSII A PRATO VIA AMYGDALINA
AD VERITATIS INSIGNE. M. D. LXVI.

EDITIO II.

ILLVSTRISSIMO AC DOCTISSIMO VIRO

D. IOANNI NICOTIO

LIBELLORVM SVPPLICVM IN REGIA CHRISTIANISSIMI GALLORVM REGIS MAGISTRO, EIVSQVE APVD REGEM LVSITANIAE LEGATO,

IACOBVS SYGAEVS

S. P. D.

VEni ad te nudius tertius, extremum vale tibi dicturus, & in manum porrecturus ALOISIAE SYGAEAE meæ *Syntram*, aliaque eius *Epigrammata* nonnulla. Rogavi puerum, ut me adesse tibi significaret. Excusavit te ad regem Christianissimum litteras tabellario parantem. Sedeo. At tandem veritus, ne expeditissima negotia tua, quum tu me scires adesse, urgerem, abii: male equidem mihi ipsi comprecatus, quod a tantopere exoptato tuo complexu hora me importuna arcuisset. Nunc vero, ne navim iam iam conscendere paranti importunior etiam veniam, id hisce litteris absens ago, quod coram haud potui. En tibi ergo SYGAEAE nostræ animulæ libellum. Peto autem abs te, vir illustrissime, ut, quod mihi es pollicitus, navigationis & sentinæ tædia libelli lectione, si dignus videbitur, levare velis: mox vero, ubi salvus, ut spero & precor, in Galliam appuleris, excudendum cures. Vale felicissime. Dat. Olyssipone VI. Non. Octobr. anno salutis M. D. LXI.

IOANNES NICOTIVS

LIBELLORVM SVPPLICVM IN REG. MAG.

IACOBO SYGAEO TOLETANO

SAL.

ECcum tibi, mi Sygæe, ALOISIAE tuæ carmen: quo equidem ſum in ipſa navigatione adeo delectatus, ut tædii nauſeæque levationem eius Manibus, tibique debeam. Nunc ad te redit ornatum Cl. Monſelli peritiſſimi viri commendatione. Tu cura, ut infans MARIA, quid iudicii de eius alumna in Gallia factum fuerit, id vero intelligat. ALOISIA, Sygæe, ex te denuo naſcitur: immo vero prorſus numquam interiit. Vivet autem ſæculis innumerabilibus hoc pulcherrimarum artium, quas illa ſtudioſiſſime coluit, adiumento: ac tamquam fax nunc magis accenſa non Hiſpanas modo feminas, ſed ceteras quaſvis etiam incredibili litterarum amore inflammabit. Vale. Dat. Lutetiæ Pariſiorum Kal. Iunii. M. D. LXVI.

CLAV-

CLAVDII MONSELLI CASTROVILLANENSIS

AD IOANNEM NICOTIVM

LIBELLORVM SVPPLICVM IN REGIA MAGISTRVM,

ERVDITIONE AC VIRTVTE ORNATISSIMVM,

DE ALOISIAE SYGAEAE TOLETANAE

SYNTRA

EPIGRAMMA.

LVsitaniacæ perlegi comta LOISAE
  Carmina, mirandæ dexteritatis opus.
Quum legerem, mecum dicebam sæpe stupescens:
  Certe Calliopes ista camoena deæ est.
Femina num potuit nostris hæc pangere sæclis,
  Barbara Romano tam bene culta sono?
Forsitan hanc auris superis adflavit Apollo,
  Tecta micans *Syntræ* dum super alta cubat:
Atque ut Parnassi rupem celebraverat olim,
  Syntraeum sic vult nunc celebrare iugum.
Vin' me, splendide vir, quod sentio dicere? lumen
  A Phoebo veniens debet habere liber.

IN ALOISIAE SYGAEAE SYNTRAM

GEORGIVS COELIVS.

Felix, quæ medias licet edita *Syntra* sub auras
  Altius ingenio crevit ad astra tuo.
Illius excelsas miramur ad æthera rupes;
  Sed magis hæc numeris fulget in orbe tuis.
Naturam ingenti cumulasti munere laudum
  SYGAEA: ambiguum est, gloria maior utri.
Illa potens rerum scopulos eduxit Olympo:
  Tu celebrem late cuncta per ora facis.
Græcia mellifluam mirari desine Sappho,
  Et Lusitanam suscipe Calliopen.

GASPAR BARRERIVS

IN EAMDEM.

Syntraeos quicumque cupis invisere colles,
  Muscosos fontes, umbriferumque nemus:
Et varios cantus volucrum, vernantia prata,
  Lustra, lacus, rupes, flumina & Oceanum.
Ardua nil opus est superare cacumina montis,
  Quamvis Hesperidum sis habiturus opes.
Carmina facundæ hæc tantum divina LOISAE
  Iam lege: nihil superest amplius ut cupias.

D. LOISIAE SYGAEAE

TOLETANAE

SYNTRA.

EST locus, occiduas ubi sol æstivus ad oras
  Inclinat radios, nocte premente diem:
Oceanumque petit, curruque invectus eburno,
  Iam cursu lassos æquore tingit equos.
Vallis ubi inclusa, scopulis ad sidera ductis,
  Deflectit clivos: murmurat intus aqua.
Obiicit Oceano molem, ternæque minantur
  Excelsæ rupes tangere tecta poli.
Et nisi condensi cingant fastigia nimbi,
  His cælum credas sistere verticibus.
Rupibus his Fauni, sunt hic quoque lustra ferarum,
  Venator matres figat ubi & catulos.
Inferne viridi densantur robora fronde:
  Silvano & Satyris efficit umbra domos.
Populus hic, corylique decus, fagusque pirusque,
  Et cerasus, prunus, castaneæque nuces,
Et plantæ innumeræ mortalibus esca beatis,
  Quæ sunt divorum munera cælicolum.
Flava Ceres dextra mortales vertere terram,
  Et serere, & messes condere, sponte docet.
Pan læva, Arctoum mundus qua surgit ad axem,
  Pascere dat passim gramina læta gregi.
Citrea mala rubent, vallis qua tendit ad imum,
  Qualia fert rutilans hortulus Hesperidum:
Et lauri frondes, victorum præmia quondam,
  Quæque poetarum texere serta solent:
Et myrtus Veneri sacra crispatur in umbra:
  Cuncta placent fructu, floribus ac redolent.

Hic philomela canit, turtur gemit atque columba:
Nidificant volucres, quotquot ad astra volant.
Silvâ avium cantu resonat, florentia subtus
Prata rosas pariunt, liliaque & violas,
Fragrantemque thymon, mentam, roremque marinum,
Narcyssum & neptam, basylicumque sacrum:
Atque alios flores, ramos herbasque virentes,
Terra creat pinguis vallibus ac nemore:
Queis passim Dryades capiti cinxere corollas,
Et Fauni & Nymphæ cornigerique dei.
Ast ubi præcipitans leni fluit unda susurro
Per vallem umbrosam rupibus aeriis:
Stagna replet, pulchræ mersant ubi corpora Nymphæ,
Aurora aut splendet, seu tegit umbra polum.
Regia celsa lacu supereminet, unde comantem
Prospectat silvam candida virginitas.
Hinc ego prospiciens, oculis dum singula lustro,
Naturæ admirans munera, delitias,
Liquerat Auroram Cephalus, vultuque rubenti
Illa aperit terras, pandit & illa polum:
Emersit stagnis subito pulcherrima Nympha
Tunc forma referens, corpore, voce deam.
Suspicit, adloquiturque ultro me hac voce sedentem
Vocibus his: Salve grata puella deis.
Quid tecum, SYGAEA, putas? Tu principis almæ
Arcibus his spectans noscere fata cupis?
Tunc ego: Si superi firmarent numine quantum
Exoptem, dominam tollere ad astra velim.
O quæ cæsarie, vultuque, oculisque, sinuque,
Et certe incessu diva videre mihi!
Nympha loci custos, vitreo quæ gurgite lymphas
Concipis, & divum pandere fata potes:
Tu mihi fatorum seriem, quæ regia virgo
Regna manet, resera, quosve manet thalamos.
Illa libens roseo (dum sic loquor) intonat ore:

Quod,

Quod, virgo, rogitas, accipe, nec dubita.
Neptunus genitor nuper me ad summa tonantis
Atria perduxit concelebrata deis.
Constiterant cuncti vescentes nectare, nec non
Ambrosia: at postquam mensa remota fuit,
Digna petunt divi regali in principe dona,
Imperio ut superet, quas superat meritis.
Docta Minerva aderat, cantusque inventor Apollo,
Nec non Calliope, pignora cara Iovis.
Quos coluit virgo, quorumque exercuit artes,
Illi gratantes munera pulchra petunt.
Iuppiter adridens vultu, quo sidera lustrat,
Respondet divis, qui petiere simul:
Gaudete, o superi: perstare immota potentis
Principis augustæ maxima fata volo.
Nec, licet adspiciat quasdam nunc carpere regna,
Desperet: capient mox sua fata locum.
Non nisi per magnos vincuntur magna labores:
Nec tulit ignavos regia celsa deos.
Quosque aliæ sponsos captent, visuntur ubique:
Quem sibi fata parant, non nisi summa tenet.
Hæc reget imperium felix, quum nupserit, orbis:
Pacatus dominæ cedet uterque polus.
Vade ergo, & timidæ referas, quæ diximus, ore
Fatidico, ut lætos exigat illa dies.
Nec sis sollicita, aut metuas prædicere fata:
Succedent votis ordine cuncta tuis.
Augurii, repeto, tempus mihi, Nympha, recense.
Recte, inquit, rogitas: tempora nosse opus est.
Nam pater omnipotens, epulis de more solutis,
Fatorum superis tempora certa dedit.
Ante polum quam sol circum volvatur utrumque,
Sæpius a cancro versus ad Aegoceron,
Quæ cecini, venient: voti rea maxima princeps
Ante aram supplex tunc pia thura feret.

Dixerat, & liquidas reſilit dea rurſus in undas,
Præcipiti & ſaltu gurgite merſa latet.
Aſt ego, quæ infantis cauſſa dubitare ſolebam
Antea, tunc rediens omine certa fui.
Mercurium, credo, Nymphæ ſub imagine Olympo
Demiſſum, ut dominæ ſic mihi fata canat.
Nunc ſupplex tendo iunctas ad ſidera palmas
Pro tali augurio; nec mihi caſſa fides.
Hæc ego quum cernam compleri in principe vates,
Spero cælicolas inter habere locum.

LOISIAE SYGAEAE

EPIGRAMMA

IN HIERONYMI BRITONII

ELEGIAM DE MORTE AVGVSTAE.

DVM caſum Auguſtæ defles, dum funera narras,
Britoni, & dominam carmine ad aſtra refers,
Luſitanorum celebras & ſtemmata regum,
E quorum antiquo ſanguine nata micat.
Efficis, æternum ut vivat tam clara propago,
Reddita nunc longe clarior arte tua.
An non ſat fuerat Phoebeo numine vatem
Scribere Martigenæ Punica facta viri?
Quin facis Auguſtam plectro conſcendere Olympum,
Gloria non diſpar cuius in orbe manet.

EIVS-

EIVSDEM

AD EVMDEM BRITONIVM

DE EADEM ELEGIA.

INter cælicolas miris iam terra polusque
Augustam signis versari ostenderat olim.
Nam sol auricomus tetrum vestire colorem
Coeperat, & terris lumen perdulce negabat.
Tum sparsa in crines, mundoque invisa repente
Adfulsit cælo minitantis stella comoetæ.
Cynthia, quæ noctis per amica silentia fulget,
Quadruplici radio Christi vexilla figurat,
Qua luce ad superos migravit Cæsaris uxor.
At tua Musa potest, quæ toto personat orbe,
BRITONI, Augustam numeris extollere ad astra:
Et superis faciet divis & Cæsare dignam.

IN AQVILAM, CVI TORQVEM AVREVM

MARIA INFANS PARABAT

LOISIAE SYGAEAE

EPIGRAMMA.

DEsine, diva, precor, mirari desine: quid me
Cælitus huc missam mæsta redire vetas?
Quid volucri tentas innectere vincula collo?
In plumis aquilæ forsan olor venio.

DILECTAE IN CHRISTO FILIAE
ALOISIAE SYGAEAE
MVLIERI TOLETANAE
PAVLLVS PP. III.

DIlecta in Christo filia, salutem. Delectati valde sumus in domino ex tuis litteris, quas ad nos Latine, Græce, Hebraice, Syriace atque Arabice scriptas dedisti: quumque admirati fuimus tam multiplicem ingenii fructum in femina, cui præsertim honestas & pii mores, sicut relatum nobis est, accedant, tum Deo omnipotenti gratias egimus, qui tale donum multiplicis linguarum scientiæ, in viris quoque rarum, nedum in feminis, tibi concesserit. Ei tu quoque debes iugiter gratias agere, ornareque eius donum honestate, pietate, & aliis virtutibus, ut facis. Nos quidem, si qua in re acciderit, libenter ob Deum & virtutes tuas votis tuis honestis gratificabimur. Datum Romæ die VI. Ianuarii M. D. XLVII. Pont. nostri anno XIII.

LVDOVICAE SYGAEAE
TVMVLVS
L. ANDREA RESENDIO AVCTORE.

OCcubuit SYGAEA decus telluris Iberæ,
Ac ævi ac sexus gloria prima sui.
Mæretis caramque deæ lugetis alumnam,
Vestraque iustitio squallida templa silent?
An mage SYGAEAM, Musæ, gaudetis ademtam,
Quod par ter ternis una deabus erat?
Mæretis certe: nam nec bona numina livent,
Muneribusque suis, siqua dedere, favent.
Ergo agite, occlusum quamvis, mihi pandite montem:
Non per ego illicitum tendo profanus iter.
Nam licet a vobis retrahat me iniuria fati,
Vester, ut ante fui, sum modo; vester ero.
Audivere novem faciles mea vota Camoenæ,
Et secreta iugi sunt patefacta sacri.
Imparibus mihi visa modis fas esto referre,
Quique habitus meritæ, funeris instar, honos.
Iuxta Hippocrenen viridi de cespite factus,
Et pulla tumulus veste adopertus erat.
Circum aderant Musæ: quarum quæ maxima, luctus
Præfica, sic orsa est, subcinuitque chorus:
CALLIO. Plangite SYGAEAM, quantum fas plangere divas,
Et date funereum carmen ad exsequias.
MVSAE. Qua fas iusque tenus, SYGAEAM plangimus omnes,
Funereumque damus carmen ad exsequias.
CALLIO. Nulla fuit nostris instructior artibus umquam,
Linguarumque fuit nulla perita magis.

Seu

Seu fando ad veteres se componebat Athenas,
Currebat passu cum Xenophonte pari.
Seu moderabatur Latia gravitate loquelam,
Mirari Arpinas quam potuisset, erat.
Seu Solymos ritus & scrinia sancta petisset,
Scriptaque veridicis Mosis originibus:
Non heros potuit facundius ille, reducti
Qui populi ductor de Babylone fuit.
Sive ad Chaldeos converterat ora sophistas,
Sive Arabum admorat ad monimenta manus:
Quum nihil hæc lingua titubante rotaret, haberi
Alterutris meruit iure diserta suo.
Quid quod, & Etrusce voluit si dicere, Dantis
Scripta videbantur Tusca fuisse minus?
Galla putabatur, presso quum coeperat ore
Gallica nativo frangere verba sono.
Risi ego tam multis variantem os molle figuris,
Et, quid non, dixi, nostra puella potest?
Hanc ego suscepi a terra mihi rite dicatam,
Susceptæ adflastis numine quæque suo.
Hanc, Lusitana quum iam mihi cresceret aula,
Ablueram nostra (vos meministis) aqua.
Huic ego, Lunai quum montis Oreades inter
Virgo iret, carmen compositura novum:
Ira gravata comas non sum, iuvique subinde
Conantem facili texere verba pede.
Syntria testis erit, SYGAEAE carmine longe,
Quam tot regum opera, nobilitata magis.
Et nisi virgineum thalamis violasset honorem,
Hac ultra noster cresceret ordo novem.

MVSAE. Talis erat, qualis per sæcula quinque decemque
Non tetigit lucos erudienda sacros.
Virgineumque licet thalamis violarit honorem,
Noster ea poterit grex superare novem.

CALLIO. Ecquam doctrinæ, nobis fautricibus, ergo
Re-

Reginæ plures expetiere ſibi?
Ecqua autem Mariæ divino principis ortu
Aptius a ſtudiis danda miniſtra fuit?
Eccuius nomen, quacumque ætate, puellæ
Plus doctorum hominum docta per oratulit?
Quamque ea pontificem permorit fama ſupremum,
Littera pontificis laude referta docet.
Quod niſi virgineum thalamis violaſſet honorem,
Nuptum Dulichia tam procul urbe data,
Vnam plus Helicon dominam gauderet adeptus,
Vnaque plus fontem hunc participaret hera.
MVSAE. Scimus, & ingenio plus nulli indulſimus umquam,
Nec plus inſtitimus numine quæque ſuo.
Et quum Dulichia nuptum procul iret ab urbe,
Non illam auſpicio vidimus ire bono.
Nec quia virgineam zonam diſcinxerit Hymen,
Sitque Dioneo vincta marita iugo:
Ideirco illam Helicon dedignaretur adeptus,
Aut decimam fons hic participatus heram.
CALLIO. Plangite Naiades SYGABAE fata Taganæ,
Vicinæque Tago Dorides aurifluo.
Plangite: vadentem veſtri per terga profundi
Agmine cinxiſtis, veſtrum erat illa decus.
MVSAE. Nec dubium Tagides quin plangant funera Nymphæ,
Nataque formoſa Doride turba frequens.
CALLIO. Nectite flexibileis hedera vivace corollas;
Spargite Pæſtanas terque quaterque roſas.
MVSAE. Quin & flexibileis ramos nectemus Iaſmes,
Sertaque Leucoiis lilia purpureis.
CALLIO. Audiat hæc noſter quoque LVCIVS ipſe, puellam
Qui coluit, ſancta cultus amicitia.
Perferat & mæſto noſtra hæc mandata parenti:
Par-

Parce umbram lacrimis sollicitare piam.
Illustreis inter censebitur heroinas,
Quas merito ingenii fama sacravit anus.
Quin age, de gnata neptem mihi dede minore,
Cui sacer a cunis imbuat ora liquor.
Quæ, qua præluxit matertera docta, sequatur;
SYGAEAE nobis impleat illa vicem.

POETA. Concussus tonuit læto mons omine, læto
Omine frondiferum mugiit omne nemus.
Largius & fontes exundavere vagati,
Et Lamus ab summo culmine crevit aquis.
Post quæ delituit subito turma illa dearum,
Sublata ex oculis nube cadente meis.

ALOISIAE SYGAEAE

EPITAPHIVM

EODEM AVCTORE.

HIC. SITA. SYGAEA. EST. SATIS. HOC. QVI. CETERA. NESCIT.
BARBARVS. EST. ARTEIS. NEC. COLIT. ILLE. BONAS.

CL. MONSELLI CASTROVILLANENSIS

IN MORTEM ALOISIAE SYGAEAE TOLETANAE

EPIGRAMMA.

FErrea crudelis superavit vincula Parcæ,
Quum cecinit dium dia LOISA melos.
Hanc non exstinguent torpentis flumina Lethes,
Quam sic illustrat Cynthius arte sua.

APO-

APOLOGIA
ARISTOTELIS
ADVERSVS EOS,
QVI AIVNT SENSISSE ANIMAM
CVM CORPORE EXSTINGVI.

QVO LOCO OBITER ETIAM INDICATVR DE PROVIDENTIA DEI, DE NATVRA ATQVE NVMERO DEORVM, DE EO, QVOD EST IN NOBIS, POSTREMO DE SVMMO HOMINIS BONO CONSENTANEAM RATIONI ET CHRISTIANAE PHILOSOPHIAE SENTENTIAM ARISTOTELEM HABVISSE.

AD CAROLVM HISPANIARVM PRINCIPEM.

AVCTORE

GASPARO CARDILLO VILLALPANDEO

DOCTORE THEOLOGO, ELOQVENTIAE ET PHILOSOPHIAE COMPLVTI PROFESSORE, ET COLLEGA IN CONTVBERNIO DIVO ILLEPHONSO NVNCVPATO.

COMPLVTI

EX OFFICINA IOANNES BRITONII. M. D. LX.

EDITIO II.

AD CAROLVM HISPANIARVM PRINCIPEM

GASPARIS CARDILLI VILLALPANDAEI

DOCTORIS THEOLOGI, ELOQVENTIAE ET PHILOSOPHIAE COMPLVTI PROFESSORIS, ATQVE IBIDEM COLLEGAE D. ILLEPHONSI

IN APOLOGIAM ARISTOTELIS DE ANIMOR. IMMORTALITATE

PRAEFATIO.

Regni cura, & rempub. administrandi ratio, PRINCEPS SERENISSIME, quemadmodum per se ipsam satis clara atque honorifica est, ita quoque magni laboris atque difficultatis est plena. Neque enim est quispiam tam stupidus atque ignarus rerum, qui non videat, magno atque excelso animo, admirabili prudentia, usuque multarum rerum præditum esse oportere, qui mores hominum, quos regnum idem intra se continet, tam varios, quam sit ipsa natura, ad observationem legum, & vitæ mediocritatem velit revocare. Neque immerito, mea quidem sententia, ab antiquis hominibus, qui rem istam probe callebant, qui primi aut feros populos legibus devinxerunt, aut constrictos iam olim retinuerunt in officio virtutis, deorum loco habiti sunt, & pari cum illis honore celebrati, quod intelligerent sane, ad præstandum, quæ optimum principem decent, non tantum humana, sed etiam divina vi atque facultate opus esse. Ac licet nullus fere usquam exstiterit, qui oblatos id genus honores recusarit, quod blanda in primis impe-

perandi libido mentis oculos perstringere, atque animum soleat offascinare; non pauci profecto memorantur ex iis, qui simul cum ipso regno regni fastidia degustarint, qui gravissimam istam imperii molem procul a suis humeris excutere maluerunt, & privati in otio versari, quam tot molestis curis & sollicitudinibus cruciari atque misere confici. Huius rei si nullum aliud nobis exemplum superesset, unus ætate nostra clarissimus atque admirabilis avus tuus CAROLVS V. rex noster atque orbis Imperator ad fidem faciendam satis esse posset, qui summa cum sua laude atque omnium admiratione de hostibus tum regni, tum etiam religionis Christianæ, quam semper coniunctissimam sibi, ut par est, habuit, victoria reportata, potentissimis regibus subactis, multis populis superatis ac domitis, paternoque regno adiectis, vita denique præclarissime atque innocentissime acta, sceptrum PHILIPPO filio, christianissimo regi nostro, parentique tuo, tamquam lampada tradidit, atque intra cœnobii Hieronymiani angustos parietes procul ab omni vitæ negotio reliquum vitæ tempus religiosissime atque sanctissime transegit. Is igitur sapientissimus atque optimus avus tuus, PRINCEPS clarissime, abiecto imperio, quod annos plurimos insigniter rexerat, plane nos docuit suo exemplo, laboriosum admodum esse & sollicitudinum atque curarum plenum imperandi munus: quemadmodum, quum imperium teneret, rebus tam præclare gestis, ut eisdem latissimam sibi ad immortalitatem atque æternam gloriam viam patefecerit, orbi terrarum luce clarius ostendit, nihil optimo principe melius excellentiusve a Deo O. M. mortalibus in terris concedi posse. Cuius exemplum in instituenda vitæ ratione moderationeque regni PHILIPPVS noster felicissime imita-
ta-

tus tantum profecit, ut brevi gloria rerum domi atque militiæ gestarum immortalis atque divinus evaserit. Quorum si tu, PRINCEPS clarissime, expressam propriis virtutibus imaginem animo contemplari velis, atque exprimere agendo, numquam te suscepti imperii pœnitebit. Quod vtinam senex regas cum PHILIPPO seniore. Illi enim te, si animum intendas, magno compendio docere poterunt, quibus artibus immortale nomen atque æterna gloria debeant imperando comparari, qui dies noctesque in ea una re gloriosissime desudarunt, neque ullam umquam occasionem prætermiserunt, quæ gloriæ atque honoris accessionem aliquam posset adferre. Igitur si ad paternam gloriam adspiras, CAROLE magne, quæ te beatum in terris & cœlo dignum efficiat, statue in primis apud animum tuum diligenter enitendum tibi esse, ut hac ætate tenera, & quæ tractari atque fingi facile possit, rectas habeas de rebus opiniones. Illæ enim te, ubi cum ætate adoleverint, ad beatam vitam perducent. Recte autem de rebus sentimus, quum rem unamquamque talem esse putamus, qualis ipsa est: quod est sane sapientis munus atque officium, siquidem illa vera sapientia est, de rebus incorrupte iudicare: ut non sine magna ratione divinus ille Plato in ea re summum studium collocandum putarit. Huiusmodi vero incorruptum de rebus iudicium nulla re melius, quam recta atque prudenti educatione, comparatur: bonorum autem virorum consuetudine familiaritateque confirmatur. Quam rem quum PHILIPPVS rex noster admodum acute, ut cetera, cerneret, & prudenter consideraret, curavit, ut prima tua educatio atque institutio illis viris committeretur; quibus ad eam rem tua Hispania doctiorem, prudentiorem, aut magis idoneum habet neminem.

Vt enim pædagogum sileam, virum nobilissimum, & magna in rebus gerendis dexteritate atque consilio præstantem, de quo satius esse puto silere, quam pauca dicere: profecto litterarius institutor morumque tuorum formator HONORATVS IOANNIVS quum ad generis antiquam nobilitatem exactam linguarum peritiam, disciplinarumque cognitionem attulerit, atque insuper longo usu rerum summam prudentiam comparaverit, omnium consensu dignissimus habitus est, qui teneram istam tanti principis ætatem litteris, optimisque consiliis atque admonitionibus informaret. Quem multo ante LVDOVICVS VIVES, vir summo iudicio (vide quantum animorum præsagia valeant) in scriptis suis ad maxima quæque divino consilio natum esse prædixerat. Vtrumque igitur institutorem tuum patienter ausculta; & utriusque præclaras admonitiones atque consilia alta mente repone: ne dubita, facile quidem clarissimus atque maximus evades. Avi præterea atque parentis tui excellentissimorum principum exemplo da operam, ut cognitos habeas atque perspectos, & regia foveas benignitate, quicumque in amplissimis tuis regnis religione, probitate, prudentia, consilio, peritia rei militaris, scientia gubernandi, aut denique bonis quibusque artibus valent plurimum. Hi enim, quum res postulaverit, magnis negotiis tuto admovebuntur: hi magnarum copiarum instar hostibus tuis terrori erunt: hi regni splendorem & maiestatem rebus maximis præfecti amplificabunt. Denique raras istas divitias opulentissimi quique reges magna ratione tibi invidebunt. Horum similes facile invenias in tuis regnis, in quibus divino beneficio ad omnes bonas artes multi maxime idonei quotidie nascuntur: præsertim si te senserint similibus delectari, eisdemque bene velle atque fa-

ce-

cere. Litteras deinde, quantum possis, amplectere atque cole: illæ tibi procul ab omni suspitione adsentandi præcepta instillabunt, quæ & virum bonum & optimum principem efficiant. Raro enim fit, ut maximi reges, potentissimique principes inveniant, qui libere moneant: libri vero libere te, quæ optima sunt & vitæ tuæ convenientissima, nulla tardati verecundia docere poterunt. Præsertim historia, quæ vitæ magistra est, atque in utramque partem exemplis refertissima. Vt interim taceam, voluptate, quæ ex contemplatione variarum rerum capitur atque scientia, ad quam homines natura propensi sumus, mirabiliter lectionis tædium compensari. Romani Imperatores, uti scis, multi olim fuerunt: verum qui magnarum excellentissimarumque rerum gloria claruerit, neminem scimus vixisse, nisi qui strenue litteras coluerit. Qui vero flagitiose perditeque vixerunt, sæpenumero in meliorem frugem ex vitæ turpitudine revocati sunt bonarum litterarum beneficio, quas ab ineunte ætate fuerant persequuti. Scio ego, negotiorum pondere reges interdum usque adeo occupari, atque opprimi, ut ex gravissimis occupationibus vix exiguum tempus illis reliquum sit, quod studio litterarum possint impendere. Atque ob eam rem suscepto iam imperio moderationeque regni, nollem tam multus libris princeps hæreret, ut officium regis desereret, cuius exactissimam rationem Deo O. M. cuius in terris imaginem gerit, redditurus est. Sed litteras discat, quum ætas permittit, & quum regni cura principem nondum occupatum atque districtum tenet, quibus animum relaxet, & pondere levet, quum ex gravioribus negotiis tempus suppetat, & honesta capta oblectatione ad negotia vegetior redire possit. Habes potentissimorum princi-

pum

pum atque Imperatorum aperta exempla. Ex Romanis quidem AVGVSTVM IVLIVMque: ex nostris vero ILLEPHONSVM regem, qui sapientis appellationem meruit, atque insuper IACOBVM I. Valentiæ regem, qui inter regni sollicitudines bellorumque tumultus libros sæpenumero fidelissimos regum amicos salutaverunt, & earum rerum, quas gloriosissime, gesserant, a se conscriptos nobis commentarios reliquerunt. Quod si te magnarum rerum usque adeo cura sollicitat, ut neque libros evolvere, neque invisere sapientium virorum scripta liceat, habeto domi viros doctos & multarum rerum peritos, cum quibus, ubi velis, possis litteratos sermones de regis officio atque armis conferre, qui librorum præstantissimorum loco erunt, & suis colloquiis instructiorem te ad res quasque gerendas dimittent, & oratione sua tædium omne molestioribus occupationibus contractum levabunt, magnaque te suis dictis factisque voluptate atque animi iucunditate perfundent. Neque enim est quispiam, qui aut acutius, aut argutius, aut lepide magis familiares sermones habere possit, quam qui multarum rerum notitia sit instructus. Habes id genus multos, ut dixi, in tuis regnis, quorum obsequiis uti possis, domi vero tuæ inter ceteros HONORATVM IOANNIVM præceptorem tuum, virum tam consummati iudicii, & prudentiæ plane perfectæ, ut multorum instar unus esse possit. Hunc colunt venerantúrque, qui bonarum litterarum studio flagrant, tum propter raras insignesque virtutes, quibus natura atque industria præditus est, tum etiam propter personam eam, quam sustinet domi tuæ. Is animum multis facit ad strenue persequendum studia: is multos incendit atque inflammat, ut litteris mandent cogitationes suas. Is etiam mihi cal-

calcaria addidit, ut defensionem ARISTOTELIS de animorum immortalitate invulgarem, atque illam tibi, PRINCEPS clarissime, consecrarem. Quam disputationem qui legerit, non iucundam modo, sed praeterea utilem admodum ac necessariam putabit ad curandam multorum insaniam, qui, uti audio, sibi persuaserunt, nihil hominis a morte superesse, quod existiment, eam sententiam ARISTOTELI summo philosopho placuisse: quem maiore fortasse, quam par est, veneratione plerique sunt prosequuti. Patere igitur, PRINCEPS clarissime, *Apologiam* hanc de animorum immortalitate tuo nomine in lucem prodire. Quam si tu simul cum auctore benigne susceperis, atque foveris, utrumque immortalem reddes, atque insuper me multo paratiorem ad iuvandum communia studia, in quibus hactenus magnis conatibus aetatem contrivi vitamque exhausi. Vale.

APPROBATIO.

Viderunt & probaverunt (*hanc apologiam*) graviſſimi ſimul & ſapientiſſimi doctores, CYPRIANVS ſanctarum ſcripturarum profeſſor, & SERRANVS moralis philoſophiæ, ex permiſſione eximii doctoris BALBOA vicarii Complutenſis.

APOLOGIA

ARISTOTELIS

ADVERSVS EOS,

QVI AIVNT SENSISSE ANIMAM

CVM CORPORE EXSTINGVI.

PRincipio, quando de animorum immortalitate scripturus sum, omnibus cuperem persuasum esse, non ea me caussa laborem hunc suscepisse, quod existimarem, animam, quam sanctarum scripturarum multa variaque testimonia immortalem faciunt, funditus aboleri cum corpore, quam non solum unam esse dumtaxat in singulis hominibus canone XI. concilii generalis VIII. definitum est, sed etiam corporis formam esse naturalis vocati, quod vitam habet potentia, in concilio Viennensi, quod est sub Clemente V. confectum: neque quod id velim hominibus meis, hoc est, Christianis persuadere. Etenim non ignoro, quædam nefas esse in dubium revocare, quorum illud, ut vir eruditissimus [1] Erasmus admonuit, unum est, utrum excessu vitæ sic deleatur homo, ut prorsus intereat, an potius corpore abolito vivat superstes, atque aura fruatur. Vt enim cetera commoda, quæ sunt illa quidem multa, silentio præteream, quibus nos Christi adficit fides: magnum profecto atque ingens haberi debet, multa, quæ superioribus temporibus præstantissimi quique philosophi aut adsequi non potuerunt laborando, aut

[1] Cap. 7. adnotat. in priorem epist. ad Corinth.

non sine gravi errore sunt consequuti, suscepta tantum fide, ea nobis firmitate atque constantia præstari, ut nullis, etiam excogitatis arte, argumentis subverti aut labefactari queant. Atque ut ab ultimis, quod aiunt, temporibus exempla repetam, quis, quæso, in tanta antiquitate fuit aut exercitatione, aut naturæ large fluentis benignitate tam florens præstansque ingenii atque animi dotibus, qui de universitatis origine & mundi primordiis interrogatus non protinus tamquam ex tripode pronuntiarit, nusquam coepisse: aut, si quando ortum habuisse fateri velit, non his ambagibus, verborum involucris, atque, ut in summa dicam, ænigmatibus ipsam veritatem occultarit, ut ad eam percipiendam neque Theseus, neque Oedipus sint satis?

Iam vero, ut hæc quoque commemorem, de providentia Dei, de natura deorum atque numero, de eo, quod est in nobis, postremo de animæ conditione, tam parce, tam obscure, usque adeo pugnantia secum atque cum aliis philosophi protulerunt, ut lector paullo cordatior atque eruditior eorumdem scripta ingressus optimo iure possit dicere, intemperanter abusos fuisse & otio & litteris. Quod si felicissimis his temporibus, quibus nostris mentibus adfulsit Deus, aniculam quantumvis rudem, quantumvis rerum omnium ignaram, modo mentis atque iudicii sit compos, in medium sistas, & de his roges, quorum vix umbram adsequi potuerunt præclara summorum philosophorum ingenia, Deus bone! tam obstinate premet animo, & sine ulla trepidatione fatebitur, modo Deum excipias, coepisse omnia: ad hæc, summam curam atque rationem in res mortalium conferre Deum, qui quum sit earum omnium princeps atque auctor, est quidem natura unus atque substantia, multiplex vero personarum distinctione: demum mortem non esse interitum omnia tollentem, sed quamdam quasi migrationem commutationemque vitæ, quæ

in

in claris hominibus dux in cælum esse soleat: in ceteris vero, ut Ciceronis verbis utar, humi retineatur, sed quæ permaneat tamen, ut nihil firmius, aut constantius, nihil, quod vehementiori adseveratione defendi queat, esse videatur: tanta est tamque incredibilis vis atque momentum divinæ fidei. Quam ob rem nemo me putet in disputationem vocare, sitne nobis anima immortalis, neque rursum, utrum hoc ipsum sumtis a natura argumentis definiri possit atque constitui. Nam præterquam quod labor esset supervacaneus, quum in eo argumento divina ingeniorum vis magna etiam cum laude olim periclitata sit (nullus enim est, ut opinor, tam frequens in philosophia locus, nullus, quem plures & præstantiores auctores etiam ex Christianis libentius, ut apparet, aut maiori diligentia studioque versarint) concilium 1 Lateranense prohibet, immortalitatem animæ in quæstionem vocare. Cuius decretum, quoniam ad hanc rem non leve emolumentum adferre videtur, placet scrupulose referre: „Quum diebus nostris nonnulli ausi sint dicere de natura animæ rationalis, quod mortalis sit, & una in cunctis hominibus, & aliqui temere philosophantes saltim secundum philosophiam verum esse adseverant, sacro approbante concilio damnamus & reprobamus omnes adserentes animam intellectivam mortalem esse, aut unam in cunctis hominibus, aut hæc in dubium vertentes.“ Hactenus concilium. Quod quidem cogitans & diligenter volvens animo, vehementer mirari soleo recentiorum quorumdam scriptorum negligentiam, vel potius dicam temeritatem, qui post tam illustre concilii testimonium & maxime ratam sententiam, non sunt veriti de animæ conditione atque immortalitate quærere, & de ea ipsa re magna volumina edere.

Nos-

1 Ses. 8.

Nos vero quum ecclesiæ auctoritate neque carius quidpiam, neque coniunctius habeamus, dumtaxat in eam rem studiose operam damus, ut contra stultam perversamque quorumdam opinionem ratione constituamus; Aristotelem philosophorum omnium proculdubio principem plane atque aperte monimentis suarum litterarum testatum reliquisse, animos hominum manere post mortem. In quo quidem argumento non ea solum gratia versari est animus, ut optimo omnium philosophorum ac de litteris omnibus benemerito gratum faciam, &, si possim, efficiam, ut eidem ille reddatur honor, quo perdita quædam ingenia & monstro similia superiori ætate eum spoliarunt, & nunc quoque in eam sedulo incumbunt, dum falsa multa atque eadem absurda non in colloquiis modo, sed in gymnasiis quoque, & pro concione de eodem iactant; sed ut ad eius quoque studium vehementius atque acrius animos adolescentium incendam, doceamque simul, Aristotelem posteris tradidisse, quod fide tantum constare multi falso crediderunt. Vt tamen compendio dicam, quod sentio, illud me in primis in hunc laborem detrusit nihil simile cogitantem, quod viderem multos, qui non parum apud vulgus, multorum capitum belluam, auctoritate atque sententia valent, præter ius & æquum multa in principe philosophorum reprehendere, ut quod de immortalitate animæ, de rerum humanarum cura, de natura deorum atque numero, de eo, quod in nostra potestate situm est, atque summo hominis bono perperam senserit, hoc tantum nomine, ut postquam his pestiferis letalibusque venenis Aristotelis scripta infecerint atque corruperint, si possint, efficiant, ut insignes summi philosophi labores passim ita contemnantur & habeantur ludibrio, ut sit nullus, qui velit eidem manus admoliri; aut ulla in eo facere operæ pretia, qui doctorum intelligentium testimonio dignus est vere atque

que sincere philosophantium ingeniis, studio & diligentia: ut si casu aliquo id consequi contingat, soli citra æmulum voluptentur, atque ab omnibus similibus sui magno in pretio habeantur.

Verum, nisi me fallit animus, non solum (quod illi vehementer optabant) falsam sententiam persuadere vulgo non potuerunt, sed, quod minime omnium vellent, ea ratione cum doctissimo quoque effectum est, ut summam alioqui diligentiam atque studium in Aristotelis scripta conferret, errorum scilicet pernoscendorum gratia. Vnde absque magno quidem negotio consequutum est, ut quæ vanis olim & ludicris rebus inculta, barbara, sordida ingenia multis imposuerant, passim innotescerent, & Aristotelis, si quam horum caussa contraxerat, ablueretur infamia. Quis est enim, qui animam una cum corpore deleri funditus velit, nisi qui sibi usque adeo est conscius, & flagitiis pravisque facinoribus sic animum corrupit, ut malorum futurorum metu, &, quæ non longe imminere atque instare sibi videantur, optet, si possit, aut natus non fuisse, aut nihil quidquam sui a morte superesse? Ab hac autem suspitione magnum Aristotelem abesse procul, compertius est his, qui paullum aliquid per eius scripta sunt progressi, quam ut ullis externis testibus indigeat: virum quidem, etiam inimicorum suorum testimonio, longe omnium suæ ætatis optimum, & moribus probatissimum, & quem Eusebius Cæsariensis vitæ integritate insignis, & in omni genere disciplinarum summus, in eo volumine, quod adversus philosophos scripsit, hac in parte maxime laudat. Vt taceam, integros atque incorruptos eius mores ex tot regum & principum virorum erga ipsum benevolentia facile existimari posse. Nam nisi fuisset in eo singularis gravitas atque integritas vitæ, hanc minime tueri potuisset. Num qui de Aristotele has nugas in vulgus iactant, ingenio, aut doctri-

na

na Solone, Thalete, Alcmæone, Socrate, Platone, sexcentisque aliis philosophis inferiorem putant? Non arbitror. Atqui omnes hi de animæ immortalitate magnifice senserunt. Quem ergo in tanto tamque ancipiti negotio mihi narrant, cuius se aut viribus rationum, aut nominis auctoritate tutos existiment?

Respondebunt nobis, sat scio, in hanc se primum opinionem inductos, quod audierint, Alexandrum Aphrodisiensem, quem ceteri omnes Græci enarratores germanum Aristotelis interpretem vocant, in expositione commentationis de anima non modo sensisse, sed plane atque aperte pronuntiasse, animam intellectualem mori cum corpore, eamque sententiam Aristoteli placuisse. Addit his fidem, neque tenuem, ut putant, neque vulgarem, quod audierint etiam, nullam de immortalitate animæ peculiarem orationem habitam ab eo fuisse. Quod si in ceteris de philosophia quæstionibus explicandis magna ab Aristotele opera posita est, ut plane constat, quum de immortalitate animorum nihil elaboratum ingenio atque industria effectum ab eo ad posteros dimanarit, verisimile est, aiunt, de eorum natura atque ingenio dubitasse: ob eam rem maxime, quod in commentariis de anima, in quo loco argumentum hoc perstringendum fuisse videtur, quod ad immortalitatem animorum spectet, nihil testatum nobis, sed ambagibus plena omnia reliquerit.

Verum huiusmodi coniecturas, quibus hostes Aristotelis atque animæ eversores sese iactant, & nobis tantopere venditant, quum partim nugatoriæ sint, partim communes atque exiles, nullo negotio convincet, qui rem ipsam altius instrospiciens, eamque omni cogitatione atque animi vi pertractans Aristotelem, ut sic dicam, percunctari velit. Nam mihi quidem verisimile fit, eos homines, qui puerilibus his atque plumbeis, ut ita dicam, rationibus adversus Aristotelem disputant, sibique

que maxime videntur ingeniosi, aut nullam omnino, aut perquam exiguam veritatis habere rationem, cuius studio, quum mire sectatores adficiat, nihil gratius, aut iucundius christianis philosophis esse debuit. Quoniam nisi hoc verum sit, qui animam mori, credunt, Aristotelem putasse, quod ex enarratoribus eius unus Alexander hoc adfirmet, proculdubio mori non posse arbitrari debuerunt, quando ceteri omnes consentientibus animis atque sententiis animam ferunt immortalem atque æternam putasse. Nam Themistius, Philoponus, Ammonius, Simplicius, & Magentinus, manere post mortem animam, citra controversiam confessi sunt, & Aristotelem probasse hanc opinionem in scriptis suis explicuerant. Existimandum ergo est, eos homines, qui hæc atque horum similia Aristoteli dant probro, aut ne a limine quidem Aristotelem eiusque gravissimos expositores salutasse, aut animi vitio eam notam atque infamiam summo philosopho inurere, aut, quod libentius crediderim, in utroque esse vitio.

Quod si tantorum hominum auctoritas & doctrinæ opinio minor visa est, quam ut conferri cum Alexandri supercilio aut possit, aut debeat: graviter sane peccant, qui id suspicantur. Nam tametsi Alexandri Aphrodisiensis, quem Aristotelis calumniatores fortasse non ex scriptis, sed ex nomine tantum noverunt, magnum ingenium atque industria fuerit: is proculdubio clarior atque illustrior habitus est, non tam quod Aristotelem aliis exposuerit, quam quod eumdem, qui iniquorum culpa, aut quod magna eius ætatis pars studiorum amænitates quereret, aliquamdiu absque ullo, illustri præsertim, nomine delituerat, ope Sosigenis præceptoris e tenebris in lucem revocarit, & laborando tandem effecerit, ut is philosophus, qui ab omnibus, etiam his, qui in Aristoteleorum numero passim habebantur (quod & Cicero initio *Topicorum* de quodam suæ ætatis Peripate-

tetico philosopho narrat) propter obscuritatem in scritendo, rerum gravitatem atque pondus ignorabatur, minus profecto durus videretur. Nam si elegantiam splendoremque orationis desideres, si concissam atque fecundam brevitatem requiras, numquam Themistio Euphradæ par erit: si vero accuratam diligentiam, studium summum cum quadam suavitate orationis coniunctum; Ioanne Grammatico, cognomento Philopono, multis partibus inferiorem esse constabit: postremo si copiam rerum & præceptorum, hæc omnia multo cumulatius atque copiosus Simplicius tibi suppeditabit. Atqui si tam multi ex Aristotelis familiaribus neque peius, neque minus liberaliter Alexandro instituti, passim offenduntur, qui probent, qui adfirment, & tueantur in ea esse Aristotelem opinione, ut credat, hominum animos a morte superesse: ego sane non video, quorsum Alexandri eiusque studiosorum opinio pertineat.

Quod vero nullam de immortalitate animorum ab Aristotele fuisse habitam iustam commentationem obiiciunt, in quo quidem argumento sitam esse putant non infimam partem fidei: non est, cur ulla ratione perturbare nos, aut movere debeat. Primum, quoniam, ut a doctissimis hominibus accepimus, immortalitati animorum Aristoteles peculiare quoddam volumen dicavit, quod una cum aliis eius philosophi scriptis indiligentia quadam hominum antiquatum est atque abolitum. Deinde, quia, tametsi nihil esset de ea re ab Aristotele scriptum, nulla sane ratio est, cur existimare quispiam debeat, qui non sit agrestibus atque barbaris moribus institutus, intellectualem animam simul cum corpore interire, Aristotelem putasse. Nam si protinus censendum sit, exstingui animam credere eum, qui de eius immortalitate nihil scribit, in eodem profecto vitio multos veterum philosophorum reperiemus, qui tamquam huius sententiæ auctores principesque vulgo celebrantur.

O-

Optandum sane nobis fuit, fateor, ut ab eo philosopho, qui omnium iudicio longe omnibus præsans ingenio & diligentia fuit, difficile admodum obscurumque argumentum de animæ conditione atque natura, elaboratum atque sculptum haberemus. Quoniam si ita esset, ad eam rem explicandam alterius cuiuspiam diligentia atque studio minime indigeremus. Verum, quod nihil nobis simile temporum culpa atque iniuria relictum sit, quod ad hanc ætatem pervenerit, ego non video, cur in hac parte Aristoteles sit incusandus. Quin immo habenda est Deo immortalis gratia, quod ut haberemus, ad quem in rebus dubiis atque ancipitibus, præsertim quæ ad naturam exspectarent, confugeremus, litterarum nobis parentem dederit. Vt enim sapientissimis scriptoribus placet, arbitrandum est, divinitus nobis Aristotelem contigisse, non tantum ut esset, qui rerum omnium parentis naturæ adversus quorumdam falsas criminationes & querellas patrocinium susciperet, atque exerceret, ne qua ex parte tutela vacans ipsa natura relinqueretur, atque abiret, sed ut in omni parte naturæ perfectum magistrum atque artificem haberemus.

Aristoteli etiam summa gratia habenda est, quod non (quod plerique omnes faciunt, quibus large atque liberaliter egregias suas dotes impertiit natura) ingenium, quod suscepit optimum, torpere siverit. Nullum quippe vitæ tempus Aristoteli concessum est, quod non ille, idque potissimum nostri commodi gratia, in liberalia atque optima studia contulerit. Ac nisi eius menti sæculorum quoddam augurium futurorum inhereseeret, quod in maximis ingeniis, altissimisque animis & exsistit maxime, & apparet facillime; numquam ille quidem tam demens fuisset, ut semper in laboribus viveret, præsertim quum licuerit otioso esse. Et, si omnium consensus, ut philosophis placet, naturæ vox est: et, si quorum aut ingenio, aut virtute animus excellit,

 eos

eos arbitramur, quia natura sint optima, cernere naturæ vim maxime: verisimile est, Aristotelem, perfectæ naturæ specimen atque exemplar, quum se laboribus exercebat, & posteritati serviebat maxime, esse aliquid existimasse, cuius post mortem sensum esset habiturus, quoniam ad se, postquam e vita excesisset, pertineret.

Quamquam autem in eo, quod adfirmant, nullum opus superesse animorum immortalitati ab Aristotele dicatum, veri sunt; egregie sane atque insigniter mentiuntur, quum inquiunt, nusquam loci evidenter pronuntiasse, in morte humanam animam non interire. Quod nobis, si velit Deus, monstrandum est. Tametsi enim plerisque in locis, quibus immortalitatis animæ tangitur, verbis dubiis ambiguisque sit usus, sunt autem id genus, *videtur*, *obscurum est*, *fortasse*: non par est, continuo existimare, ea in re perplexum dubiumque animi philosophum fuisse. Quoniam, ut ex eius lectione accepimus, Aristotelis mos est & frequens consuetudo, in rebus etiam planis atque apertis vocibus ambiguitatem significantibus uti: præsertim ubi suis locis de his rebus, in quibus est controversia aliqua, nondum lata sententia est, neque ratione quidpiam definitum, ut est a nobis copiosius atque uberius explicatum in his, quæ de ratione philosophandi Aristotelis commentati sumus. Adde, verbum *videtur*, *fortasse*, & similia sæpe a philosophis, potissimum vero ab Aristotele, non tam obscuritatis significandæ, quam modestiæ caussa, quæ maxime philosophiam decet eiusque studiosos, usurpari in oratione solere, ne temere adserere quidpiam videantur. Nam qui de re quapiam obscura atque impedita sententiam rogati iudicium præcipitant, dant sine mente (quod aiunt) sonum, & magna quadam ingeniorum suorum æstimatione aliis sese venditant. Quo loco Socraticorum prudentia in tractan-

dis

dis quæstionibus, quæ ad negotium philosophiæ spectant, repetenda nobis animo, frequenter versanda cogitatione, & in summa magna sane in admiratione habenda est, quod coniectis in contrariam partem argumentis, quæ in rebus propositis probabilia insunt, indicasse contenti, ut liberum cuique iudicium maneret, amplius nihil dicerent. Quod si, quemadmodum exposuimus, res habet, pessime profecto faciunt, qui falsis confictisque rationibus, ut aliis persuadeant, dant operam, animæ excellentiam & dignitatem, immortalitatem illi adimentem, magnum Aristotelem elevasse ac pæne invidisse, ob eam rem maxime, quod in eius philosophi scriptis multi offenduntur loci, in quibus evidenter expressam facile invenire quivis possit eam sententiam, quæ intellectuali animæ æternitatem concedit. Quos ego, quanta maxima possim, cura atque studio ex tanta rerum perplexitate decerpam, atque in lucem hominum revocabo, ne, quod vitio dare fortasse quis possit, verbis potius, quam rationibus decertare videar. Hac enim via facile consequemur, ut, qui Aristotelem non norunt in ea fuisse hæresi atque opinione, admoniti a nobis discant, de animorum immortalitate recte Aristotelem sensisse. Qui vero de industria veritatem calumniantur, & fusis tenebris eius lumen exstinguere velle videntur, erroris conscii sui aliquando forsan resipiscant, seque ad saniorem frugem mentemque recipiant.

Sed quoniam res ipsa atque docendi ratio hortari videntur, ut loci, in quibus Aristoteles animæ immortalitatem significavit atque expressit, dumtaxat referantur: in his autem referendis, &, si quando res ipsa postulet, explicandis, contortis & aculeatis conclusiunculis nobis utendum est (quod disputandi genus a minutis philosophis frequenter usurpatur) dabit nobis lector paullo elegantior atque benignior hoc loco & tempore veniam spinosa hæc & punctim cædentia usurpanti-

tibus. Quamquam enim hæc eadem fuse atque copiose alias omnibus electissimis verbis gravissimisque sententiis rhetorice & augeri possint & ornari, nunc Stoicorum consectaria & breviter conclusa delectant. Sic enim, ut arbitror, Aristotelis sententia, quo nihil acutius, nihil denique elegantius, etiam Ciceronis testimonio, litteræ umquam habuerunt, aptissime quidem explicabitur: decet enim accommodare rebus orationem. In ea vero explicanda sedulo atque accurate nobis elaborandum est, ut quæ sunt apud Aristotelem rationes immortalitati animorum adserendæ & confirmandæ idoneæ, primum exponantur. Confertissima deinde eius philosophi testimonia conferemus. Postremo quoniam, ut ad Eudemum 1 scriptum est, eorum solutio, quæ ab adversariis obiiciuntur, nostræ sententiæ præstantissima comprobatio est, summopere laborabimus monstrare, quibus locis maxime non satis sibi constare Aristoteles videatur, usque adeo sibi esse similem, ut ne per latum quidem unguem a se dissideat.

Accipiendum tamen nobis in primis est, qui animam omni materia vacare probat, simul immortalem atque æternam esse confiteri. Quod quidem, præterquam quod ab Aristotele libro XII. *primæ philosophiæ* desumtum est, communi omnium philosophorum probatur adsensu. Verum quoniam summorum virorum auctoritas ad fidem faciendam satis fortasse non erit pertinaci animo contendentibus, ratione mihi cum iis agendum esse censeo, quam invenire nihil est negotii.

Etenim quum rerum, quæ exstingui atque corrumpi possunt, duo tantum genera norimus: unum earum, quæ corporatæ sunt, quod ex quatuor rerum primordiis conficiantur, & naturales vocantur, quod ex mate-

1 Lib. 1.

teria constent & forma ; alterum earum, quæ natura per se minime exsistunt, sed exsistunt in aliis, & accidentia ea caussa vocantur: si anima ex earum rerum numero est, quæ corpore omnino vacant, numquam profecto aut aboleri, aut exstingui contigerit. Nam quum bifariam res deleri cernamus, aut quod in ea redeant, unde primum sunt constitutæ, quatuor inquam principia, quæ elementa corporum ab Aristotele vocantur, ignem, aerem, aquam, terram: aut quod id, in quo natura exsistunt, aboletur: quum anima neque redire in ea, quæ vocant elementa corporum, si prorsus materia vacat, neque alterius interitu antiquari queat, si nullius, ut sit, adminiculo atque ope indigeat, numquam evenire poterit, ut funditus dilabatur atque intereat. Si igitur ratione constitutum sit, animam ab omni corpore immunem atque absolutam esse, continuo definitum erit, Aristotelis iudicio nihil esse, cur exstingui una cum corpore debeat. Vtrumque tamen, ni fallor, non erit magnum aut difficile præstare.

Primum enim, quod, inquam, inter corpora numerari non possit, cap. I. lib. II. *de anima*, adhibitis in eam rem argumentis probat Aristoteles. Quum enim animæ communem finitionem exponeret, quam formam esse corporis, inquit, natura constantis, & vitam potentia sortiti, post longam tandem narrationem ita concludit: *Quare corpus naturale particeps vitæ substantia est, & ita substantia, ut compositum*. Quumque tale sit corpus, profecto non erit anima. Anima namque particeps vitæ non est, sed vita ipsa, & vivendi ratio. Quæ ob eam rem ἐντελέχεια, quasi unionem perfectionemque corporis contineat, a Ioanne Grammatico cognomento Philopono appellatur, παρά τὸ ἕν, id est, *unum*, & τέλειον, quod est *perfectum*, & ἔχειν, quod est *habere*. Quamquam hoc loco non est animus excutere huiusmodi Philoponi sententiam, quæ de etymo-

mo-

mologia nominis istius a nobis adlata est: dabitur alias fortasse locus tempusque commodius: nam mihi aliorum iudicium in hac re multo magis probatur. Et paullo post addit: *Corpus namque non subit rationem eorum, quæ sunt in subiecto, sed ut subiectum potius est & materies*, ac si dicere vellet, anima substantia est ut forma, forma vero subiectum non est, sed potius in subiecto, quum sit eius actus atque perfectio: igitur non est anima subiectum. Et quum corpus subiectum sit, anima non erit corpus. Eamdem præterea rem longa sane oratione ibidem disputat, ubi animam actum esse corporis demonstrat his verbis: *Quum substantia tripliciter dicatur, ut diximus, quædam est forma, quædam materia, quædam id, quod ex utrisque componitur, & materia potentia sit, forma actus: corpus non erit animæ actus, sed ipsa forma actus est corporis. Idcirco recte putant hi, quibus anima non videtur esse corpus.* Convicti ergo sumus, & iudicio veritatis coacti existimare, magnum Aristotelem posuisse, ut geometrarum more loquar, animam corpore vacare.

Superest, ut eamdem, etsi exsistat in corpore, cuius ratio atque forma perhibetur, seiungi ab eo & separari optime posse, doceamus. Hoc autem recte quidem præstiterimus, si, quam rationem nobis Aristoteles suppeditat, ut ducem sequamur. Is enim cap. III. lib. II. *de generatione animalium*, & *de anima commentatione* cap. I. *Si operationum*, inquit, *animæ, vel adfectuum aliquis proprius sit, fieri potest, ut ipsa separetur: at vero si nullus sit ei proprius, non potest quidem separari.* Quo in loco ad omne negotium, præsertim de anima, accommodata maxime atque apposita suppeditantur documenta ex omnium vere atque sincere philosophantium animis depromta atque ingeniis. Quum enim maxime ratum atque certum sit, nihil esse in rerum natura otiosum, nihil torpere, feriari nihil, sed sua

in

in singulis rebus ingenia contineri, officia sua quæque agnoscere agitareque, & quasi naturæ pensa persolvere: dubitari non debet, quin si anima ipsa operationes omnes cum corpore coniunctas habeat, separari ipsa a corpore non possit. Quoniam si a corpore separata anima reperiatur, quid aget? quove munere defungetur? Otiabitur sane perpetuo, nisi quis Endymionis somnum dormire fingat. Quod si animæ opus aliquod concedamus, aut functionem vere suam, quam a corpore abiuncta tractare possit atque exercere: certum est, vivere absque corpore optime posse. Nam quum operationes a facultatibus proficiscantur, si, quum sint ipsæ ab omni corpore disiunctæ, anima non possit absque corpore reperiri: aut operatio sine facultate erit, aut facultas sine substantia, animo exstincto. Quorum utrumque nihil cum ratione atque veritate coniunctum habet. Quod si natura, ut dicitur, nihil omnino frustra facit, neque ex rebus necessariis quidpiam omittit, hoc documentum sequi necesse est, ad quod tamquam ad libram examinemus, utrum animus separari a corpore possit. Si enim operationem ullam habeat, qua ipse per se defungi possit, erit proculdubio sponte sua a corpore abiunctus, ac proinde immortalis. Quare quum efficiatur anima immortalis, si germanam atque propriam operationem ullam habeat, aut materia vacet, aut absolvi possit a corpore, in id mihi mentis acies totaque ingenii vis intendenda est, ut ex Aristotelis scriniis locupletissima testimonia proferam, in quibus aut immortalem, aut separabilem a corpore, aut sponte sua materiæ expertem esse, aut tandem proprium aliquem adfectum habere dicat.

Principio autem, ubi 1 de anima commentationem aggressus scientiam, inquit, de anima in primis esse po-

1 Cap. 1.

nendam, & quoniam exactior est, & præterea earum est rerum, quæ magis præstabiles, magisque sunt admirabiles, animam proculdubio significat vacare materia. Nam quum trifariam, 1 Aristotele auctore, una scientia altera exactior sit: est enim huiusmodi primum, quæ monstrat rem esse, & propter quid ea, quæ dumtaxat monstrat, quod sit: secundo ea, quæ est ex paucioribus, quam quæ ex additione, ut geometria, perspectiva, arithmetica, musica: postremo, quæ non est de subiecto aliquo, quam quæ versatur in subiecto, id est, ea, cuius genus materiæ est expers, quam quæ sit corporatum sortita: re vera scientia de anima non potest inter primas facultates numerari, quod doceat, quod est, & propter quid: neque quod amplior sit atque communior, nullius enim, ut apparet, principia facultatis demonstrat: superest igitur, inter principes disciplinas hoc tantum nomine ab Aristotele fuisse relatam, quod quum ceteræ omnes, quæ in naturæ explicatione occupantur, genus corpore præditum sint sortitæ, huius certe genus materia vacat. Quum autem animam huius commentationis genus esse non sit obscurum, materia corporeque vacabit: atque ob eam caussam, quemadmodum monstratùm est, numquam exstingui contigerit.

Huius autem sententiæ tanta vis est, ut quum se ab ea Alexander extricare non posset, corrumpere eamdem sit conatus, satius esse ducens, alienam sententiam aliorsum, quam dicta sit, detorquere, aut depravare potius, quam semel animo conceptam mutare. Vsque adeo difficile atque arduum est mentibus insitas corruptas opiniones evellere. Idem quoque refert eodem libro 1. cap. 4. *de anima*, quum inquit: *Quam enim partium corporis intellectus, aut quo continebit pacto,* *fin-*

1 Cap. 23. lib. 1. Post.

fingere difficillimum est. Disserit adversus Platonem, qui partes animæ locis disclusit, atque ut reginam in arce, sic rationem in capite collocat, iram subter præcordia, in corde vero cupiditatem: obiicitque illi longe difficillimum explicatu sibi videri, quod adfert: nam si ab anima tota totum corpus contineri adseramus, consentaneum rationi quoque fuerit, singulis animæ partibus singulas quoque partes corporis contineri, hoc est, perfici, unumque fieri. Quod evenire non posse, minime obscurum aut incertum est. Nam quum intellectus humanæ animæ facultas omnino materia vacare censeatur, fingi non potest aut excogitari, quam partium corporis continere debeat, aut quo pacto. Eamdem præterea rem explicat, quo loco Empedoclis opinionem de natura animæ expendit atque excutit. Quum enim Empedocles corporeis elementis ut cetera omnia, ita quoque intellectualem animam effici sit arbitratus, post multa & præclara omnia, quibus eius philosophi opinionem labefactat atque imminuit, tandem inquirit, quum elementa corporum, quibus animam constare putat, materiæ rationem subeant, quod, ne se ipsa possint continere, in caussa est, quidnam id sit, quod illa contineat retineatque simul. Quum autem id, quod continet alia, philosophorum omnium iudicio præstantissimum esse debeat, neque reperiri aliquid possit, quod animæ præstet: proculdubio hæc ipsa suis partibus elementa continebit, præsertim intellectu. Hunc enim rationi maxime consentaneum est cetera præcesisse, & præstantissimum omnium, & natura dominum esse. At illi elementa præcedere censent. Quod si Aristoteles Empedocleos philosophos incusat, quoniam ex elementis corporeis animum faciunt, quum ipse ceteris omnibus longissime præstet, existimare par est, corpore vacare, atque ab eius potentia minime in actum educi posse.

De partibus etiam animalium disputans, ubi ad

eum locum pervenit, ubi in quæstionem vocatur, utrum de omni anima intersit naturalis scientiæ docere, an de aliqua una: post longam satis disputationem explicationemque rationum, ita concludit: 1 *Constat igitur, non de anima omni disserere oportere, quandoquidem non omnis anima natura est, sed aliqua eius pars una, aut etiam plures.* Atqui si intelligendi vis atque facultas a naturalis philosophiæ finibus ab Aristotele exclusa est, existimare convenit, incorpoream esse, & materia prorsus vacare, quum omne, quod materiæ est atque corpori coniunctum, naturalis philosophus contempletur atque inspiciat. Si enim, ut scribit, naturalis philosophi sit intellectricem animam contemplari, nulla sane præter naturalem philosophiam disciplina relinquitur: nam intellectus seu mens rerum intelligibilium est. Itaque rerum omnium notiones una naturalis disciplina tenebit. Est enim eiusdem scientiæ tam de intellectu, quam de re intelligibili disserere, siquidem eadem contemplatio est omnium inter se coniunctorum, sicut sensus & rei sensibilis.

Innuit 2 eamdem sententiam non procul ab hoc loco, quæstionem eamdem versans adhuc atque exercens, his verbis: *Ad hæc rem a materia abstractam nullam potest naturalis philosophus contemplari, quum natura rei alicuius gratia faciat omnia*: rebus autem abstractis abiunctum id est, quod sub hoc, cuius gratia, verbo intelligimus. Quare quum anima intellectualis a materia abstracta sit atque seiuncta, eius contemplatio minime quidem ad naturæ philosophum pertinebit. Sic enim perficienda ratio est, quam incohatam dumtaxat (qui suus est mos) Aristoleles reliquerat.

Inscite etiam facere videntur, qui testimonium illud

1 Cap. 1. lib. 1. 2 Cap. 1. lib. 1.

lud non vident : 1 *Naturæ sane studiosi interest de anima disserere , & scire* : quibus verbis quoniam una cum ceteris animam rationis compotem complexum fuisse quispiam existimare posset , rem planam atque perspicuam faciens subiungit : *Etsi non de anima omni, at de ea ipsa, qua tale animal est, id est, qua vivit & sentit, nam animal sensu primo censetur.* Idem palam atque aperte probat , quum inquit : 2 *De intellectu autem contemplativo alia ratio est.* Nam quum 3 meminisset altricis animæ sensificæque , explicans quo pacto partes istæ animæ in corpore exsistant , orationis cursum ad intellectum deflectit , atque ait , longe diversam esse de eo rationem , hoc est , considerationem & disciplinam , non aliam ob caussam , nisi quia , quum intellectus sponte sua atque suapte natura non insit in corpore , ceteræ vero partes animæ insint , atque id habeant a natura peculiare , minime quidem ad naturalem philosophum mentis consideratio referenda est , sed potius ad primum summumque , qui pura omnia sincera , & , quæ ab omni fæce materiæ procul absunt , contemplatur atque inquirit.

Ex his igitur omnibus , quam vim habeat adversariorum opinio , in promtu est intelligere. Et adhuc quidem ita nobis progressa ratio est , ut ea duceretur omnis ab eo , quod anima corpore omnino vacet : nunc, ut instituimus , aliud argumentandi genus atque rationem sequamur , non multum quidem dissidentem a superiori , hinc , ut oportet , initio sumto.

Qui operationem , aut adfectum aliquem tamquam proprium atque peculiarem animæ tribuit , ut ostensum est a nobis prius , æternam animam arbitratur : hoc autem sensit Aristoteles : animam igitur immortalem esse

pu-

1 Eodem cap. & libro.
2 Lib. *de anima.*
3 Cap. 3. lib. 2.

putavit. Nunc quod animæ peculiaris adsit adfectus (talis est autem intelligere & contemplari) primum adserere videtur, quum ait: 1 *Maxime autem ipsum intelligere proprio simile videtur esse.* Admonuerat paullo ante hunc locum difficile admodum atque arduum esse, diffinitionem animæ inquirere, quoniam principio constare necesse sit, utrum adfectus omnes communes sint animæ cum corpore, an potius eius sit proprius aliquis atque germanus. Hoc enim accipere necessarium est illi, qui animæ finitionem velit facere. Quum autem in contrariam partem ratio probabilis reddi possit, accipi facile non potest. Nunc ait: *Plurimi tamen sunt (non quidem omnes) quorum sine corpore nullus agere ac pati videtur posse, ut irasci, confidere, cupere, atque omnino sentire: ipsum autem intelligere maxime videtur esse proprio simile.* Bis itaque, si quis exspectet, insinuat, proprium aliquem adesse animæ adfectum, & quum plurimos ait non sine corpore constare posse, & quum intelligere testatur proprium esse animæ. Quamquam, quod hoc loco tam aperte scriptum est, ut a nemine citra flagitium refelli queat, alio loco planius exponit, quum inquit: *Si enim intelligere corpori atque animæ adsignetur, numquam corpus impedimento erit, ne pure atque sincere intelligamus: quin immo (ut fit in ceteris instrumentis) ipsum corpus mentis intelligentiam adiuvabit.* Nunc, quum contra evenire palam cernamus, arbitrandum sane est, unius esse mentis contemplari atque intelligere: siquidem laboriosum est, ut Aristoteles scribit cap. III. lib. I. *de anima*, coniunctum esse cum corpore intellectum, neque absolvi ab eo posse, & insuper maximopere fugiendum: quod fit, dum mentem a sensibus separamus, atque animum a corporeis cogitationibus abducimus: quippe

1 Cap. 1. lib. 1. *de anima.*

pe quum melius sit intellectui non esse cum copore, quemadmodum & dici solet, & complures sane consentiunt. Hanc autem sententiam capite IV. libri VIII. *de Repub.* plane confirmat, quum ait, non convenire simul mentem & corpus laboribus fatigare, quoniam hi labores contrariarum rerum efficientes sunt: labor enim corporis menti impedimento est, mentis autem corpori. Quid amplius optent, non video, qui in Homerum philosophorum debacchantur, atque eius sententiam suggillant tamquam ab immortalitate abhorrentem animorum. Num significari potuit apertius intellectricis animæ æternitas, quam quibus verbis ab Aristotele significata est?

Verum etsi adducta a nobis testimonia, & pingui, quod aiunt, Minerva explicata, satis esse possint iis, qui in media luce non caligant atque offendunt: quum apud eumdem philosophum multa quoque alia reperiantur, quæ hanc nostram sententiam non curtam, ut quidam putant, sed plenam potius atque perfectam reddant, ea nunc mihi recensenda esse existimavi: inter quæ omnia neque obscurum neque incertum adserendæ fidei argumentum illud putare convenit, quod in commentariis *de anima* ita explicatur: 1 *Nihil tamen vetat, ut aliquæ partium animæ sint separabiles, propterea quod corporis nullius sint actus.* Quum enim eo loco animam actum esse corporis disputare atque convincere niteretur, quod est in definitione animæ usurpatum, quia actus ad potentiam dicitur, & semper in eo est, cuius perhibetur actus: concludit, animam non esse a corpore separabilem, sed in eo exsistere semper, cuius est actus atque perfectio. Et quoniam ambiguum videri poterat alicui, utrum, quod paullo ante definitum est, omnibus animæ partibus & secundum poten-

1 Cap. 1. lib. 2.

tentias omnes & facultates conveniat, an tantum secundum partes aliquot, rem ipsam expediens adiecit: *Corporis namque partium patet aliquas partium animæ actum esse:* vegetalis namque & sensifica, ut dixi, quoniam secundum substantiam versantur in corpore, separari a corpore nulla ratione possunt: *nihil tamen vetat*, inquit, *ut aliquæ partium sint separabiles animæ,* innuens intellectum, propterea quod corporis nullius sunt actus. Videbat tamen, futuros, qui obiicerent, si intellectus non sit corporis actus, finitionem animæ non omnibus animæ partibus convenire, atque ob eam rem solutionem antevertens subiungit: *Obscurum est, neque dum patet, si perinde corporis anima sit actus, ut gubernator navis. Nam si, ut est gubernator actus navis, intellectrix anima in corpore ponatur esse, quemadmodum gubernator in eo, quod gubernator est, operationem cum navi coniunctam abet, quamquam secundum substantiam a navi seiunctus sit; ita quoque anima tametsi in eo, quod actus corporis est, atque eidem impertit vitam, non sit a corpore absoluta, certe magnitudine atque substantia separatur.* Et re vera ita est. Sed quoniam nondum ad eum locum ventum erat, in quo res ipsa definiri debuit, ut Philopono placet, dubiam sententiam reliquit. Quamquam mihi quidem rem ipsam studiosius consideranti (nisi ego magis adlucinor) visus est rem ipsam plane definisse. Vt enim aliquando volente Deo copiosius mihi monstrandum est, hic est Aristotelis perpetuus mos, subobscure & per interrogationem, ut lividis calumniandi ansam infringat, de rebus obscuris pronuntiare.

Eamdem quoque sententiam illustri admodum perspicuaque oratione confirmare mihi visus est libro II. *Physicorum*, cap. II. quo in loco, postquam rationibus multis persuasit, philosophum naturalem formas, quæ corpori sunt atque materiæ coniunctæ, contemplari debere-

re, rationalis formæ mentionem repetens, inquit: *Quo vero modo sese habeat separabilis forma, & quidnam sit, philosophiæ primæ officium est determinare & pertractare.*

Atque ut omnia persequamur, neque sit ullus lapis, quem non moveat diligentia atque industria nostra: 1 libro a nobis proxime commemorato idem plane philosophus adseruisse iterum videtur. Nam in reprehensione philosophorum, qui in finitione animæ *moveri* usurpaverunt, quoniam irascitur, miseretur, atque confidit: *Hoc nomine*, inquit, *nihil quidquam ab his philosophis effectum esse, nam confidere, irasci & misereri, aut non sunt motus, aut si motus sint, non sunt sane ex eorum numero, qui animæ feruntur proprii, sed qui cum corpore sunt communes. Quamobrem*, inquit, *inepta eorum oratio est, qui nos soli animæ adsignant.* Ne tamen quispiam dictum hoc quoque fuisse de intellectu suspicaretur, adimens sermonis ambiguitatem, inquit: *Nullus me credat intellectus in præsentia mentionem fecisse, nam intellectus advenire videtur homini, & minime (quod in ceteris facultatibus evenit) de potentia materiæ in actum deduci.* Verum quia foris advenire cum accidentibus multis intellectus habet commune, ut id peculiari quadam ratione menti convenire doceat, subiungit: *Et substantia quidem esse*, hoc est, per se exsistere. Accidentia enim, tametsi aliunde adveniant, minime exsistunt per se, sed in substantia. Præterea & *non corrumpi*, inquit: quo verbo a ceteris formis rationalis anima proculdubio distinguitur. Nam ceteræ formæ, licet substantiæ rationem suscipiant, facile corrumpi possunt: intellectus vero ab interitu immunis est, quum nihil habeat, a quo corrumpatur. *Si enim corrumpi posset*, inquit, *ab*

1 Cap. 4. lib. 2. *de animæ*

ea maxime, quæ in senectute fit, offuscatione corrumperetur; nunc autem perinde fit, atque in sensuum instrumentis, ac si diceret: quidquid pati intellectus videatur (si quid pati videtur) non aliunde, quam ex sensuum instrumentis accidere, idque non sine ratione. Nam quia, dum exsistit in corpore, per sensus tamquam per fenestras animæ rerum simulacra animus accipit: ubi sensuum organa hebetantur (quod in senectute potissimum accidit) ipse quoque intellectus videtur imbecillus reddi, quum nihil simile patiatur. *Nam si senex*, inquit, *talem acciperet oculum, qualem habet iuvenis, videret sicut iuvenis. Quare senectus non est, quia anima quidpiam est passa, sed quia id, in quo est, aliquid est passum: quemadmodum in ebrietatibus & morbis fieri solet.* Et post multa tandem ita concludit: *Igitur intelligere & contemplari marcescit: quia aliud quiddam intus corrumpitur, ipsum autem passione vacat. Ratiocinari vero, & amare, & odisse, non sunt illius, hoc est, animæ propria, sed huiusce, quod illud habet, animalis, inquam, quod ex corpore atque anima constitutum est: quapropter, & hoc corrupto, neque recordatur anima, neque amat.* Demum ita refert: *Intellectus autem divinum quid est, & passione vacat.* Quod si vacare mentem passione testatur, immunem eamdem esse a morte arbitrandum est. Atqui hic locus usque adeo torsit Alexandrum, & tam mirabiliter exercuit, ut convictus momento eius atque coactus dubitari non posse dixerit, quin magnus Aristoteles animam immortalem esse atque æternam crediderit. Tanta enim vis veritatis est, pondus usque adeo grave atque momentum, ut ad eius obtutum etiam hostiles animi caligent, ac sese victos continuo fateantur.

Quod si ceteri omnes, qui mortem animæ Aristoteli obiiciunt, ita ut Alexander, scripta eius diligenter evolverent, in tanta copia & perspicuitate atque luce

ce

ce testimoniorum, amplius, quod desiderarent, nihil esset. Nam præter ea, quibus usi sumus, in tractatione 1 *de generatone animalium*, postquam ratione convicit, vegetali sensitivæque animæ convenire non posse, ut ante quam intrent corpus, exsistant actu, aut postquam intrarint, ab eo liberentur, siquidem adfectionem nullam habent suapte natura liberam atque exemtam a corpore: incidens in mentionem animæ intellectualis inquit: *Restat igitur, ut mens sola extrinsecus accedat, eaque sola divina sit, nihil enim cum eius actione communicat actio corporalis.* Neque putandum est (ut id quoque obiter attingamus) quod adfirmarit, animam intellectualem extrinsecus accedere, μετεμψύχωσιν, hoc est, transmigrationem animarum in diversa corpora significare voluisse: huiusmodi enim commenta & Pythagorea somnia libro I. cap. IV. *de anima* locuplete sane oratione refellit atque explodit Aristoteles: præterea lib. II. cap. II. his verbis: *Inest anima in corpore, atque in corpore tali, non in quovis sine discrimine ullo, quemadmodum veteres ad corpus ipsam accommodabant nihil determinantes, quodnam illud & quale sit corpus*: atqui non recte, ut patet, quippe quum non videatur quodvis sine ullo discrimine quodcumque suscipere; quin immo singulis hominibus peculiarem suamque animam inditam esse putat, quæ nullius sit amplius corporis futura forma.

Hic ego rogo, qui tam pertinaciter mendacii partes agunt, qua ratione constare possit, divinam esse animam dicere, foris quoque advenire, hoc est, non ut ceteras animæ partes, ex semine deduci & interitu aboleri posse putare? Quod si mihi dederint, erit fortasse, cur credam, Aristoteli calumniam de industria intentam minime quidem fuisse. Et, si quod a magnis qui-

1 Cap. 3. lib. 2.

busdam actoribus scriptum est, fas est credere, Aristotelem, inquam, libro *de proprietatibus elementorum* (nam hunc ne de facie quidem novimus) existimare, nulla naturæ vi, sed iussu atque imperio Dei animam rationis compotem advenire: magnum me hercle pondus atque momentum ad hanc, quam defendimus, opinionem accedit. Nam quemadmodum nulla naturalis facultas per se satis est ad adserendam in lucem animam rationalem, ita quoque nihil tam potens erit, ut eidem ipsi aut calamitatem, aut laborem adferat. A qua sententia abhorrere minime videtur Aristoteles lib. II. cap. III. *de generatione animalium*, quo loco mentem hominum quasi aliunde ortam, neque de potentia materiæ eductam, advenam & peregrinam vocat. Sed iam, unde primum digressi sumus, redeamus. Nam, nisi me fallit animus, lib. III. capite III. *de anima* phantasiæ usus ubi Aristoteles commemorat, inter cetera commoda, quæ homini phantasia adfert, hoc maximum atque præstantissimum esse ait, ut si quando, quod frequenter fit, mens ipsa princeps atque regina vitæ mortalium aut morbo corporis, aut ulla perturbatione animorum sopita iaceat atque sepulta, natura, ducem habeamus, qui vitam hominum potissimis ad recte vivendum præsidiis atque instrumentis destitutam regat, perinde atque bestiarum, quæ natura sua beneficio rationis, &, quæ ab ea ipsa proficiscuntur, præsidiis plane carent. Nam quum intelligeret, nihil esse posse, quod hominum animis mortem adferat, addidit: *Vt si contingat submergi, præsto sit, quæ agat hominem, imaginatio.* Verum quoniam hoc testimonium obscurius fortasse videtur quibusdam, quam ut in hanc sententiam conferri par sit, evidentiora proferam atque indicabo.

Et ut hinc exordium sumat oratio, quibus, quæso, verbis planius significari immortalitas animæ possit, quam quibus usus est in commentariis *de anima*

A-

1 Aristoteles? illo præsertim loco, in quo intellectus possibilis nuncupati mentionem faciens inquit: *Quo circa neque cum corpore mixtum esse consentaneum est rationi.* Immixtum esse intellectum, simplicem omnino, & passione vacantem fatetur: igitur immortalem, uti demonstratum a nobis iam est. Simile est, quod ex sensus atque intellectus differentia sumi argumentum potest, atque etiam, si quis animadvertat, violentius, & ad hanc rem efficax magis. *Sensus*, inquit, *ex vehementi sensibili sentire non potest amplius, auditus namque non audit sonos post magnum sonum, & visus non videt, neque odoratus olfacit post vehementes odores atque colores. Atqui intellectus aliquo valde intelligibili intellecto, non minus sane, sed magis percipit intelligitque inferiora.* Illud autem Aristoteles in caussa esse putat, quod sensitivum non est sine corpore: atque ideo, quæ maxime corporata sunt, omnium optime sentit, ut quæ sint familiaria sibi, & quasi dominata. Intellectus vero a corpore separatus est. Ad hæc, quum post obitum dicat animam minime recordari, dubitari nequit, quin liquido planeque crediderit, superstitem perpetuo sospitemque manere. Accipit enim ut compertum, superesse animam a rogo, defungi tamen eo munere neutiquam posse, quoniam *meminisse* (ut inquit) *non est sine phantasmate, neque phantasma absque corpore reperitur*. Rursum, quum capite ultimo libri *de anima* primi adversus Platonem disserens, qui in tres particulas animam discerpebat, rogaret, quid ipsam animam contineret, si partibilis est: (nam hoc non videtur corpus esse, quum contra potius appareat corpus ab anima contineri): *Quapropter*, inquit, *& eggressa dissolvitur corpus atque putrescit*. Quum dicat digredi animam a corpore, atque ipsum, postquam discessit anima, putrescere, plane mihi videtur dicere, incolumen re-

1 Cap. 4. lib. 3.

remanere post corporis obitum. Præterea si sensibus, ut inquit, exsuperantiis sensibilium corrumpuntur, quum intellectus rerum, quæ intelliguntur, excellentiis oblectetur, proficiat, accipiatque ad negotia vires: quorsum exspectat, non esse absolutum a corpore liberumque putare? Paullo quoque inferius, quum eo perveniret, ubi in quæstionem vocaret, utrum intelligere se ipsa mens possit, favere huic sententiæ mihi plane videtur, inquiens: *Est etiam intelligibilis & ipsa, ut intelligibilia cuncta, quoniam in his, quæ sunt sine materia, idem est intelligens, & quod intelligitur.* Quibus verbis certum est significari, intellectum hominum a materia omni abiunctum esse atque absolutum. Nam quum in contrariam partem ratio probabilis esse videatur, non est, cur intellectum intelligi posse putemus, perfectus enim est sua natura: est rursus, cur suspicari liceat, percipere se non posse, neque agnoscere: quoniam si se agnoscat, in horum alterum, quorum utrumque plane absurdum est, inciditur, videlicet, ut aut intellectus mixtus sit atque concretus, si altera parte intelligat, intelligatur altera: aut, si eadem, cunctis, quæ intelliguntur, intellectum atque mentem concedemus. Quæstioni respondens Aristoteles accipit, mentem in eo, quod mens est, se quoque agnoscere atque videre. Atque huic opinioni eorum, quæ tamquam falsa & absurda congesta sunt, nihil repugnare defendit. Quoniam in his, quæ sunt sine materia, in quibus est intellectus, nihil differunt intellectus, & quod intelligitur, Quod si animæ opera intueri & contemplari velimus, obfirmabimus profecto in hac re atque sententia animum. Nam si verum est, quod Aristoteles adfirmat, eam esse vim intellectus, non solum ut penetrare possit atque insinuare se ipsum in ea, quæ intelliguntur, omnia, sed ut se quoque operationemque suam agnoscat & videat, quo pacto id fieri possit, non video,

ni-

nisi anima absoluta a corpore liberaque permaneat, præcertim quum propriæ operationis agnitio, qua una re, ut Aristoteles inquit lib. X. cap. VII. *Ethicorum*, mens ipsa quodammodo Deo similis evadit, non sine conversione quadam animæ in seipsam fieri possit. Sensus enim, quoniam facultatem nullam propriam habet, neque sua opera neque sentiendi organum umquam attigit, sed dumtaxat rerum sensibilium simulacris atque formis contentus, in his occupatur, has tractat versatque. Idem probat, ubi rationem adfert, propter quam intellectus vacans corpore cum materia copulata atque coniuncta dispiciat & contempletur, si verum est, agenti atque patienti unam communemque materiam adesse opportere. 1 Huius namque incusationis nervos compendio frangit, solum testatus, ipsum pati divisum esse prius una quadam ratione communi, ac si diceret: quum passionem bifariam distinxerimus, in eam, inquam, quæ ad interitum rem deducit, & communi appellatione *alteratio* vocatur; & in eam, quæ absolvit rem atque perficit: mentis operatio, quamquam sit passio quædam, est sane ex earum passionum numero, quæ subiecto perfectionem impertiunt; atque ideo, ut neque cælo, neque soli cum aere, quem illustrat, & actione perspicuum reddit, quidpiam commune ponimus, unam tantum ob caussam, quia operatio illa quædam naturæ perfectio est: ita quoque minime necessarium existimare debemus esse, ut intellectus, & quod intelligitur, communem ullam materiam habeant. Quis enim dubitat, nisi plane in philosophia plumbeus sit, nihil esse animis admixtum, nihil coagmentatum, nihil duplex: sed pura omnia, simplicia, sincera atque immixta? Quod quum ita sit, certe neque secerni, neque dividi, neque discerpi, neque distrahi possunt: neque interire igitur. Est enim interitus

1 Cap. 3. lib. 2. *de anima*.

itus (ut Ciceronis verbis utar, quasi recessus & secretio earum partium, quæ ante interitum iunctione aliqua tenebantur.

Præterea in sermone de intellectu agenti in eamdem sententiam ita loquitur: 1 *Is intellectus separabilis est, & non mixtus, passioneque vacat, quum est substantia actus.* Age vero intellectus agens a corpore absolvitur: igitur anima, cuius ille facultas est. Aut fatearis necesse est, facultatem absque substantia esse posse: quod quam pugnet cum legibus naturæ, quæ nihil quidquam, aut supervacaneum frustraque facit, aut ex necessariis rebus omittit, sed semper ad pulcherrimum atque optimum quodque eorum, quæ fieri possunt, adspirat, initio huius disputationis uberius atque fusius est demonstratum.

Non est ab hoc proposito omnino alienum, quod in eodem capite explicans adhuc intellectus agentis naturam., ita inquit: *Separatus vero id est solum, quod est, atque id solum est immortale perpetuumque.* Nemo autem putet, Aristotelem in præsentia negare, quod tam aperte, tamque illustribus & perspicuis verbis paullo ante confessus est, intellectum, inquam, potentia perpetuum atque immortalem esse: etiamsi phrasis verborum, atque ratio loquendi (si quis parum accurate & diligenter consideret) hunc sensum præ se ferre videantur. Nam si altius rem ipsam expendamus, illis verbis dumtaxat significat, intellectum, ubi secundum actum fit, maxime fieri id, quod est, hoc est, proprie intellectus subire rationem. Nam alter intellectus, quoniam solum potentia est, non est omnino intellectus existimandus: quemadmodum materia substantiæ nomine a philosophis appellari non omnino solet, quoniam habet a forma, quod sit, quæ species est eius, quod

1 Lib 3. *de anima* cap. 5.

quod quid erat esse atque ratio. Si vero mentis obiecti rationem habeamus, haud dubiam fidem, ut ego quidem arbitror, quæstioni propositæ parabimus. Nam quum universale atque omnino materia vacans 1 Aristoteles obiiciat intellectui; & præterea necessarium sit omnium philosophorum opinione atque iudicio, cognitum magna ex parte cognoscenti esse simile, qui ut hanc insitam omnium animis notionem sequerentur, atque eidem suam in scribendo orationem accomodarent (ut est apud 2 Aristotelem) fede prolapsi sunt, & turpiter peccaverunt: obscurum non est, humanum animum sponte sua corporis expertem, ac proinde immortalem esse: præsertim quum (ut Aristoteles inquit libri primi capite 1. *de cælo*) immortale immortali accommodetur, & universale, quod mentis obiectum ponimus, neque gigni per se ipsum, neque corrumpi possit. Addit huic opinioni fidem, quod tametsi maxima earum rerum pars, quæ mente atque intellectu percipiuntur, non sit a materia immunis: ipse quidem intellectus vi quadam sua rerum *quidditates* & rationes eximit a materia, quod non faceret, nisi in eo esset virtus quædam & altior & sublimior, quam ea, quæ sit cum corpore copulata. Nam si mens suapte natura adfixa corpori teneretur: ut simile ex simili, sic ex terrenis crassisque corporibus summopere oblectationem caperet, neque (quod fit) in omni contemplandi genere tenuitatem captaret, et materiæ vacuitatem exquireret.

Non est diversum ab hoc negotio (ut iam tandem a commentatione de anima ad externa peregrinaque divertamus) quod in 3 *Ethicis ad Nicomachum* scriptum est: *Fortunam*, inquam, *amicorum omnium & postero-*

1 Cap. 11. lib. 6. *Ethic.*
2 Lib. 1. *de anima.*
3 Cap. 10. & 11. lib. 1.

rorum nihil omnino ad mortuos conferre putare, longe ab amicitiæ finibus discedere, atque opinionibus esse contrarium. Prosperæ namque & adversæ amicorum fortunæ aliquid defunctis adferunt, licet illud tale ac tantum non sit, ut neque felices infelices, neque aliud quidquam huiusmodi faciat. Si enim philosophus res amicorum putat ad mortuos pertinere, proculdubio in eo statu vita defunctos constituit, unde adversæ prosperæque fortunæ sensum animo & cogitatione haurire valeant. Nemo autem putet commune id atque exile argumentum ad rem esse, quum Cicero in *Tusculanis quæstionibus* strenue vicisse credat, animos hominum ab interitu esse vindicatos ea inter alias ratione, quod dum vivimus, sedulo studemus nomen posteris relinquere, liberos procreare, parare possessiones, curareque, ut iusta nobis religiose reddantur. Quæ omnia (ut alia quidem non parum multa) Latinæ linguæ princeps Cicero ab Aristotele commodato, ut sic dicam, accepit. Is enim libro I. capite IX. *ad Theodecten*, honestum esse, inquit, & laude dignum mortuis religiose iusta persolvere, & monimenta ponere. Atqui nisi ad mortuos hinc quidpiam pervenire arbitraretur, numquam (quod credam) tam religiose id caveret, atque sibi iuberet fieri, ut est apud Diogenem Laertium in Aristotelis vita scriptum, Quod si, ut idem est auctor libro X. *Ethicorum*, non tam interest, quid homines loquantur, quam quid sentiant faciantque: verisimile est Aristotelem insculptum animo habuisse, animos hominum ab obitu superesse, præsertim quum capite XIII. primi eiusdem libri (*ad Theodect.* inquam) ob eam caussam Antigonem laudans hoc ipsum naturæ lege constare dicat. Capite etiam IV. libri II. dignos esse, ait, qui ab omnibus diligantur, qui sunt in defunctos benefici. Et quæstione IX. sectionis XXV. *Problematum* eamdem sententiam probat, inquirens, cur vita defunctis subvenire in pretio habeatur.

Non

Non sum his, quæ commemoravi, contentus, quoniam etiam in libris, qui 1 *ad Nicomachum* scribuntur, ibi potissimum, ubi ab Aristotele exquiritur sedes, in qua beatitudo atque felicitas contemplativi hominis collocetur, eamdem mihi sententiam adserere & confirmare plane videtur: *Quod si felicitas est*, inquit, *operatio secundum virtutem, consentaneum est rationi secundum eam esse, quæ est in homine præstantissima: hæc autem eius fuerit, quod est optimum. Sive igitur mens sic hoc, sive aliquid aliud, quod natura dominari videatur, & imperare: aut quia divinum & ipsum est, aut quod eorum, quæ sunt in nobis, divinissimum: huius profecto operatio per virtutem propriam ipsa felicitas fuerit, beatitudoque perfecta.* Atqui si hoc in loco mentem, in cuius operatione constituit felicitatem eius hominis, qui procul a negotiis vitam agit, divinam appellat, quum rerum divinarum ea natura atque ingenium sit, ut numquam intercidant, aut mori possint, concedamus, obsecro, summum philosophum Aristotelem numquam animam deleri existimasse. Quam rem copiosius exaggerans inquit: *Talis autem vita superat hominis naturam. Non enim hoc ipso, quo homo est, ita vivit, sed quo est quid in ipso divinum.* Ne autem hinc discedam, hoc etiam mihi dicendum est, quod post paullo, laudes adhuc contemplationis perstringens, in hanc sententiam disserit: *Qui mente operatur, & eam colit, disponitur optime: at is amicissimus est diis immortalibus. Nam si dii (ut existimatur) rerum humanarum aliquam curam habent: consentaneum fuerit ipsos eo gaudere, quod est optimum, & maxime sibi cognatum (hoc autem ipsa mens est) & in eos, qui maxime hoc amant atque honorant, beneficia vicissim conferre, tamquam curam his, quæ sibi sunt cara, dili-*

1 Capite 7. lib. 10.

gentiamque adhibentes. Constat autem hæc omnia maxime in esse sapienti : amicissimus igitur sapiens ipse diis immortalibus erit. Eumdem autem conveniens est esse felicissimum. Hæc Aristoteles. Quæ nos tam anxie atque scrupulose referre operæ pretium duximus, quoniam præterquam quod opinioni nostræ magnam vim, ut apparet, atque pondus addunt, gravissimi philosophi verba non leve, ut opinor, momentum adferunt his, qui sapientiæ atque virtuti dant operam, ad quorum ille studium frequenter homines hortatur. Quid enim magis adduci potest ad informandam mentibus hominum summam virtutis caritatem, quam quod ex ea re hoc maxime consequi possint, ut Deo cari atque amici, efficiantur, idque operatione eius facultatis (mentis inquam) quæ maxime divina est : quod, æterna quum sit, intelligendi atque agendi munere fungatur, ad quæ duo potissimum, ut Aristoteles putavit, ut equus ad cursum, ad arandum bos, ad indagandum canis, natum esse hominem existimare par est : ut esset, qui terras tueretur, atque incoleret, quasi mortalis Deus?

In libris etiam *de* 1 *partibus* reddens rationem, cur homo pedum priorum vice brachia, &, quas manus dicimus, habeat, ita disserit : *Solus enim homo omnium animalium erectus est, quoniam eius natura atque substantia divina est.* Divini autem officium est intelligere atque sapere : quod non facile esset, si vasta corporis moles adsideret, pondus enim tardiorem reddit & sensum communem & mentem. Est enim hoc, ut id quoque referam, maximum argumentum immortalitatis animæ, quod Deum solus homo agnoscit. In mutis nulla suspicio religionis est, quia terrena prospiciunt. Homo ideo rectus cælum adspicit, ut Deum quærat. Potest ergo esse mortalis, qui immortalem desiderat?

non

1 Cap. 10. lib. 4.

non potest esse solubilis, qui cum Deo & vultu & mente communis est.

Parum ab his dissidet, quod in libris *de prima philosophia*, ea maxime parte, in qua sapientiam a physicis mathematicisque disciplinis discernit, ita refert: 1 *Circa separabile ens alia præter has ambas scientia est, si aliqua talis substantia est, dico autem, separabilis; & si qua talis in entibus natura sit, illic profecto divinitas erit.* Quod testimonium non facile refelli potest. Nam si divinitatem latere putat in ea substantia, quæ corpore absoluta est atque libera, quum multis rationibus convicerimus, hoc ipsum inesse hominum menti, ipsa sane mens maxime divina, immortalis atque æterna putabitur. Apertissimum præterea testimonium illud est, quod ex libro XII. capite III. *primæ philosophiæ* capi potest, quum Aristoteles inquit: *Si vero & posterius quidpiam permanet, considerare oportet. In quibusdam enim nihil prohibere videtur: veluti si anima tale sit non omnis, sed mens ipsa: ut enim omnis anima permaneat, fieri fortasse non potest.* Ne autem putet quispiam, aliorsum esse detortam a nobis atque deflexam sententiam, quam quorsum ab Aristotele prolata est, verborum series atque ordo facile monstrabunt. Dictum fuerat paullo ante, formales caussas simul esse cum his, quorum sunt caussæ: nam simul atque æneus globus est, rotunditas est, quæ globi est forma: item simul atque sanus quispiam est, sanitatem habet, quæ habitus quidam atque forma hominis est sani. *Ceterum*, inquit, *utrum formæ separatæ maneant, & post separationem persistant, magna quæstio est: in quibusdam tamen nihil prohibet, nam quum anima animatorum forma sit, profecto nihil obstat, quominus intellectus sive anima rationis com-*

pos

1 Cap. 6. lib. 10.

pos maneat : *animæ vero brutorum quoniam rationis expertes sunt*, *id fortasse non habent*. Cuius loci explicationem mutuo ab Alexandro accepimus, ut intelligat lector, vehementissimum esse testimonium, quod eversorem immortalitatis animæ vicit atque prostravit.

Rursum in eisdem 1 libris de divina mente disserens, eo perduxit orationem, ut diceret: *Omne quidem non habens materiam interire non posse*, *quod genus est humanus intellectus*. Quibus plane verbis omnem ambigendi rationem prorsus adimit. In tractatione præterea 2 *de partibus*, ubi rationem reddit, cur principium ab homine capiendum sit, in eamdem sententiam sic disserit: *Quæ una cum vita sensu etiam sunt prædita*, *hæc speciem multiformiorem numerosioremque varietatem recipiunt*, *& inter ea*, *alia aliis magis*, *& eo amplius*, *quod non solum vivendi*, *sed etiam bene vivendi rationem natura eorum obtinuit*, *quale hominum genus est* : quippe id unum ex omnibus animalibus nobis cognitis divinitatis est particeps. Et si verum est, quod Aristoteles testatur libro *de iuventa & senecta*, illud (inquam) interitu dumtaxat aboleri contingere, quod aut contrarium habet, aut ex contrariis constat: quum ostenderimus animam penitus simplicem esse atque immixtam, verisimile est, immortalem quoque atque æternam esse, Aristotelem existimasse. Si autem Aristoteles omnia cum vita exsitingui atque emori putavit, ut adversarii calumniantur, supervacanee nobis tot libros tam serio atque accurate scriptos reliquit, qui ad virtutis studium, & melioris vitæ cultum hortarentur. Nam si moritur anima, maxima erit profecto vanitas, obsequi velle virtutibus, quæ frustra homini calamitates, labores, & in summa miserias sunt adlaturæ. Nam si virtus est egestatem, exsilium, dolorem, mortem de-

1 Cap. 9. lib. 12. 2 Cap. 10. lib. 2.

denique, quæ timentur a ceteris, tamquam mala, virum bonum pati fortiter atque subire: quid tandem in se boni habeat, cur eam propter se ipsam expetamus, non video; supervacuis enim atque inanibus poenis delectantur, quibus licet tranquille agere. Si autem virtus capessenda est, quia constat ad eam nasci hominem, subesse debet spes aliqua maior, quæ malorum, quæ perferre virtutis est, magnum adferat strenuumque solatium: atqui nisi animi æterni sint, esse nulla potest.

Tot igitur argumentis Aristotelis sententia immortalitatem animæ adserere adnixi sumus, quorum vim tantam esse arbitror, ut nisi qui tam male in Aristotelem sit animatus, ut perspicuam manifestamque veritatem non videat, omnes plane existimaturi sint, constantissime credidisse, animos hominum manere post mortem. Et, ne plura complectar atque persequar, quæ sunt profecto innumera, si diligenter atque intentis animis Aristotelis scripta velimus perscrutari: unum mihi explicandum relictum est, quo (quemadmodum in bello fieri solet) ut firmissimo præsidio susceptam disputationem claudere visum est: quod ita concluditur.

Qui Deum immortalem curam atque rationem rerum humanarum habere putat, animos hominum a morte superesse, nec veluti damnatos capite cum corpore interire, existimare debet: sed Aristoteles providentiam & rerum humanarum gubernationem pio quodam studio in naturam induxit: conveniens ergo est dicere, æternam esse atque immortalem animam putasse. Satis hoc conclusum esse videtur. Quum enim potissima, ut videtur, atque optima providentiæ Dei pars sit, singulis hominibus conferre ita, uti meriti sunt, quod ne antiquos quidem homines latuit, qui Deum ipsum Nemesin (ut Aristoteles scribit libro *de mundo ad Alexandrum*) quoniam singulis pro merito distribuit, appel-

pellaverunt: quod fit, dum in sceleratos animadvertitur, virtus præmiis atque honoribus recreatur & alitur: si anima ratione prædita terminis dumtaxat vitæ circumscripta sit atque finita, pleraque hominum malefacta & flagitia perpetuo impunita relinquentur: contra vero plurima a virtute profecta opera citra præmium atque mercedem abirent, quod non solum divinæ sapientiæ atque iustitiæ non congruit, sed nec decet sordidum ullum abiectumque magistratum. Quis autem, si circumspectet, non videat perditos homines, raptores, avaros, invidos, in summa iniurios aliis, florere opibus, abundare facultatibus, longo comitum ordine constipari atque cingi, imperare præstantioribus, regnare denique sine periculo, aut, si malint, in tranquillitate atque otio cum dignitate vivere? Contra si reputes, magna atque excellenti virtute præditos, & quibus minima sit cum corpore contagio, quoniam *in* corporibus humanis (quantum homo adsequi potest) vitam deorum imitantur, passim raptari, iniuriis adfici, pessimis quibusque & corruptissimis servire, contumeliam denique ob egregiam virtutem illustriaque facta reportare: ac nisi tempus aliud atque locus a vita supersit, in quo scelerati homines poenas impietatis luant, & qui integre atque incorrupte vixerunt, mercedem dignam vita atque moribus ferant: præter hoc, quod magna rerum perturbatio consequetur, nemo quidem tam demens, aut tam stultus fuerit, cui suppetant animi ad peragendam, immo vero ad ingrediendam perdifficilem sane atque arduam virtutis viam, quum plane intelligat, virorum bonorum conditionem longe esse miserrimam: qua opinione nec sceleratius ullum fingi scelus potest, nec quod sit magis rationi contrarium. Nam quum eorum etiam iudicio, qui, ignorata vera religione, integre atque sincere philosophati sunt, probi homines cari Deo atque amici censeantur: per-

quam

quam absurdum atque impium erit, de Deo ita cogitare, ut quum sit princeps atque auctor bonorum omnium, si præter hanc vitam nihil supersit, familiaribus suis non tribuat, quæ omnium optima sunt atque iucundissima. Nunc vero quum brevi hinc commigrandum sit in liberum cœlum, tamquam in tribunal, in quo exactissima anteactæ vitæ ratio, & ad minimum (quod aiunt) quadrantem reddenda est: qui sancte atque incorrupte vitam agunt, hoc se potissimum etiam in summis miseriis & calamitatibus positi consolantur, tandem aliquando futurum tempus, in quo dimissis corporibus, quum æmulationum ceterarumque omnium adfectionum, quibus homines in vita divexamur, sint expertes, beati atque felices vivant.

Nunc vero paullo diligentius nobis monstrandum est, quod Aristoteles crediderit, Deum immortalem humanarum rerum curam atque rationem habere. Qua in re ob eam caussam accuratius atque libentius versabimur, quod intelligamus, multos non veterum philosophorum modo, sed etiam ex christianis, quasi male de providentia cogitarit, doctissimum atque optimum philosophorum omnium Aristotelem infamasse. Etenim superioribus priscisque temporibus, ut ex historiis accepimus, constans apud plerosque fama fuit, ut de immortalitate animorum, ita quoque de providentia & rerum gubernatione pessime Aristotelem sensisse. Quo nomine primum a Tatiano reprehensus est in oratione adversus Græcos: post hunc a Theodoreto *de curandis Græcorum adfectionibus* libro VI. post Theodoretum, etiam a Theophilo in his libris, in quibus de vero Deo cum philosopho disserit. Enomaus quoque Cynicus edito libello, quem *Indaginem veneficiorum* appellat, taxat Aristotelem, quod, ut sibi quidem videtur, providentiam abstulerit, ut 1 Theodoretus atque

R 2 Eu-

1 Lib. 6. *Græcarum adfectionum.*

1. Eusebius scribunt. Eodem praeterea nomine ab Attico vetere philosopho carpitur, ut est apud Eusebium scriptum: Idem quoque Aristoteli dat probro Clemens Alexandrinus libro V. *Stromatum* his verbis : „ Aristo- „ teli venit in mentem usque ad lunam deducere pro- „ videntiam ex illo Psalmi CIII. *Domine usque ad cae- „ lum misericordia tua, & veritas tua usque ad nubes.* " Excusat autem philosophum, quod nondum revelata fuerit Aristotelis temporibus propheticorum mysteriorum declaratio. Et ne in singulis recensendis immoremur, Basilius & Chrysostomus theologi summi, philosophi vero nec minuti, neque plebeii, aliquando hac caussa Aristotelem increpant.

Quamquam ab his quidem, quasi prorsus abrogarit atque abstulerit providentiam, reprehenditur: ab illis vero, quod tam maligne atque parce eius mentionem fecerit, ut eamdem intra caeli cardines continuerit. Mihi vero candidius in eam rem atque fixius intuenti nulla ex parte horum auctorum sententia probari umquam potuit. Et, si verum fatendum est, existimarim quidem, maximam eorum partem, qui philosophi haberi dicique ab omnibus voluerunt, cupiditate potius atque ira pessimis consultoribus impulsam impietatis notam summo philosopho inussisse. Quam mihi suspitionem movit Eusebius Caesariensis acerrimus fidei adsertor, & veritatis christianae gravissimus propugnator, in eo libro, quem saepe nominavi, adversus philosophos scripto: credibile inquiens esse Aristoteli accidisse, quod multis aliis quoque solet, nimirum ob amicitiam, quam cum principibus habuit, nec non admirabilem illam, qua excelluit, sapientiam, odio a sophistis, qui ea tempestate regnabant, habitum fuisse. Haec igitur caussa, ut conicio, fuit, cur Atticus [illegible] phi-

1 Cap. 6. lib. 6. *Praeparat. evang.* & lib. *adversus Philonem.*

philosophus atque Attici similes, quorum apud Eusebium nomina & Aristoteli obiecta crimina explicata sunt, scelestam atque impiam opinionem de eo invulgarint atque sparserint. At christianis auctoribus, si qui sunt, qui Aristotelem insimulent abrogatæ, aut elevatæ potius providentiæ, verisimile est existimare, aut graviorum negotiorum curis occupatis numquam vacasse ad libram Aristotelis æquis, quod ferunt, ponderibus veritatem examinare; aut, quod verisimilius crediderim, eo consilio atque animo ab eisdem hoc factum fuisse, ut aliqua ex parte auctoritas atque maiestas Aristotelici nominis elevaretur. Nam usquam adeo veteres homines suis Athenis, suo Platone, atque omnium maxime Aristotele gloriabantur atque superbiebant, ut, nisi hæc atque horum similia de his circumferantur, nulla umquam ratione cum reliquis possit effici, ut Graios, quod dicitur, obliti, christianæ veritati atque doctrinæ velint attentius animum præstare. Nam si impudentissimum Hieroclem inani quadam æstimatione philosophiæ eo dementiæ legimus pervenisse, ut magum atque impostorem Tyaneum humanæ salutis adsertori conferre, immo vero præferre non erubuerit, quid existimare de ceteris convenit? Vt verum sit, quod a Platone gravissime scriptum est: *τυ φλὸυται γὰρ τὸ φυλον περι του φυλομένου*. Et fuit, me hercule, facile in tanta obscuritate & copia scriptorum Aristotelis similes coniecturas invenire, quibus calumniatores (veteres inquam philosophi) abunde satis putarent Aristotelis gloriam obscurari posse, & pæne deleri. Atqui tantum abest, ut horum insimulationes, calumniæ atque imposturæ nomini Aristotelico offecerint, ut ego certo credam, hac via atque ratione magnum ad eius laudes cumulum accessisse. Vt tamen veritas, cuius ego professionem honestissimam esse duco, planius constare possit, loci sunt mihi leviter attingendi, in quibus gubernationem rerum

& providentiam Aristoteles adseruit. Et quamquam apud bonos iudices satis habeant firmitatis vel testimonia sine argumentis, vel argumenta sine testimoniis: nos tamen non contenti alterutro sumus, quum suppetat nobis utrumque: ne cui perverse ingenioso aut non intelligendi, aut contra disserendi locum relinquamus.

Primum tamen omnium, quoniam gravissimorum hominum auctoritas, ut Cicero explicat, ad eam sententiam, quam volumus obtinere, & solet, & debet valere plurimum, testem huius sententiæ facio Theophrastum divinum hominem in dicendo, scholæ Peripateticæ post Aristotelem principem atque heredem: post hunc Ammonium atque Themistium, postremo Alexandrum Aphrodisiensem: ii enim omnes plane atque intrepide adfirmant, principem philosophorum Aristotelem rerum gubernationem & providentiam concessisse. Quod ubi considero, non possum non magnopere mirari, Alexandrum Aphrodisiensem concessisse exstingui animum cum corpore, Aristotelem putasse, quum multis locis non obiter, ut aliquando fit, sed accurata potius oratione rebus mortalium adserat Deum providere: ut in libro, quem *de providentia* scripsit, & in quæstionibus naturalibus & moralibus non semel. Nisi quod, ut ego mihi persuadeo, in explicanda Aristotelis de animorum immortalitate sententia Alexandro perinde evenit, atque illis philosophis, qui non rebus, quæ natura efficiuntur, rationes accomodant, sed contra potius faciunt. Nimirum quoniam consignatum atque impressum in animo habuit una cum corpore animam exstingui, in eam rem sedulo atque studiose incubuit, ut gravissimum philosophum, quo iure quaque iniuria in sententiam suam pertraheret: quum æquum potius fuerit accurate & diligenter doctoris scriptis insudare: ita enim fortasse didicisset, veritatis studio, quam Aristoteles rebus omnibus anteponendam esse

cen-

censet, propriam sententiam exuere, atque procul abiicere. Quod si Plato ut adsertor providentiæ a multis laudatur, tantum quod semel aut iterum, idque nullam adhibens rationem, Deum esse principium, medium atque finem rerum pronuntiarit: quid vetat, cur non Aristoteles si non primus, secundus saltim a Platone haberi hac parte debeat, quum non semel, ut Plato, sed frequenter quidem, cumulate atque copiose eam sententiam expresserit, & multis persuaserit?

Nam, ut hinc exordiar, in libro *de mundo ad Alexandrum* perspicue & citra omnem ambiguitatem rerum procurationem curamque concessit Deo. Primum quum inquit: *Pervetus sermo est, & quem homines cuncti a patribus acceperunt, omnia ex Deo & per Deum nobis constare, neque ullam esse naturam, quæ sibi per se sufficiat divina ope atque auxilio destituta. Qua ratione ducti veterum quidam dixerunt deorum plena esse omnia. Præterea Deus cunctarum rerum haud dubie servator est & parens.* Et post paullo: *Pontentiam igitur divinam in cælo residentem longissime etiam distantibus, &, ut semel dicam, omnibus rebus salutis auctorem fieri, quod decet, ac Deo maxime congruit, existimare par est.* Item: *Honestius est & magis decorum, Deum excelsissimo in loco sedere, eius vero potentiam omni mundo consertam solem lunamque movere, totum denique cælum circumagere, & terrestribus caussam esse salutis.* Rursus: *Natura divina de simplici uno motu primi corporis virtutem proximis distribuit cum remotioribus, quousque totum obierit.* Item: *Quemadmodum in choris incipiente duce carminis, qui coryphæus appellatur, totus chorus concinit virorum interdum & mulierum diversis vocibus acutioribus gravioribusque unum suavem concentum temperantium; sic de Deo, qui universi procurationem habet, sentiendum est.* Ad hæc: *Vt accidit in eis, quæ solent fieri in bello, ita quoque de universo cogitandum*

est.

est. Nam quum omnia ab una vi dirigantur, suo quæque funguntur officio: quamquam virtus illa moderatrix non apparet, quod neque ipsi obstat ad efficiendum, neque nobis ad credendum obesse debet. In relatione præterea nominum divinorum inquit: *Recte etiam dicitur salutis & libertatis auctor.* Deinde: *Ad hanc igitur rationem Deus, qui omnium rerum concentum atque salutem continet, in mundo sese habet.* Postremo tandem absolvens disputationem de mundo susceptam, inquit: *Deus igitur, ut veteri sermone traditur, quum omnium rerum principium, finem mediumque teneat, recte semper secundum naturam incedit.*

Quæ cum considero, vehementer mirari soleo eorum philosophorum temeritatem, aut ineptias potius, qui Aristotelem defendunt divinam providentiam non ultra cæli terminos porrexisse. Sed ne quispiam uno tantum, aut altero loco expositam ab eo putet fuisse hanc de rerum humanarum cura sententiam, ea mihi testimonia repetenda sunt, quæ in aliis voluminibus reliquit: sunt enim hæc ne pauca quidem, neque obscura: nam de cælo disserens ita refert: 1 *Finis universi cæli, ac finis is, qui tempus totum infinitumque continet, sempiternitas est, a semper essendo appellatione sumta, immortalis sane atque divina. Unde & ceteris omnibus aliis exactius, aliis offuscatius esse vivereque dependet.* Eamdem quoque sententiam libro II. cap. II. de astrorum motu disserens exponit inquiens, natura ipsa providente rebus futuris, effectum quidem esse, ne proprio suoque motu astra moverentur. Naturæ vero appellatione Aristoteles Deum significare nobis consuevit observantem in rerum productione ordinem quemdam. In 2 *Metheorologiæ* etiam commentariis: *Universus*, inquit, *mundus, qui terram ambit, ex quatuor cor-*

po-

1 Cap. 6. lib. 1. 2 Cap. 2. lib. 1.

poribus constitutus est, in quo adfectiones, quæ evenire soleant, exsistere adfirmamus: siquidem necesse est, illum summi cæli conversionibus esse proximum, ut omnis eius facultas inde constituatur atque regatur. In *Eudemiis* vero exactius mihi visus est hanc ipsam opinionem explicuisse, quum inquit: 1 *In universo quidem est Deus, & vicissim cuncta in illo, moventur enim omnia ab inexsistente in nobis numine.* Quod non longe abhorrere videtur ab eo, quod Paullus Apostolus dixit, usurpatum etiam a veteri poeta: *In ipso vivimus, movemur, & sumus.* Quid illud, quod in *Ethicis Nichomachiis* scribit? 2 *Deum*, inquam, *ut existimatur, rerum humanarum curam habere?* An exigui ponderis atque momenti est? Non puto. Firmissima quoque ad veritatem adserendam ratio illa est, quam in libro de *Republica* de magnitudine civitatis disserens ita explicat: 3 *Lex ordo quidem est, recta autem legum institutio, ut ordinatione recta sit, necesse est: at nimius numerus ordinem tenere nequit, hoc enim divinæ potentiæ, quæ hoc universum continet atque regit, munus est.* Et quidem quum Aristoteles capite ultimo libri primi *de partibus animalium* Heracliti dictum celebret, quia quum in casa furnaria caloris gratia sederet, atque intelligeret, quosdam, quum adloqui eum vellent, accedere temperasse, fidenter eos ingredi iussit: *Ne huic quidem loco*, inquiens, *dii immortales desunt*: dubitari non potest, quin probarit vim divinam, quæ cuncta moderetur & regat, undique diffusam esse atque consertam. Quid multis moror? Nonne quum res naturales alicuius gratia agant, quod sane constat, quia aut semper, aut magna ex parte simili ratione operantur (lib II. c. V. & VIII. *Physic.*) necessario Aristoteli concedendum

1 Lib. 7.
2 Lib. 10. cap. 8.
3 Cap. 4. lib. 7.

est, Dei providentiam atque consilium per omnes naturæ partes sparsum esse, ut ab una vi ipsarum operationes motusque dirigantur? Quæ quia partim cognitione vacant, partim mente atque ratione: finem, quem adfectant, intelligere nequaquam possunt. Neque est quispiam tam rudis, aut tam ferinis moribus institutus, qui si per naturam ipsam animum cogitationemque convertat, tametsi nesciat, cuius Dei providentia regatur, ex ipso rerum motu, ordine atque constantia non aliquam eamque maximam providentiam agnoscat. Neque fieri potest, quin id, quod mirabili ratione constat, consilio sit quoque effectum maiori. Rursum quum libro XII. capite ultimo *primæ philosophiæ* ita concludat: *Entia non volunt male gubernari: non est autem bonum pluralitas principatuum, unus ergo princeps*: verbis perspicuis concedit, res naturales divina providentia consilioque gubernari.

Præterea ratione ex principiis Aristotelicis sumta, sententia ita confirmatur. Deus & natura nihil frustra, nihil temere, nihil denique inconsulto agunt: ergo provide omnia & magno consilio. Ratiocinatio efficacissima est, quum a contrariis ducatur: adsumtum vero est Aristotelis multis sane locis, maxime vero cap. VIII. lib. II. *de Physica auscultatione*, ubi non obiter, uti plerumque fit, sed ex professo rem istam tractat. Demum si Aristoteles credit, Deum immortalem rebus humanis nullam curam neque rationem impendere, aut quod vult, & non potest: aut potest, & non vult: aut neque vult, neque potest: aut vult & potest. Velle autem & non posse, Aristotelem putasse, absurdum est, esset enim imbecillus Deus, quod Aristoteles numquam existimavit, quum plane multisque 1. locis concedat, vim divinam nullis esse finibus circumclusam, sed per

1 *Libro de Mundo ad Alexand.* 8. *Phi.*

per omnia commeare, omnia attingere, atque in opere conficiendo nulla ratione defatigari: non enim opus habet, ut inquit, excogitatis machinamentis, aut ullo ministerio, quod tamen nostri ordinis principibus evenit, qui propter imbecillitatem virium multorum auxilia desiderant: id enim ipsum maxime divinum est, ut simplici motu multiplicia rerum genera conficiat. Si, quum possit, non vult, invidus profecto erit alienæ felicitatis, quod æque a Deo alienum est: est enim hic adfectus hominum improborum: impium præterea, & Deo maxime indecorum atque indignum, præsertim quum ab Aristotele credatur auctor esse atque princeps rerum omnium longe optimus, & perinde benignissimus. Si neque vult, neque potest, imbecillis erit, & præterea invidia tangetur: quare neque Deus censeri debet. Reliquum ergo est, & posse, & velle. Quare curam gerit, & procurationem habet rerum ad homines pertinentium: siquidem nihil est, cur non eisdem provideat, atque impendat studium.

Ne tamen quidpiam a nobis prætermittatur, quod fidem possit etiam apud pertinaces efficere, illud silentio prætermittendum non esse duxi, quod Marcus Tullius libro II. *de natura deorum* disserens inquit. Is einim eo loco ex contemplatione pulchritudinis atque ordinis universi providentiam et gubernationem testatur Aristotelem collegisse. Atqui huiusmodi argumentum, tametsi diligenter Aristotelis scripta evolvas, nusquam sane possis reperire in his libris, qui Aristotelis nomine passim circumferuntur, ut plane constet, nisi plurima scripta Aristotelis intercidissent, proculdubio habituros nos apertiora multo testimonia, quibus nostram istam sententiam confirmaremus. Interim tamen, quæ explicuimus, satis esse putemus, ut credamus, Aristotelem existimasse, Deum immortalem res omnes mortalium providentia sua gubernare atque tueri: &

proinde, quod initio disputationis proposueramus, animos hominum quasi capite damnatos minime quidem morte mulctasse: quin immo existimandum est omnino, sibi persuasisse, aliis vero probabilem efficisse immortalitatem animorum. Et quidem nisi mendacium tam pertinaces atque protervos habeat defensores, ut veritatem ipsam in media luce positam non cernant, aut cognitam pro nihilo ducant, facile arbitror concessuros superiorum argumentorum dignitati.

Nunc sedulo nobis danda opera est, ut quæ adversus hanc sententiam comprehensam animo, & ratione determinatam ab adversariis atque hostibus veritatis obiici possunt, diluamus, ut non modo rudibus hominibus, qui quibusvis facile offendi solent, hac via ac ratione consulamus, sed opinionem quoque nostram efficiamus pleniorem firmioremque. Etenim, ut in libro *de cælo*, atque aliis 1 locis Aristoteles admonet, controvertentium argumentis contrariorum rationum pondera atque momenta maxime apparent, parandæ enim facultatis initium difficultas est, & quædam ad disciplinam capessendam via. Insuper: *Et dicenda magis credentur, si earum sententiarum, quæ in controversiam veniunt, iura prius fuerint audita: absentes enim condemnari minus utique videbuntur.* Nam omnes, qui satis iudicaverint veritatem, non adversarios, sed arbitros esse oportet. Quod si arbitrium integre atque incorrupte exercendum est, fuerit sane consentaneum, captiosam prius adversariorum invicemque pugnantium audire sententiam. Verum in ea re modus nobis tenendus est: quoniam si is, ut vulgo dicitur, in omni negotio est optimus, in disputatione & controversiis proculdubio observandus est maxime. Quam ob rem ea, in quibus perquam exiguum faciendæ fidei momentum situm esse intelle-

xe-

1 Lib. 1. cap. 11. *Eudemiorum*: cap. 1. lib. 3. *primæ philosophiæ*.

xerimus, prætergressi (quod aiunt) tamquam foveam, quæ negotium exhibent, tantum persequımur. Etenim omnes omnium opiniones perpendere atque excutere, ut [1] Aristoteles inquit, supervacaneum est: neque decet ullo pacto ex insipientium sermone pendere sapientem, quandoquidem & ægrotis & deliris quædam videantur, quæ nemo sanæ mentis curare debeat. Minime enim ratione opus est ad convincendas huiusmodi opiniones ineptas admodum atque absurdas, sed his quidem animadversione politica, illis integra valetudine. Satis autem videbimur fecisse, si persequuti simus, quæ ratione ulla nitantur, aut quæ maxime exstant; ne, quod plerumque fit, aut auctoritas eius, qui sententiam attulit, aut fallax sane atque apparens ratio lectori ulla ex parte incommodet atque officiat. Et quoniam initio huius controversiæ Alexandri opinionem, qua se nonnulli tutos arbitrabantur, fregimus atque imminuimus: tantum nobis res erit in posterum cum his, qui Aristotelem putant secum pugnare mirabiliter. Verum quum horum bonam magnamque partem obiter quidem, & veluti aliud agentes perstrinxerimus, nihil nobis cum his negotii amplius erit, sed difficiliora quædam atque ardua magis persequemur: atque in his tota nostra ponetur atque versabitur oratio.

Initio vero, ut hinc auspicemur, lector mihi admonendus est, nullum nobis aut perquam exiguum negotium facessere, quod in libris *de Republica* Aristoteles scribit, animam ipsam, ut cetera omnia, suum habere senium: nam, tametsi senectus proxima sit ad mortem via, non est in eam sententiam dictum ab Aristotele senescere animam, quod intellectrix anima ipsa senescat, sed quia, ut in commentariis [2] *de Anima* ex-

[1] Cap. 4. lib. 1. *Ethicor.* 1. *Top.* cap 9. lib. 1. *Eudemior.* 1. *de partibus* cap. 2. lib. 1. *de plantis.*

[2] Lib. 2.

ponit, deficientibus instrumentis corporis senectutis vitio, usus quoque rationis atque intellectus infringitur, ac mens ipsa, quæ sensuum organis tamquam internuntiis ad intelligendum utitur, quasi senescit. Vnde proverbio usurpatum est: *Bis pueri senes.* In quam quidem intelligentiam in libris *de Republica* effetos cives appellat Aristoteles, quibus vires aut corporis, aut mentis non suppetunt ad gerendum magistratus, & munera reipublicæ subeunda. Eodem plane pertinet, quod libro VII. cap. XVI. *de Repub.* disserens, quo potissimum tempore conveniens sit virum atque uxorem liberorum studium missum facere, ita inquit: *Illud maxime tempus probandum est, in quo maxime intelligentia viget in nobis, quod in plurimis est circiter annum quinquagesimum: seniorum enim fetus, quemadmodum iuniorum, imperfecti sunt & corporibus & intellectibus. Vt enim homines ob temperamentum tactus prudentissimi sunt animalium omnium, ita quoque huius organi caussa alii hebetes sunt, alii ingenio valent. Qui namque sunt molli carne præditi, sanguineamque sortiti naturam, ii sunt ingeniosi, menteque dextri: carne vero duros ineptos mente esse, non solum philosophia, sed rerum quoque usus declarat.*

Lentius disputatur adversus Aristotelem, quod in commentariis *de* 1 *Anima* videri dixerit, omnes adfectus communes esse corpori atque animæ, quum nodum hunc statim abscindat, quosdam adfectus inquiens proprios animæ apparere, ut intelligere & contemplari. Illud quoque, quod in eisdem libris scriptum est, intellectualem animam una cum reliquis corporis esse aliquid: & præterea in disputatione *de* 2 *partibus animalium* quod inquit, naturalis philosophi interesse de anima omni, aut tali disputare, perquam exigui momen-

1 Cap. 5. lib. 1.

2 Cap. 1. lib. 1.

menti esse ad infringendum sententiam puto. Non enim obscurum est, in negotio de partibus duas tantum animas credidisse Aristotelem ad philosophum naturalem pertinere. Nam quum intellectualis vocata suapte natura atque substantia a corpore & magnitudine sit absoluta, extra ceterarum aleam erit, ut gravissime loco citato demonstrat. Sed quoniam anima, quæ ratione prædita est, vitam corpori impertit, & vegetalis atque sensificæ animæ partes agit, & munia atque officia exercet: quodammodo & quadamtenus a naturali philosopho consideratur, siquidem operatur in corpore, cuius actus atque perfectio esse dicitur: est autem eiusdem disciplinæ actum & potentiam contemplari, animam & corpus: quoniam sunt hæc ex eorum numero, quæ ad alterum dicuntur esse. Quum enim anima ipsa bifariam consideretur, uno modo, ut anima est, vitamque corpori impertit (quo intellectu libro II. *de anima* una cum ceteris animæ partibus ab Aristotele diffinitur & ab eodem passim ψυχὴ vocatur) alio modo, ut mens est, qua significatione νοῦς appellatur: ista secunda intelligentia anima hominis nec pertinet ad philosophum naturalem, nec cum vegetali atque sensifica definitur. Ad hoc autem indicio nobis erit Aristoteles, qui finitionem animæ communem esse omnium eius partium adfirmat, quamquam non eadem prorsus ratione. Duæ namque priores *altrix* & *sensitiva*, quoniam substantiam habent omnino coniunctam cum corpore, actus corporis appellantur, ut scientia; rationalis vero, ut contemplatio. Si quid autem usquam, illud maxime pugnare nobiscum videtur, quod sæpe dictum est ab Aristotele in commentariis *de anima*, intellectum, inquam, non fieri sine imaginatione. Nam quum imaginatio sic corpori adfixa sit, ut ab eo minime absolvi possit: si intellectus sine imaginatione non fiat, videbitur fortasse cuipiam non posse exsistere absque corpore. Verum

si

si rem ipsam altius excutiamus, & penitius velimus contemplari, facile quidem constabit, ne hoc quidem loco magnum Aristotelem secum dissentire: quin immo hac parte maxime constare sibi atque similem esse. Fatendum quidem est, si quidpiam cognoscat intellectus, quum exsistit in corpore, id ipsum non sine imaginatione intelligere, quum Aristotele auctore per externos sensus tamquam per fenestras quasdam animæ simulacra rerum in animum inferantur. Contingit enim, sicut præcipit Aristoteles, idem effectus intelligendo, qui describendo. Nam licet, quod quantitas trianguli sit definita, ad nihil nobis accommodatur, ipsum tamen quantitate definitum describimus: eodem quoque modo intelligens etsi non intelligat quantum, quantum tamen ante oculos ponit, sed non intelligit in eo, quod quantum: quin immo intrans animus res, earum substantiam & quidditatem eruit, sibique in lucem depromit. Igitur quum, referente Aristotele, aliud sit ad imaginationem pertinere, aliud non esse sine imaginatione: & rursus visum intelligere (ita enim Cicero phantasiam appellat) & non sine visis, alterum enim sensus proprium est, alterum menti tribuitur: intelligibilia sane non sine imaginatione prospici posse atque cognosci, libenter quidem agnoscimus & fatemur, quod necesse sit phantasmata inspicere atque speculari earum rerum, quas cognitione atque intellectu adsequi in animo est nobis: idque ob eam caussam potissimum evenit, quod intelligendi vis una cum sentiendi facultate coniuncta sit, quæ est in corpore collocata, atque omnino in eo ipso versatur. Quare nihil est, quod opinioni nostræ obesse ulla ex parte possit, eorum præsertim, quæ velut in aciem deduximus: nam quum mens phantasmata explicet, & quasi nudet, ut inde quidditatem rerum, rationem atque substantiam capiat idoneam, ut in intellectu potentia collocetur: existimare

par

par est, suapte natura minime visis indigere, sed id illi accidere ex ea, quam cum corpore habet familiaritatem & communionem: quamobrem ubi contigerit liberari atque absolvi a corpore, quum nihil iam sit, quod impediat, aut perturbet intelligentiam, multo defecatius, purius atque sincerius munere defungetur suo, quam ubi in corpore exstitit.

Violentius fortasse videri posset ad subvertendam sententiam nostram tot ac tam validis præsidiis corroboratam atque munitam, quod ex capite III. lib. VI. *Nicomachiorum* capi possit argumentum, ubi ita disseritur: *Nihil post homini mortuo aut bonum, aut malum esse videtur*: nisi cap. IX. lib. I. tam aperte, ut a nemine citra flagitium refelli queat, confessus esset, ad mortuos aliqua ex parte res amicorum pertinere, & nisi verborum consequentia atque ordo hanc, qualiscumque illa sit, ambiguitatem dissolveret: *Mors*, inquit, *circa quam fortitudo versatur, omnium terribilium maximum est, quia vulgo una cum corpore res omnes tam prosperæ, quam adversæ exstingui videntur.* Quam ille sententiam minime sane probat: est tamen eorum hominum, qui ubi in periculis constituti positique sunt, vivendi cupiditate illecti, aut desperatione pertracti summum in morte malum collocatum putant. Simile est huic, quod *Eudemiorum* lib. VII. inquit: *Mortuos nihil omnino cognoscere, vulgi enim, id est, rudium atque imperitorum hominum ista sententia est, non prudentium, & recte atque incorrupte de rebus iudicantium.*

Non desunt autem, qui (ut hoc quoque referam) cap. ultimo lib. I. *de Cœlo* violentum atque palmarium, ut sibi quidem videtur, adversus hanc opinionem argumentum capiant. Nam quum eo loco disputans Aristoteles de mundi primordiis contra Platonem præceptorem suum, qui universitatem rerum putavit habuisse, quum numquam aboleri funditus possit, tamquam omnium

mnium

mnium hominum, præsertim vero philosophorum opinione atque sententia constitutum accipiat, id quod genitum est, ut perpetuum sit, nulla ratione fieri posse, sed aliquando tandem desiturum: verisimile est existimasse, animos hominum morte deleri, quos ille coepisse aliquando putavit. Rursum quum anima neque semper sit, neque semper non sit, referente Aristotele, erit aliquando, & aliquando non erit: sed quod habet hanc naturam atque ingenium, necessario corrumpi debet: anima igitur erit, Aristotelis opinione, mortalis. Verum his atque horum similibus, quæ mediocriter ingeniosum atque versatum in Peripateticorum disciplinis excogitare parum est negotii, si paullulum aliquid intendamus animum, occurrere difficile non est. Nam quum ea, quæ fiunt, bifariam contingat fieri: aut enim simpliciter fiunt atque proprie, ut quæ de potentia materiæ in actum tamquam in lucem extrahuntur: aut alio quopiam modo in corpore continentur: sane quod Aristoteles disputat his locis, ad prius illud rerum genus referendum est. Nam quod huiusmodi naturæ est atque ingenii, quemadmodum vi & facultate agentis naturalis in conspectum hominum revocatur, ita quoque eiusdem virtute aliquando corrumpitur. Qua quidem intelligentia Platonem putasse universitatem rerum initium habuisse Aristoteles accipit eo loco. Sed quum humana mens ea ratione minime generetur, neque quidpiam habeat cum materia corporeque commune, siquidem extrinsecus accedit, atque Dei iussu et imperio in corpore collocatur, ab hac pernitiosissima labe longissime aberit. Illa præterea in contrarium adducta divisio dumtaxat in eas res quadrat, atque illis accommodatur, quæ simplici generatione ortæ sunt, atque exstiterunt.

Sed scio adhuc fore, qui obiiciant: si anima sit immortalis, & mundus nullo tempore coeperit, infinitudinem animarum exsistere, ad cuius vel solam memo-

riam

etiam Aristoteles, ut aiunt, proculdubio exhorresceret; qui tot locis in id unum nervos omnes intendit, ut constitueret, planumque hominibus faceret, infinitum exsistere in natura rerum non posse: atque ideo sibi persuadeant, una cum corpore humanam animam absumi atque deleri. Qui si altius rem ipsam fuissent contemplati, numquam, quod credam, huiusmodi argumento perturbarentur. Fatendum sane est, si, quod Aristoteles vult, verum esse dicamus, immensum atque infinitum animarum numerum in natura rerum collocari: verum quum singulæ corpore vacent, nihil quidpiam ea ratione adversus Aristotelem efficitur. Nam quibus is locis infinitum esse negat, eius sane mentionem facit, quod corporatum est, & materia constat: ut facile intelligere potest, qui, quæ de ea re ab eo disputata sunt, sedulo atque diligenter evolverit.

Si quis autem roget, quo loco Aristoteles animas constituat solutas a corpore, si numquam emoriuntur, huic ego non facile possim roganti respondere, immo vero ne Aristoteles ipse quidem, si revixisset. Si tamen coniecturis fides habenda est, ea ratione quærenti satisfaciemus quodam modo: Aristotelem, inquam, fortasse sensisse, quod & Plato putavit, animas proborum hominum corporibus liberas in supremum cælum, tamquam in suas sedes commigrare. Ita enim sentire videtur cap. IX. lib. I. *de cælo*, quum ait: *Vltimum enim superumque corpus cælum maxime consuevimus appellare, in quo & universum divinum dicimus esse, hoc est, in quo inexsistit omne id, quod conditionem eam atque naturam est adeptum, ut mori nullo pacto possit: immortale enim*, ut idem inquit, *immortali accommodatur*. Præterea quum dicat, neque apta esse ea, quæ illic sunt, supremo inquam in cælo, in loco esse, neque tempore senescere, nec ulla ratione mutari, quin immo optimam & sufficientissimam in universa sempiternita-

tate vitam habere: dubitari non debet, præter divinam naturam, in supremo cælo spiritus quosdam alios collocasse, angelos videlicet atque hominum animos, eductum, ut dixi, a Platone præceptore, qui in *Timæo* animas hominum corporibus ereptas atque expeditas uti vinculis quibusdam, in liberum cælum tamquam in propria domicilia abire testatur. Cuius sententiam Cicero in *Somno Scipionis* & libro *de universitate* sequutus fuisse atque explicuisse mihi videtur. Neque ego ulla ratione adduci possum, ut credam (quod video a quibusdam etiam doctis hominibus mordicus defendi) animam rationis compotem, si immortalis Aristotelis opinione ponatur, præter naturam extra corpus exsistere. Hoc enim ab omni ratione alienum mihi sane videtur. Nam alioqui concederemus, quod est præter naturam & quodammodo coactum durare perpetuo: quod Aristoteles negat, & ab omni philosophia atque ratione abhorret; aut dabimus, Aristotelem resurrectionem corporum divinasse. Nam si anima præter naturam extra corpus exsistat, exsistet in corpore secundum naturam, eodem philosopho auctore: quare explebitur aliquando animæ libido, tunc scilicet, quum in corpus redierit, unde abierat. Quum autem laboriosum sit animæ in corpore esse, atque insuper maximopere fugiendum, ut Aristoteles testatur libro I. *de Anima*, mens ipsa natura sua exsistet extra corpus. Si quis autem obiiciat: si anima de potentia materiæ non educatur (quod sane concedit, qui illam immortalem facit) consequi necessario, eam ipsam creari, quod Aristoteles plane negat una cum ceteris philosophis, qui constantissime defendunt, ex nihilo nihil omnino fieri posse: hanc nos obiectionem facile diluemus, si intelligamus, illo loco Aristotelem dumtaxat negasse, rem quampiam naturalem creare alteram posse: quod illa ratione potissimum constat, quia alioqui virtutis esset atque potentiæ infinitæ. Hoc autem argumentum,

tum ; atque ratio adverſus Deum nullam vim habet, qui ab Ariſtotele octavo libro *Phyſicorum* infinitus facultate atque potentia demonſtratur. Simpliciter enim atque infinite, ſi quæſtionem conſideremus propoſitam, negare nullo pacto poſſumus, quin Ariſtoteles creationem admittere debuerit. Nam materia prima, ex qua cuncta confecta ſunt, atque etiam intelligentiæ, quas Ariſtoteles pluribus locis concedit, quum nulla alia ex re ortum habuerint, ſunt quidem etiam Ariſtotelis opinione creatione effectæ.

Verum ut deſinant tandem præpoſteræ infauſtæque aves Ariſtoteli obſtrepere, viſum eſt, hoc loco illud quoque ſilentio minime prætermittere, quod apud eumdem libro *de longitudine & brevitate vitæ* in hanc ſententiam diſſeritur: animam videlicet, ſi concludatur in corpore, ut peritia exſiſtit in anima, ſentire debere aliud genus interitus, quam quod ſentit, quæ eſt ut forma in corpore contenta. Etenim quamquam leviter inſpectantibus ſignificare Ariſtoteles videatur, animum hominum mori, licet alia ratione, quam quæ exſiſtunt in corpore, ut formæ, quæ corrupto corpore corrumpuntur: mehercle nihil quidquam de obitu humanæ mentis conſtituit, ſed hoc unum teſtatur, animam rationalem non obire cum corpore: quod ſi mori debeat, aliud genus mortis ſubituram, quam quod ferunt ea, quæ per accidens exſtinguntur. Verum quum nos multis maximiſque argumentis animam effecerimus Ariſtotelis ſententia immortalem: profecto his verbis fruſtra perturbabimur.

Quare quum nihil ſit, quod nos arbitrari cogat, de æternitate animorum hæſitaſſe Ariſtotelem, quod ego iam olim mihi perſuaſi: ut enim nullam adferret rationem (utar enim his verbis, quibus Cicero Platonem ſuum laudat) *vide quid homini tribuam, ipſa auctoritate me frangeret*: peſſime omnium facere videntur, qui non tam in Ariſtotelis contumeliam, quem elegantiſſi-

me Erasmus mundum disciplinarum esse voluit, quam communis philosophiæ studii, tam insigne de summo philosopho iactant mendacium. Quos ego vehementer cuperem mutare sententiam, non solum quod ad animorum immortalitatem, cunctarumque rerum providentiam & gubernationem attinet, nam hæc quidem omnino esse vera & consentanea Aristotelis opinioni magna copia testimoniorum videmur demonstrasse: sed etiam quod ad arbitrii libertatem, unitatem Dei, atque hominis felicitatem spectat. Scio enim fuisse nonnullos, ut sibi quidem videtur, non parum feliciter in lectione atque studio Aristotelis versatos, qui hoc quoque nomine summum alioqui philosophum reprehendunt, qui opinione mea nullo evidentius argumento declarant, se ne de facie quidem Aristotelem cognovisse, aut perparum profecisse in eius doctrina, quam dum sic insigniter de eodem mentiuntur. Nam quid, obsecro, magis a dogmatis Aristotelicis abhorret, quam deorum multitudo, & humani arbitrii servitus? An est quidpiam apud eumdem tam certo definitum constitutumque, quam quod summum hominis bonum, quod appellamus felicitatem, attingit? Quamquam autem ipsa scriptorum Aristotelis series vel leviter inspectantibus (modo adfectus cæci paullulum seponantur) convincat, procul ab hoc errore & deliramento Aristotelem fuisse: iuvat in studiosorum gratiam pauca quædam repetere, quibus plane atque omnino fidem faciam, perfectæ naturæ specimen Aristotelem ductu naturæ, quam optimam quidem felicissimamque sortitus est, ab ea se nota atque infamia vindicasse, quam deplorata quædam ingenia nulla sane ratione eidem inusserunt.

Sumam autem initium huius meæ disputationis ab arbitrii libertate, quam in homine agnovisse, si nullum aliud testimonium haberemus, locupletissime testatur, quod ille libro *de Interpretatione* de futuris contin-

tingentibus accuratissime disserit, funditus tollens ipsorum certitudinem, magno quidem rationum apparatu humanas actiones esse liberas atque ab omni prorsus necessitate immunes, quum sint positæ in nostra potestate. Quarum rationum vim atque momenta dum Alexander Aphrodisiensis explicare studet, iustum volumen confecit, quod *de fato & libero arbitrio* inscripsit. Easdem etiam magna ex parte sequutus GENESIVS SEPVLVEDA doctorum omnium longe doctissimus luculenter simul atque uberrime contra Martinum Lutherum pestilentissimum hominem disputavit, qui votis omnibus concupivit arbitrii libertatem exstinguere, immo vero hominem ex homine tollere. Nam quid supersit, quo censeatur homo, si more brutorum cæco adfectu feratur, ego sane non video. Præterea quorsum attinet infinitis pæne locis de possibili & contingenti, voluntario atque involuntario disputare, si nihil in nostra potestate situm est, sed omnia fato atque inevitabili necessitate reguntur? Quum autem libro VI. *de prima philosophia*, & in sermone *de futuris contingentibus*, aliisque locis aperte fateatur, homines esse actionum suarum dominos, nulla ratio est, cur quispiam debeat, aut possit Aristotelem reprehendere, atque in peiorem partem rapere, quæ ille de libertate arbitrii tam accurate scripsit, & luculenter pronuntiavit. Quo loco non possum satis mirari Marcum Ciceronem Aristotelici nominis perquam studiosum ita fuisse adlucinatum, ut adfirmaret libro *de Natura deorum III.* Aristotelem fuisse adsertorem fati, & providentiam atque arbitrii libertatem penitus sustulisse. Nullam enim rationem esse video, qua tam insignis orator persuasus tam acerbam notam Aristoteli inusserit. Sed demus veniam homini in foro & reipublicæ negotiis occupato.

Quemadmodum vero Aristotelis de libero arbitrio opinionem nullus in controversiam adduxerit, nisi qui

pertinaci odio velit cum eius manibus contendere; ita quoque nullo pacto dubitari potest, quin idem existimarit, unum dumtaxat esse Deum, qui nullis externis adfectibus sit obnoxius, quem ille peculiari quodam nomine primam caussam primumque rerum principium passim appellat, præsertim vero tribus capitibus libri octavi *de Physica auscultatione*, quo loco multis & magnis argumentis demonstrat, unicum esse Deum, qui moveat cetera, quum sit ipse prorsus expers motus, qui neque magnitudinem habeat, neque generari, aut corrumpi possit, quoniam vim & potentiam infinitam sortitus est. Vnius quoque Dei, a quo sunt effecta omnia, in quibusque vis eius mirabiliter conspicitur, capite ultimo meminit libri I. *de Partibus animalium*. Libro præterea VII. *Eudemiorum*, & capite IX. libri III. *de Republica*, quum ait, perinde esse, si vir excellens virtute aliquando inferiori pareret, & subiiceretur aliquando imperio, ac si dii statuerent inter se, ut sic per eos abiret vicissitudo imperandi, ut Iupiter modo pareret imperio, modo imperium teneret: quod esset plane absurdum, quum solus Iupiter, ut ille ait, plus virtutis & virium habeat, quam ceteri omnes dii, opinione hominum sapientium. Quod plane declarat Homerica illa catena, cuius mentionem Aristoteles facit, quo loco de communi motu animalium disputat. Idem quoque refert libro II. cap. VI. *de Cælo*: sed apertissime quidem hæc sententia ab Aristole explicata est libro *de Mundo ad Alexandrum*, qui liber, ut Theodoretus scribit, quo loco agit de curandis Græcorum adfectionibus, veluti summa quædam est & compendium Aristotelicæ philosophiæ. Ex quibus omnibus plane constat, Aristotelem uti ceteros sapientes philosophos unum dumtaxat Deum agnovisse, quamvis plurimos nominavit: quod quidem ab eo non sine magna gravique ratione factum est, ut, inquam, diversis nomi-

mi-

minibus diversæ quoque eius appellationes & virtutes significarentur. Quod idem philosophus in peroratione libri *de Mundo ad Alexandrum* constantissime adfirmat his verbis : *Deus quum unus sit , multis tamen nominibus appellatur , quæ homines ei ab ipsius operibus indiderunt: vocant enim ipsum* vivificum *&* Iovem *alternis nominibus utentes , ut eum designemus, per quem vivamus*. Multarum quoque appellationum rationem eo loco reddit, quas prudens sciensque desino in præsentia referre. Alia quoque ratio est , ut more multorum nominibus uteretur : veterum namque hominum mos fuit, heroas atque excellenti virtute præditos deos vocare , quoniam aliquibus egregiis factis & in communem usum hominum editis claruissent. Quam quidem loquendi consuetudinem Aristoteles , Plato , ceterique sapientes libenter usurparunt , ne adfectata loquendi ratione pessime apud ceteros homines audirent , qui ubi a vero Deo discedebatur , ceteros non esse , sed per quamdam similitudinem deos appellabant , ut idem Aristoteles testatur in libris *de prima philosophia* , qui quum multos deos in eodem opere sæpe nominasset , quos modo heroas , modo intelligentias vocat , libro tamen XII. unum tantum Deum esse confirmat , ita concludens : *Non est bonum pluralitas principum : unus ergo princeps : nam Deus nisi summus , optimus , maximus , nullus esse potest , quod proculdubio non potest in plures cadere*. Itaque ex creatura mundi , ut Paullus inquit , ad Romanos scribens primo capite , id est , duce natura , Aristoteles Deum cognovit , sempiternamque eius virtutem atque divinitatem : ne quispiam male sanus putet , omnes , qui plures deos nominabant , idolorum fuisse cultores. Nemo enim nisi insanus , cui esse unicum Deum cognitum est, plures potest colere pro diis.

Demum quod de felicitate hominis consentaneam rationi opinionem Aristoteles habuerit , facile intelliget , qui

qui in memoriam reduxerit, in libris *de moribus* duplicem ab Aristotele hominem fingi formarique: unum, qui ex anima constat & corpore, qui hominis dumtaxat appellatione censetur, & quoniam sensus ferasque appetitiones moderatur, civilis evadit: quem nos, id est, christiani, *exteriorem* nuncupamus, Paullus *animalem*: alterum vero, quem vocant philosophi divinum atque perfectum, quoniam in contemplatione rerum altissimarum occupatur, & secundum eam partem degit, quæ est in eo præstantissima atque optima, & qua potissimum hominem constare certum est, intellectum dico divinum atque immortalem. Quum igitur Aristoteles, ut ostendimus, duplicem hominem in uno ponat, atque in eo bipartitam vivendi rationem statuat, quæ a duabus eius partibus dimanat: sane consentaneum fuit, ut non unius tantum meminerit felicitatis, sed duas potius eidem homini adsignarit, quarum singulis singulæ quoque partes hominis perficerentur, atque ad naturam suam pervenirent, quæ est in unoquoque summum atque perfectum. Quoniam vero civilis nuncupatus in civitate, hoc est, coetu hominum iure atque legibus sociato victurus est, ubi necessarium quidem est invicem beneficia collocare, ut societatis vincula arctius cohæreant: huic homini, ut perfectus atque felix evadat, multis magnisque adiumentis opus est. Neque enim perfectionem nancisci potest, aut conservare iam partam, nisi valetudo, facultates & pleraque alia vitæ præsidia adsint, quibus uti instrumentis interdum res magnæ geruntur. Posterior vero, quoniam felicitatem suam in contemplatione magnarum atque excellentium rerum sitam habet, quæ quum in animo & intellectu insit, non ita facile impeditur, non magnopere his adminiculis indiget, sed quod satis est ad vitam servandam: nam ad recte & beate vivendum ipsa quidem per se satis est. Huiusmodi autem sententia, cuius Aristoteles auctor est libro *Nichomachiorum* X. a Ber-

nar-

do Feliciano viro admodum docto, & Aristotelicæ rationis philosophandi minime ignaro, in prooemio commentariorum Eustracii in Ethica explicata est. Quæ quidem sententia non solum communis est eorum, qui ingenue philosophantur, sed summorum quoque theologorum, ut apparet. Ex quibus omnibus, sane quantum ego adsequi possum, plane constat, qui de Aristotele talia memoriæ prodiderunt, Aristotelica prorsus ignorasse, aut certe perquam leviter attigisse. Qui si ægre ferant, ea gloria privari, quam ex lectione atque studio Peripateticæ doctrinæ se consequutos putant, & tantopere ambiunt, ne, quæso, moleste ferant, opinionem usque adeo veritati contrariam exuere, atque a se procul abiicere: alioqui apertissimam & maxime illustrem veritatem (quod quivis facile possit existimare) aut non cognovisse, aut cognitam pro nihilo ducere, aut, quod ego puto verisimilius, calumniari constabit. Vnde, ut arbitror, disciplinarum atque studiorum omnium depravatio orta est. Quæ omnia in melius restituat is, cui summæ curæ sunt res mortalium omnes.

Nemo vero miretur, quod nos disserentes viderit & magno studio contendentes, ratione certum facere, Aristotelem ethnicum hominem quinque has partes christianæ philosophiæ agnovisse, atque earumdem veluti semina non obscura quidem in scriptis suis posteris hominibus sparsa reliquisse. Tametsi enim ex tam numeroso philosophorum grege, qui tot retro sæculis claruerunt, perpauci exstiterint, qui res usque adeo obscuras, sed vitæ hominum in primis necessarias cogitatione saltim sint consequuti, nulla sane ratio est, cur hanc tantam tamque insignem laudem Aristoteli summo philosopho invidere debeamus. Nam quum illa omnia, de quibus est a nobis succincte & sub quadam brevitate disputatum, ne nimii in dicendo existimaremur, mentis acie, modo illam pravis opinionibus liberam expedi-

tamque habeamus, indagari non difficile possint: mirum putari non debet, Aristotelem *naturæ specimen*, ut Hieronymus inquit, eo cogitatione atque animo pervenisse, ut de unitate Dei, eius cura & providentia, præterea de animorum immortalitate, libertate arbitrii, atque summo hominis bono consentaneam rationi sententiam atque opinionem habuerit. Plane enim constat, sint licet angusti nimis atque imbecilli nostri animi, ipso dumtaxat lumine, quod natura non tristis noverca hominum, ut quibusdam falso visa est, sed potius carissima parens nostris mentibus indidit atque insculpsit, huiusmodi, quas diximus, veritatis quasi scintillas indagari & comprehendi posse. Numquam enim Paullus gentium apostolus (cuius mens utpote divinis radiis copiose illustrata acutissime, quæ vera essent, cernebat) philosophorum supercilium, &, quam ex studio philosophiæ inanem gloriam conceperant, elevans atque imminuens, ut par erat, ad Romanos scribens, inexcusabiles eos esse tam aperte planeque pronuntiasset, nisi quæ commemoravimus omnia, ductu tantum rationis intelligere potuissent, atque, illis cognitis, cunctarum rerum auctorem Deum colere & venerari. Tanta est enim benignitas, & tam profusa erga genus hominum caritas Dei, ut nullo umquam tempore hominem, qui non sit prorsus barbaris moribus institutus, aut communi sensu plane careat, illis præsidiis destituerit, quæ sunt ad immortalitatem & beatam vitam consequendam, cuius nos participes esse voluit; necessaria, aut summopere accommodata. Atque hæc ipsa præsidia & vitæ melioris adiumenta tamquam semina quædam fecunda admodum mentibus nostris inseruit, ut essset in numerato, & velut in nostro ære (quod dicitur) id, sine quo summum bonum constare nulla ratione poterat. Verum quum sint varia longeque diversa ingenia hominum, huiusmodi naturæ ad recte vivendum & sentiendum de Deo adiu-

men-

menta & veluti immortalis vitæ semina nonnulli ita corruperunt atque evertere funditus, ut vix tenue admodum eorumdem vestigium conservarint, cuius admonitu in veri et boni investigationem cognitionemque perducerentur. Alii vero, quibus longe felicius fortuna adspiravit, & quasi in sinum suas dotes effudit, recta educatione, optimis exemplis, egregiis studiis, disciplinis & præceptoribus non solum ea ipsa, quæ diximus, semina integra atque incorrupta conservaverunt, sed, quod multo admirabilius atque excellentius est, magna quadam felicitate longissime promoverunt. Sed ut sunt optima quæque rarissima, perpaucos, etiam ex his, qui propter studium philosophiæ immortale nomen sunt consequuti, tot anteacta sæcula tulerunt, qui haberi hoc numero iure possint. Nam philosophorum magna pars studio gloriæ & cæca nominis cupiditate sic transversi acti sunt, atque eo dementiæ pervenerunt, ut, proh, dolor! gloriam incorruptibilis Dei in imaginem corruptibilis hominis mutaverint, volucrum, quadrupedum, & ferarum: quod Paullus vas electionis Romanis dat probro. Atqui inter eos, qui veritatis istius terminos non solum conservaverunt integros, sed dilataverunt quoque longius, vix unum, aut alterum reperias: qui æquo iure conferri cum Aristotele possit, excepto Platone. Cuius rei, etiamsi homines tacerent, atque eius scripta omnia, quod plerisque evenit, intercidissent, fidem vel maximam facerent admirabile eius viri ingenium, &, ut quibusdam visum est, monstro simile, diligentissima educatio, optimi excellentesque præceptores Socrates & Plato: quorum alterum integros viginti annos audivit, Socratem vero, qui oraculo Apollinis optimus est sapientissimusque iudicatus, quatuor: idque tam vehementer incensus studio sciendi, ut dicere sit Plato frequenter solitus, frenis Aristotelem indigere, quibus ut ferociens equus & currendi avidus inhiberetur. Modo quum

 præ-

præter ea omnia ornamenta ingenii, quorum paullo superius mentionem fecimus, eius scripta plena esse videmus egregiis ad hanc sententiam, quam volumus obtinere, convincendam corroborandamque testimoniis, vindicemus posthac, obsecro, tam insignem philosophum ab ea nota atque infamia, in quam quorumdam hominum atque alienæ felicitati gloriæque invidentium culpa inciderat: ut quando alia non facile suppetit, hac saltim via rationeque homini usque adeo de disciplinis omnibus bene merito gratificemur. *

* In Complutensi huius operis editione legitur: *Quoniam in eodem argumento versantur sequentes epistolæ, visum est nobis, easdem superiori disputationi adiicere, ut ea ipsa perfectior habeatur.* Epistolæ, quas eo loci adducit CARDILLVS, exhibentur in novissima atque eleganti operum IO. GENESII SEPVLVEDAE collectione, quæ luci parata iam est, inter viri huius Cl. epistolas p. 264. & seqq. volumine III. Quare illuc lectorem amandamus.

FINIS.

COM-

COMMENTARIVS
PRAECIPVARVM RERVM,
QVAE IN CONCILIIS TOLETANIS CONTINENTVR,

AVCTORE

GASPARO CARDILLO VILLALPANDEO,

SEGOBIENSI, DOCTORE THEOLOGO.

IN EO PLVRIMA SVNT COGNITIONE DIGNISSIMA, QVAE PARTIM AD DISCIPLINAM ECCLESIAE, PARTIM AD HISTORIAM GOTHORVM PERTINENT.

AD ILLVSTREM DOM. DOMINVM IACOBVM CASTELLAM SANCTAE ECCLESIAE TOLETANAE DECANVM.

IESVS EST SPES MEA.

SI QVID MIRABERE, PONES INVITVS, REDITVRO, SATIS.

COMPLVTI.

EX OFFICINA IOANNIS A VILLANOVA ANNO M. D. LXX.

EDITIO II.

ILLVSTRI ET CLARISSIMO VIRO, DOMINO IACOBO CASTELLAE,

SANCTAE ECCLESIAE TOLETANAE DIGNISSIMO DECANO,

GASPAR CARDILLVS VILLALPANDEVS

DOCTOR THEOLOGVS. P. D. S.

QVum Toleti adessem in concilio provinciali, ut HONORATO IOANNIO episcopo Vxamensi morem gererem: cui ego viro tum propter raras excellentesque virtutes, quibus animum suum mirabiliter excoluerat, tum etiam propter insignem benevolentiam, qua me, dum viveret, est prosequutus, plurimum debebam, dedi operam, ne illud otium, quod plurimum eo loci suppetebat, inaniter mihi abiret. Quare, qum viderem, veterem illum morem, ecclesiæ longe proficuum, tenendi Toleti concilia, Dei Opt. Max. beneficio, providentia Pii IV. Pontificis maximi, denique studio & cura catholici regis nostri Philippi, qui de republica christiana numquam non studet bene mereri, in usum revocari, operæ pretium me facturum putavi, si de conciliis Toletanis aliquid scriberem, quod ad eam rem aliquid emolumenti posset adferre. Ipsa etenim, quæ omnia consumit, vetustas memoriam pæne universam nobis abstulit eius formæ, quæ non sine magna ratione admirabilique consilio in his synodis celebrandis servari priscis temporibus consuevit: ac nisi antiqua monumenta, in quibus huius rei vestigia sparsa reperiuntur diligenter evolvamus, difficile quidem meo iudicio is modus teneri modo ri-

queat in cogendis id genus conciliis celebrandisque, qui antiquitati simul & rationi consentaneus sit, & maxime accommodatus: præstabunt id alii, sat scio, multo accuratius quam nos: ceterum nos, si nihil aliud præstiterimus, illud certe unum, dum hæc commentamur, efficiemus, ut facile omnes intelligant, succurrendi huic necessitati voluntatem nobis minime defuisse. Præterea qui hos nostros commentarios legerit, aperte intelliget, quanta fuerit olim Toletanorum conciliorum maiestas & amplitudo, quantumque illis semper reges atque principes nostri detulerint. Nostro etiam exemplo facile provocabuntur, qui hanc ipsam, quam nos provinciam aggressi sumus, plenius obire, atque huius tanti negotii numeros omnes explere possint. Hunc laborem atque industriam meam, quæcumque illa sit, quæ non potest non esse admodum exigua, quum mea sit, neminem habuimus, cui potius offerre ac dicare deberemus, quam te unum, clarissime IACOBE: tibi enim atque isti sanctæ ecclesiæ, in qua tu magnis tuis excellentibusque meritis secundum ab archiepiscopo locum tenes, quidquid hac in re elaboratum sit, & magnorum virorum studio ac diligentia effectum, proculdubio debetur: qui magna olim pars huius tantæ commoditatis studiosis rerum ecclesiasticarum fuistis. Nam præterquam quod sanctissima ista ecclesia plurimum in eam rem operæ antiquis temporibus contulit, ut concilia Toletan celebrarentur, ut par erat, quod ex eisdem accip potest, ego non dubito, quin ea, quæ habemus modo, penitus nobis iam olim intercidissent, nisi a vobis diligenter custodita servarentur. Neque tu vir præstantissime, satis id esse putas: strenue quoque incumbis in eam rem, ut collatis vetustis exemplaribus manuscriptis, quorum aliquot in tabu-

la-

lario seu archivis istius sanctæ ecclesiæ instar pretiosi thesauri adservantur, non modo fideliora, sed puriora quoque & illustriora, eadem ipsa concilia propediem habeamus, quod ut præstetur quam ocissime fieri possit, ecclesiasticæ disciplinæ amatores improbis precibus efflagitant. Id si effeceris, decane clarissime, non Hispania modo, sed ceteræ quoque provinciæ christianæ maximis se beneficiis obstrictas tibi fatebuntur, quæ horum conciliorum testimonio atque auctoritate ad res maximas plurimum utuntur, quod in eisdem præsidii atque adiumenti plurimum situm sit, tum ad componendum mores & constituendam recte christianam œconomiam, tum etiam ad hæreses profligandas. Quum ergo hi nostri commentarii non aliunde quam ex conciliis istius sanctæ ecclesiæ collecti sint, iure quodam tibi uni offerri debent. Offero igitur tibi, decane dignissime atque omni genere virtutis, nobilitatis ac litterarum cumulate, de conciliis Toletanis commentationem hanc meam, tu illam simul cum eius auctore ea auctoritate tuere atque defende, quam multarum disciplinarum cognitio, longus rerum usus, generis splendor, atque in summa dignitas ista tibi contulerunt. Ne tamen diutius te morer, rem ipsam iam aggredior, initio sumto a conciliorum divisione, ut explicare exactius possimus, quo genere Toletana concilia, de quibus agere instituimus, contineantur. Diu bene vale, atque age, generose atque gravissime decane. Compluti ex bibliotheca nostra Kal. Martii M. D. LXIX.

INDEX

CAPITUM, QUAE IN HIS COMMENTARIIS CONTINENTUR.

CAP. I. Quot sint genera conciliorum, pag. 355.
CAP. II. In eo scrupulus quidam eximitur. 358.
CAP. III. Qua ratione distingui possit concilium provinciale a nationali. 360.
CAP. IV. Quo genere concilia Toletana contineantur, præsertim primum. 365.
CAP. V. De secundo concilio Toletano. 372.
CAP. VI. De tertio. 375.
CAP. VII. De quarto. 377.
CAP. VIII. De quinto. 379.
CAP. IX. De sexto. 381.
CAP. X. De septimo. 382.
CAP. XI. De octavo. 383.
CAP. XII. De nono. 384.
CAP. XIII. De decimo. 385.
CAP. XIV. De undecimo. 389.
CAP. XV. De duodecimo. 391.
CAP. XVI. De decimo tertio 392.
CAP. XVII. De decimo quarto. 393.
CAP. XVIII. De decimo quinto. 395.
CAP. XIX. De decimo sexto. 395.
CAP. XX. De decimo septimo. 399.
CAP. XXI. De decimo octavo. 397.
CAP. XXII. Quot concilia Toletana pontificis maximi auctoritate confirmata sint. 397.
CAP. XXIII. De tempore cogendi concilia Toletana. 400.
CAP. XXIV. Quæ forma servari solita sit in conciliis Toletanis. 405.

CAP.

CAP. XXV. Quo loco teneri solita sit Toletana synodus. 412.
CAP. XXVI. Quot sint concilia Toletana, & quando singula sint celebrata. 413.
CAP. XXVII. Qui solerent conciliis Toletanis interesse. 419.
CAP. XXVIII. Quæ forma in subscribendo servaretur, & utrum omnes uterentur eadem. 422.
CAP. XXIX. Vtrum episcopi titulares interfuerint his conciliis, & quo loco sederent & subscriberent. 425.
CAP. XXX. Quanta fuerit conciliorum Toletanorum maiestas & vis. 427.
CAP. XXXI. Quanti fecerint reges Gothi concilia & episcopos. 431.
CAP. XXXII. De ratione & forma eligendi reges Gothos. 432.
CAP. XXXIII. Quorum calculis reges Gothi crearentur. 434.
CAP. XXXIV. Ex qua gente rex Gothorum acciperetur. 435.
CAP. XXXV. De unctione regum Gothorum. 437.
CAP. XXXVI. Quid reges Gothi populo iurarent, & populus regi, & quot regum meminerint concilia Toletana. 438.
CAP. XXXVII. Quoties fuerint ex Hispaniis pulsi Iudæi, & quo iure. 438.
CAP. XXXVIII. Vtrum ex his conciliis possit convinci, episcopum Toletanum olim fuisse primatem. 447.
CAP. XXXIX. Quo modo episcopi in Hispania tempore Gothorum ecclesiis præficerentur. 449.
CAP. XL. Quibus ornamentis præditos esse o-

por-

porteret, qui erant episcopi creandi. 453.
CAP. XLI. Quæ forma servata sit in caussis ecclesiasticis tractandis tempore Gothorum, atque etiam in appellationibus. 455.
CAP. XLII. Cur in concilio Toletano unius ecclesiæ duo interdum episcopi nominentur. 456.
CAP. XLIII. Vtrum in quibusdam conciliis Toletanis legendum sit: *Episcopi Hispaniæ & Galliciæ*, an *Galliæ*. 457.
CAP. XLIV. Est veluti coronis reliquorum. 459.

VOlumen, cuius titulus: *Commentarius præcipuarum rerum, quæ in conciliis Toletanis continentur*, simul, & *Commentaria in libros de cælo Aristotelis*, iussu regii senatus vidi, in quibus nil non fidei consentaneum reperi, quin immo utile iudicaverim bonarum litterarum amatoribus ut prelo mandentur, atque auctorem suum, doctorem videlicet sacræ theologiæ GASPARVM CARDILLVM Villalpandeum, Segobiensem, debita sibi laude gaudere.

F. IOANNES DE LA FVENTE
PRAESENTATVS.

CA-

CAPUT I.

QUOT SINT GENERA CONCILIORUM.

QVatuor reperio conciliorum genera apud veteres rerum ecclesiasticarum scriptores, de quibus est a me dictum copiosius *Disputatione V. adversus protestationem triginta quatuor hæreticorum Augustanæ confessionis pro sacro concilio Tridentino*. Vnum episcopi cum presbyteris, quod *diœcesanum* vocant: Hispani *synodo* appellamus generis vocabulum speciei tribuentes. Concilium *diœcesanum*. Alterum metropolitæ cum episcopis suffraganeis, quod *provinciale* passim appellant: quale est concilium Coloniæ habitum ætate nostra. Provinciale. Huiusmodi etiam est, quod modo Toleti, quod Salmanticæ, quod Valentiæ, quod Barchinone, quod Cæsaraugustæ, quod Granatæ, quod Hispali concilium celebratur in Hispania. Tertium est Nationale. patriarchæ cum suis metropolitis: in eo adsunt præsules totius regni, aut alicuius admodum amplæ provinciæ: cuiusmodi sunt concilia Antiochena & Carthaginiensia, quæ propter eam, quam diximus, caussam *generalia* vocari interdum solent: non simpliciter tamen, sed adiecta voce imminuente: generalia, inquam, totius patriarchiæ, vel regni, vel provinciæ; & *nationalia* ob eam rem appellari merito possunt. Hinc effectum est, ut concilia Carthaginiensia, de quibus diximus superius, Africana etiam dicerentur, quoniam ab episcopis Africæ totius tenebantur. Cap. enim 4. concilii Toletani XII. concilium III. Carthaginiense, III. eo nomine citatur, quum dicitur: » Item ex concilio Africæ tertio, » titulo 24. ubi scriptum est, *ut non accipiat alterum* » *episcopum plebs, quæ in diœcesi semper subiacuit.* « Id enim decretum est cap. 42. concilii III. Carthaginiensis, cuius initium est: *Multis in conciliis hoc statutum est a cœtu sacerdotum.*

Cæ-

Ceterum quod regni vel amplæ alicuius provinciæ, qualis Hispania est, concilia *generalia* vel *universalia* solita sint appellari, ex ipsis conciliis facile accipi & persuaderi potest. Cap. 7. concilii III. Carthaginiensis scriptum reperio: *Sin autem neque ad concilium universale anniversarium occurrere voluerit.* Quo loco concilium Carthaginiense *universale* vocatur, atque ea voce a provinciali distinguitur, cui similis appellatio nullo modo accommodari valet. Non tamen simpliciter universale vocatur, sed universale potius anniversarium; quo nomine plurimum ab oecumenico differt: id enim quotannis non cogebatur, sed tunc maxime, quum gravis in primis necessitas occurrebat, atque ideo nihil est prorsus in antiquis conciliis de tempore, quo oecumenicum concilium celebrandum erat usque ad concilium Constantiense definitum. Sed de hac re a concilio Constantiensi lata lex, quod in nostris *disputationibus* diximus, nusquam habuit vim obligandi. Eodem spectat, quod cap. 62. eius concilii, quod Africanum inscribitur, in hunc modum habet: *Concilium universale non nisi necessitate faciendum est.* Loquitur autem concilium hoc loco de ea synodo, quæ a patriarcha teneri solebat cum metropolitis.

Concilium nationale *universale* cur appellaretur.

Tametsi autem id concilium simpliciter universale vocatum sit, obscurum non est, de oecumenico minime sermonem fieri verbis citatis, vel ea ratione, quia nihil potuit concilium Africanum statuere, aut decernere, quod ad generale concilium pertineret: quum neque eo superius exsistat, neque par. Perturbari autem nequaquam debemus, tametsi concilium Africanum dicat, non esse faciendam synodum nisi necessitate cogente, quod videtur oecumenici proprium esse. Id enim solum exigente ac postulante necessitate cogebatur. Ratio est, quoniam ante eam ætatem totius Africæ concilium teneri singulis annis solitum est, nulla etiam prorsus in-

Occurritur obiectioni.

cum-

cumbente necessitate, quod quum durum ac molestum patres arbitrarentur, statuerunt; ut necessitate tantum cogente concilium teneretur. Confirmatur sententia nostra cap. 3. concilii IV. Toletani, quo loco sic decernitur: *Si fidei caussa est*, ea inquam, de qua agitur, *generalis totius Hispaniæ & Galliciæ synodus convocetur.* Accedit ad hoc, quod synodus Toletana plane atque aperte quartam synodum, etiam Toletanam, universalem vocat; eo sensu, quem explicuimus superius, quum ait: *Hæc in concilio communiter considerata defertur sententia, ut servetis quæcumque in universali & magna synodo promissa sunt circa principum salutem & utilitatem.* Citat autem caput 74. concilii IV. cuius initium est, *post instituta quædam ecclesiastici ordinis*, in quo forma decreta est, qua Gothi suis regibus dare iuramento fidem & servare debeant. Vniversalis autem vocatur synodus citata ea ratione, quam dixi superius: *magna* vero, quia multa in ea decreta sunt, quæ disciplinam ecclesiasticam continent.

Concilium IV. Tolet. universale ac *magnum* cur dicatur.

Quale autem id genus concilium sit, si quis intelligere laboret, prorsus docemur cap. 2. concilii Carthaginiensis his verbis: *Placuit, ut propter caussas ecclesiasticas, quæ ad perniciem plebis sæpe veterascunt, singulis annis concilium convocetur, ad quod omnes provinciæ, quæ primas sedes habent, de conciliis suis binos, aut, quot elegerint, episcopos mittant.* Hinc colligimus nonnulla: primum, hæc eo fuisse olim anniversaria: deinde quibus de caussis cogi solerent: postremo effici atque constare omnium provinciarum episcopis, qui primas habent sedes. Vt verum sit, quod paullo ante dixeramus, concilium nationale diversis metropolitis constare, atque esse patriarchas vel primatis cum suis metropolitis.

Concilium œcumenicum.

Postremo concilium *œcumenicum* vocatur, quasi dixeris totius orbis, christiani videlicet. Nam ad id celebrandum atque tenendum ex toto orbe christiano episco-

sco-

ſcopi confluunt : cuiusmodi olim multa ſunt habita : & ætate noſtra Tridentium. In eo præſidet pontifex maximus per ſe, vel legatos ſuos. De quo Socrates cap. 9. lib. 4. *Hiſtoriæ tripartitæ* in hunc modum diſſerit : *Hæc eſt eccleſiaſtica regula, ut concilium œcumenicum ſine ſummo pontifice teneri non poſſit.* : *atque id ſane univerſale, vel generale ſimpliciter appellatur*. Tot igitur ſunt conciliorum genera, ſi rem diligenter conſideramus. Excutiamus iam, quo genere Toletana, quæ modo exſtant, concilia contineantur : quod explicare inſtitueramus. Sed eximamus prius animo lectoris ſcrupulum quemdam, qui torquere eumdem non leviter poſſit.

Vniverſale ſimpliciter.

CAPVT II.

IN EO SCRVPVLVS QVIDAM EXIMITVR.

ERat nobis ſtatim de quæſtione propoſita diſſerendum. Sed placet prius ſcrupulum quemdam lectoris animo evellere : is eſt, quod propoſita conciliorum diviſio non ſatis apta atque conveniens videtur. Hinc enim apparet, aliquod membrum eius diviſionis redundare, illinc deſiderari aliquod : redundare quidem videtur, quatenus adſerimus, aliquod eſſe generale concilium totius nationis. Nam, quemadmodum colligitur ex præfatione concilii Bracarenſis II. omnis ſynodus, quæ dioeceſana non ſit, aut ſimpliciter generalis & oecumenica eſt, aut provincialis : eo in loco in hunc legimus modum : *Sancti enim patres præceſſores noſtri, aut generales ſynodos undique colligi pro unitate rectæ fidei fecerunt, ſicut in Nicæo contra Arium trecenti decem & octo : & in Conſtantinopoli centum quinquaginta contra Macedonium, & in Epheſo contra Neſtorium ducenti ; & in Chalcedone contra Eutychem ſexcenti triginta, aut certe ſpeciales ſynodos per ſuas unuſquiſque provincias pro reſecandis aliquorum negligentiis collegerunt.*

An ſit apta ſuperior diviſio.

Con-

Contra etiam reputando videtur, aliquod membrum, in propoſita diviſione deſiderari: nam concilium Bracarenſe II. nationale cenſeri non poteſt, quum ex epiſcopis totius Hiſpaniæ minime coierit, neque provinciale, quum in eo adfuerint duo metropolitæ, Bracarenſis & Lucenſis: quod vel ex ipſa concilii inſcriptione aperte conſtat, habet enim in hunc modum: *Quum Galliciæ provinciæ epiſcopi tam ex Bracarenſi, quam ex Lucenſi ſynodo, cum ſuis metropolitanis præcepto præfati regis ſimul in metropolitana Bracarenſi eccleſia conveniſſent.* Quare præter oecumenicum nationale, provinciale ac dioecesanum, eſt aliud quoque concilii genus in ſuperiore diviſione prætermiſſum, quod ſit provinciali & nationali interiectum.

Verum is ſcrupulus facile animo eximi poſſit, & propoſita diviſio a calumnia & nota vindicari, ſi dicamus, nationale concilium partim eſſe generale, partim provinciale. Etenim ſi ad provinciale referatur, merito generale videri poſſit, quum ſit eo multo amplius. Si vero cum oecumenico conferatur, quod eſt ſimpliciter generale, provinciale cenſeri queat. Concilium igitur Bracarenſe, quum ſynodum in duas partes dividit, in generalem inquam & provincialem, ſub provinciali concilio colligit nationale. Quum autem ſynodus nationalis provincialis vocatur, ad oecumenicam refertur. Quod vero ex duobus metropolitis concilium efficitur, cuiuſmodi eſt Bracarenſe II. ſi ad ſynodum totius Hiſpaniæ referatur, provinciale putari poteſt: ſi dumtaxat ad concilium Bracarenſe aut Lucenſe, generalis, nam Gallicia, cuius erant duo illi metropolitæ, Bracarenſis & Lucenſis, poteſt accipi ut Hiſpaniæ pars, & præterea ut natio quædam propter eius amplitudinem, & propterea quod tota atque ſola illa Hiſpaniæ pars a Suevis incoleretur eo tempore, quum reliquam Hiſpaniam Gothi tenerent, genus hominum a Suevis diverſum. Si ve-

Eximitur ſcrupulus.

Concilium, Galliciæ quale nam ſit.

vero consideretur ut natio, potuit concilium metropolitarum Galliciæ quodam modo censeri universale: collatum videlicet ad eius partem, quam regebat Bracarensis episcopus, vel Lucensis: quod cap. 3. concilii IV. Toletani his verbis innuitur: *Si fidei caussa est, vel qualibet alia caussa ecclesiæ communis, generalis totius Hispaniæ, vel Gallicie synodus convocetur.* Itaque significat, generalem synodum teneri ab episcopis Galliciæ posse, & fieri potest, ut hæc maxime caussa sit, cur quædam Toletana concilia totius Hispaniæ & Galliciæ episcopis constare dicantur, tametsi non satis compertum sit, *Galliciæ*ne, an *Galliæ* sit legendum. Sed hanc controversiam ad calcem universæ huius commentationis fortasse expediemus. Referamus nunc orationem ad alia.

CAPVT III.

QVA RATIONE DISTINGVI POSSIT CONCILIVM NATIONALE A PROVINCIALI.

AVdio, a quibusdam putari ac dici, omnia decem & septem, quæ modo exstant, Toletana concilia, tertio genere eorum, quæ I. cap. numeravimus, contineri, atque esse nationalia vel Hispaniæ totius. Sed quoniam ab huius sententiæ auctoribus nullam prorsus in hanc rem caussam adduci video, nemo mirari debet cum ratione, si nos ab eis discedamus. Statuo igitur in hunc modum: Non omnia concilia Toletana ad tertium pertinent genus, sunt enim nonnulla provincialia, quod suo loco monstrabo. Hanc ipsam sententiam meam ut probabilem efficiam aliis, aliquot mihi notæ recensendæ atque explanandæ sunt, quibus nationalia a provincialibus discernuntur: quod eo libentius faciam, quoniam certo scio, huiusmodi contemplationem non modo ad propositam sententiam confirmandam admodum utilem esse, sed etiam universe, ut, inquam, his veluti chara-

Non sunt omnia concilia Toletana nationalia.

racteribus, atque notis minori negotio certa ab incertis separemus: hoc est non provincialia a nationalibus distingamus.

Mirum autem non est, ut id obiter admoneam, si, quum aliquot concilia Toletana *generalia Hispaniæ* vocentur, in eisdem quoque cum aliis nonnulli Galliæ episcopi numerentur: præsertim metropolita Narbonensis, atque episcopus Carcasonensis. Nam quia erant hæc concilia nationalia, & tunc temporis regibus Gothorum parebat ea pars Galliæ, quæ modo Narbonensis vocatur, & olim Gothica appellabatur, simul cum episcopis Hispaniæ episcopi etiam Galliæ congregabantur, qui ad eam partem maxime pertinebant, quæ Gothica dicebatur. Quatuor ego, aut quinque potius maxime illustres notas reperio nationalis concilii: hac enim voce libenter utor, quoniam rem explanat aptius iudicio meo. Vna sumitur ex nomine; altera ex his, quibus synodus constat, episcopis; tertia ex metropolitis, qui conciliis intersunt; quarta ex negotiis, de quibus agitur; postrema ex rege & illustribus palatinis, & quidem ex nomine & appellatione bifariam inter se distinguuntur id genus concilia. Primum quidem, si ipsa concilia generalia inscribantur, aut eo modo citentur in aliis synodis: talia enim haud dubie sunt universalia: secundo, si episcopis alicuius totius nationis synodus constare dicatur, ut episcopis totius Africæ, Hispaniæ vel Galliæ, quæ enim huiusmodi sunt, proculdubio tertio sunt genere reponenda, neque est quisquam, qui huic sententiæ adversari merito possit.

Cur conciliis nationalibus Toletanis interfuerint episcopi aliquot Galliæ.

Gallia Gothica.

Nota concilii nationalis.

Sumitur etiam ex nationalis synodi exemplis argumentum, si, qui in ea episcopi adsunt, ad diversos metropolitas pertineant. Nam quum singulis metropolitis sint sui episcopi suffraganei, quæ synodus episcopos colligit positos sub diversis metropolitis, non potest provincialis censeri: & quum non sit oecumenica, neces-

sarium profecto est, ut sit nationalis. Hanc sententiam veram esse docet concilium Carthaginiense III. cap. 2. quo loco de concilio nationali cogendo in hunc modum disserit: *Placuit, ut singulis annis concilium convocetur, ad quod omnes provinciæ, quæ primas sedes habeant, de conciliis suis binos, aut quot elegerint, episcopos mittant.* Concilium igitur nationale diversarum provinciarum, in quibus sunt metropolitæ, qui primæ sedes appellantur, & a nostris *archiepiscopi* dicuntur, episcopis constat. Ex metropolitis vero indicium est, synodum esse nationalem, si plures adsint in ea metropolitæ. Ea enim synodus, in qua plures exsistunt, non dubium est, quin sit nationalis. Nam provincialis synodus unum tantum habet metropolitam, penes quem facultas est episcopos suffraganeos convocandi. Metropolitas vero vocare non potest, nisi patriarcha vel primas: cui perinde parere debent metropolitæ hac præsertim in re, atque ipsis episcopi suffraganei.

Primæ sedis episcopi.

Quarta ratio hæc concilia distinguendi ex negotiis accipi potest, in quibus expediendis synodus occupatur. Quum enim condita decreta & tractata in synodo negotia universam obligant nationem, concilium universale totius nationis vel patriarchiæ censeri debet. Nam, quæ in concilio provinciali statuuntur ad mores & gubernationem ecclesiarum spectantia, solum habent vim obligandi homines eius provinciæ: quemadmodum enim facultas, qua singuli episcopi sunt præditi, eiusque leges atque statuta synodica, minime obligant eos, qui sub altero sunt episcopo, ita quoque ea, quæ synodus aliqua provincialis statuit, homines alterius provinciæ, aut metropolitæ non tangunt: esse autem universalia ea concilia, in quibus universalia negotia tractantur, cap. 3. concilii IV. Toletani his verbis docemur: *Si fidei caussa est, vel qualibet alia caussa ecclesiæ communis, generalis totius Hispaniæ vel Galliciæ synodus convocetur.*

tur. Si vero neque de fide, neque de ecclesiæ communi utilitate tractabitur, speciale erit concilium, prout unius cuiusque provinciæ metropolitanus elegerit, peragendam esse.

Prima observatio.

Meminerimus tamen, non recte colligi, concilium aliquod esse universale, quod in eo agatur caussa fidei, etiamsi id adserat concilium IV. Toletanum proxime citato loco; quoniam huiusmodi caussa tractari etiam in concilio provinciali interdum consuevit: ratio est, quia de fide diffinitio, quæ fit in concilio, quod oecumenicum non sit, ut vim habeat obligandi & convincendi hæreticos ex peculiari summi pontificis commissione fieri debet, eiusque insuper auctoritate corroborari atque muniri: nam per se quidem certa non est, & quæ fallere non possit, quæ fit a concilio, quod oecumenicum non sit, de fide diffinitio. Nihil autem prohibet, quin huius rei definitionem pontifex unius alicuius provinciæ committat episcopis; immo vero ne uni quidem episcopo, quod vel exemplo Sixti IV. patere possit, qui Alfonso Carrillo archiepiscopo Toletano caussam Petri Oxomensis commisit: quam ille quidem tractavit Compluti.

Caussa fidei committi potest a pontifice uni episcopo.

Aliquando etiam accidere possit, ut alicuius provinciæ episcopi in synodum coadunati fidei caussam actam iam ac definitam contra hæreticos in oecumenico concilio iterum tractent specialius & renovatam suis decretis populis sibi subditis credendam proponant. Huius rei exemplum nobis suppeditare possit concilium I. Bracarense, in cuius præfatione ego sic scriptum reperio: *Licet olim Priscillianæ hæresis contagio in Hispaniarum provinciis detecta sit ac damnata, ne quis tamen per ignorantiam, aut alicuius, ut adsolet, scripturis deceptus apocryphis, aliqua adhuc ipsius erroris pestilentia sit infectus, manifestius ignaris hominibus declaretur, quia ipsi in extremitate & in ultimis huius provinciæ finibus constituti, aut exiguam, aut pæne nullam*

re-

recta eruditionis notitiam contigerunt. Subiungit deinde concilium, quod rem ipsam declarat planius, & opinionem nostram confirmat: *Credo autem, vestrae beatitudinis fraternitatem nosse, quia eo tempore, quo in hisce regionibus nefandissimae Priscillianae secta venena serpebant, beatissimus papa urbis Romae Leo, qui quadragesimus fere apostoli Petri successor exstitit per Turibium notarium sedis suae ad synodum Gallaeciae contra impiam Priscillianae haeresis sectam scripta sua direxit, cuius etiam praecepto Tarraconenses & Carthaginienses episcopi, Lusitani quoque & Baetici, facto inter se concilio, regulam fidei contra Priscilliani haeresim cum aliquibus capitulis, conscribentes ad Bellonium tunc huius Bracarensis ecclesiae praesulem, direxerunt. Vnde, quia ipsum praescriptae fidei exemplar cum suis capitulis prae manibus hic habemus pro instructione ignorantium, si vestrae placet reverentiae, recitetur. Omnes episcopi dixerunt: Valde necessaria est capitulorum lectio, ut dum simplicioribus pristina sanctorum patrum instituta panduntur, abominata iam olim a sede beatissimi Petri apostoli & damnata cognoscantur. Lectum est exemplar cum capitulis: post lectionem vero omnes episcopi dixerunt: Declarentur haec evidentius positis modo capitulis, ut qui minus est eruditus, intelligat.* Hactenus concilium.

Is erat episcopus Asturicensis, quod constat epistola 93. Leonis.

II. observatio.

Quemadmodum autem non satis convinci potest, aliquod concilium esse nationale, quia in eo tractatur caussa fidei, quandoquidem tractari etiam potest, ut ostendi, in concilio provinciali, ita quoque nihil prohibet, in concilio provinciali communia totius nationis aliqua negotia tractari, modo id fiat ex commissione, quod suo loco monstrabimus aperte.

Quando rex concilio intersit.

Praeter eas, quas explicui, notas nationalis concilii, non omnium quidem nationalium conciliorum pariter communis, sed Toletanorum maxime propria illa est, ut in ea rex adstet simul cum illustribus palatinis, ac de

eius

eius imperio synodus convocetur: hoc enim nusquam scimus contigisse, quum concilium ageretur provinciale. Rationem etiam huius rei suo loco reddemus.

CAPVT IV.

QVO GENERE TOLETANA CONCILIA CONTINEANTVR, PRAESERTIM PRIMVM.

ACcedamus iam propius, ac de conciliis Toletanis non universe modo, sed specialiter etiam, & propter partes disseramus, sic enim perfectior erit disputatio, & quoniam dixeramus superius, non esse omnia Toletana concilia nationalia, quaenam & quot sint, explicemus scrupulose, sumto argumento a superioribus notis. Exordiamur autem a primo: de eo vero sic statuo. Primum concilium Toletanum eorum, quae exstant modo, provinciale fuit: est in hac nostra opinione archiepiscopus Toletanus in *Summa conciliorum* initio huius concilii, tametsi nullam adferat rationem. Cuius sententia, licet hac parte a nobis probetur, illo nomine improbatur, quod dicat concilium I. Toletanum a Leone I. fuisse confirmatum: ut enim dicemus inferius, hoc concilium non fuit habitum sub Leone, sed potius sub Innocentio I. Superiorem sententiam his argumentis convincimus maxime: quia neque titulum habet concilii universalis, neque, quod sciam, uspiam ea ratione & nomine citatur; neque in eo adfuerunt plures metropolitae, aut ex variis provinciis episcopi; neque, quae in eo tractantur caussae & negotia, ad episcopos diversarum provinciarum spectant. Quod intelligere possit, qui per ipsum concilium animum circumferre velit. Quin immo, si verum est, quod ad eius concilii marginem quidam adiecit, omnes episcopi, qui huic concilio interfuerunt, erant ex Gallicia: sic enim legimus: *De Gallicia & Lucensis urbis conventu, & municipio Celenis, omnes decem & novem isti-*

Primum concilium non est confirmatum a Leone I.

isti sunt. Capite præterea II. colligi videtur, quæ sunt in hoc acta concilio, ad unam dumtaxat provinciam pertinere, quum in eo dicatur: *Mox scripta percurrant per omnes provinciæ episcopos*. Quum enim dicat concilium *per provinciæ episcopos*, illam proculdubio provinciam significat, ad quam, qui præsentes aderant episcopi, pertinebant, alioqui per Hispaniam dixisset, vel per singulas quasque provincias. Accedit ad hoc non levis, ut arbitror, coniectura, ut credamus, primum & secundum concilium Toletanum non potuisse putari nationalia, sed provincialia solum: quod concilia nationalia, & totius Hispaniæ, sicuti admonui superius, & colligitur ex conciliorum monumentis, imperio regis agi solebant: quoniam, ut alio loco monstrandum nobis est, non tantum de rebus ecclesiæ in eisdem agebatur, sed de regni quoque regisque sæcularibus caussis. Atque ante concilium III. Toletanum, in quo Reccaredus simul cum illustribus gentis Gothicæ, multisque Suevis ad ecclesiam Romanam rediit, & catholicam fidem est amplexus, quum prius essent Ariani, credibile non est, reges Gothos permisisse, ut totius Hispaniæ nationis catholicorum episcoporum concilium cogeretur: quin immo singuli, ut arbitror, metropolitæ non sine metu regis Ariani synodos provinciales tenebant: quare proculdubio concilium I. provinciale putandum est, non nationale.

I. obiectio. Obiiciet aliquis, hoc concilium videri nationale ex negotiis, in quibus occupatur, ex præfatione enim constat tractari in eo res totius cleri, quum ita legatur: *Communi concilio decernamus, quid ab omnibus episcopis in ordinandis clericis sit sequendum*. Scrupulum eximit ipsamet synodus; nam quum nominasset decem & novem episcopos provinciæ Gallicianæ, subiungit: *Quoniam singuli cœpimus in ecclesiis nostris facere diversa, decernamus communi concilio, quid ab omnibus in ordinandis clericis sit sequendum*. Vnde manifestum apparet,

Solvitur.

quum

quum *commune concilium* dicitur, illud intelligi, quod decem & novem memoratis episcopis efficeretur, & quum ait, *quid sit ab omnibus sequendum, decernamus*, illos significari solum, qui tunc temporis in unum coierant, & diversa, ut concilium ait, facere solebant in suis ecclesiis, præsertim in ordine clericorum. Quamquam, si quis velit, non sine ratione possit adserere, quæ sunt de clericorum ordinatione in hoc concilio definita, ad omnes episcopos Hispaniæ pertinere potuisse, tametsi, ut diximus, concilium fuerit provinciale: pertinent autem ad universam Hispaniam non virtute concilii, quod revera provinciale fuit, sed ex commissione & confirmatione Innocentii I. quod constat ex epistola eiusdem 24. ad episcopos in synodo Toletana. Sed de ea re latius dicemus inferius.

Illud præterea lectorem perturbare possit, &, si rem spectet leviter, a sententia fortasse deiiciet, quod huic synodo qui interfuerunt episcopi, res fidei tractaverint contra omnes hæreses, præsertim vero contra Priscillianistas. Atqui, ut ex concilio IV. Toletano recitavi superius, generale concilium est, in quo de fide, quæ communis est omnium christianorum, agitur. Ceterum quod in hoc concilio adversus Priscillianistas actum sit, docemur ultimo capite eiusdem his verbis: *Regulæ fidei contra omnes hæreses, quam maxime contra Priscillianistas*. Ego vero dabo operam, ut propositæ dubitationi satisfaciam, tametsi illa difficilis sit atque impedita: neque pugnantia indicasse contentus, id enim exigui laboris est, tollam etiam, si possim. Bifariam tamen id efficere tentabo. Primum igitur adsero, non recte colligi concilium esse generale, aut non esse provinciale, quod in eo agatur caussa fidei. Hoc monstratum est a me subiectis exemplis superius. Licet ergo concedamus, in hac synodo de rebus fidei tractatum esse, nemo possit satis convincere hoc ipso nomine, eam fuisse generalem. Dein-

II. obiectio.

Satisfit dubitationi.

Caussa fidei acta in concilio ostendit esse generale.

de plane nego, in hoc concilio Toletano de rebus fidei esse tractatum.

III. obiectio.

Obiicies: Atqui constat contraria sententia capite ultimo, quod est veluti appendix huius concilii. Respondeo, eam fidei tractationem ac definitionem, quæ ad calcem adiecta est, nequaquam posse ad hoc concilium pertinere: quod sane tum ex temporis ratione, tum ex episcopis convincam. In primis ex verbis concilii constat, regulas istas fidei ex Leonis papæ I. præcepto factas esse, id non modo verum esse apparet ex cap. 21. concilii huius, sed ex præfatione Bracarensis I. his verbis, quæ paullo etiam superius recitavi: *Credo autem, vestræ beatitudinis fraternitatem nosse, quia eo tempore, quo in his regionibus nefandissimæ Priscillianæ hæresis venena serpebant, beatissimus papa urbis Romæ Leo, qui quadragesimus fere apostoli Petri successor exstitit, per Turibium notarium sedis suæ ad synodum Galliciæ contra impia Priscillianæ hæresis sectam scripta sua direxerit, cuius etiam præcepto Tarraconenses & Carthaginienses, Lusitani quoque & Bætici, facto inter se concilio, regulam fidei contra Priscilliani hæresim cum aliquibus capitulis conscribentes ad Bellonium tunc huius Bracarensis ecclesiæ præsulem direxerunt.* Planum ergo est, illas fidei regulas factas fuisse de præcepto Leonis I. quemadmodum etiam ex eorum præambulo docemur ad calcem huius primi concilii, & constat aperte ex epistola 93. Leonis I. ad Turibium episcopum Asturicensem, quæ habetur I. tomo conciliorum: & circumfertur inter Leonis epistolas una cum aliis eius scriptis, quæ scrupulum hunc prorsus adimit. Illam legat, qui cupit sibi hac parte satisfacere, præsertim eius initium & finem.

Solvitur. Fidei regulæ ad calcem I. concilii positæ non sunt æditæ in I. concilio.

Ex his, quæ dixi superius, obiter colligo, errorem esse dicere, I. concilium Bracarense habitum esse circa tempora Honorii I. quemadmodum legimus eius intio, nam Honorius fuit XXV. a Leone I. Quare quum con-

concilium Bracarenſe dicat, velle ſe ea tractare, quæ alii epiſcopi Hiſpani de hæreſi Priſcilliani ex præcepto Leonis I. tractaverunt, non debuerunt id facere tam ſero. Exiſtimo ergo pro Hilario *Honorium* fuiſſe poſitum. Hilarius etenim proxime conſequutus eſt Leonem I. qui annos viginti unum pontificatum geſſit; concilium vero Toletanum I. de quo diſputamus, non eſt habitum ſub Leone I. omnium eccleſiaſticorum ſcriptorum opinione.

Pro Hilario Honorius poſitus.

Dices tu forſan, ſub quo igitur pontifice? Reperio additum ad eius marginem ſtatim inito, celebratum eſſe ſub Anaſtaſio papa. Hoc ſi verum eſt, ego non video, quo pacto illæ fidei regulæ edi potuerint ab his epiſcopis, qui concilium I. Toletanum tenuerunt: nam, ut ex hiſtoria conſtat pontificum, Leo I. ſextus fuit pontifex ab Anaſtaſio. Interfuerunt enim Innocentius I. Zoſimus, Bonifacius I. Cæleſtinus, Sixtus III. Quare falſam eſſe exiſtimo eorum hominum opinionem atque ſententiam, qui hoc primum concilium Toletanum ſub Anaſtaſio, vel circa eius tempora celebratum eſſe ferunt. Arbitror autem geſtum fuiſſe ſub Innocentio I. qui eſt Anaſtaſium proxime ſequutus. Convincitur hæc ſententia ex epiſtola 24. eiuſdem Innocentii, quæ habetur primo tomo conciliorum, cuius titulus eſt: *Innocentii epiſtola* 24. *ad ſynodum in civitate Toletana conſtitutam*; in cuius capite 1. ea ſcribit pontifex ad ſynodum tractanda, quæ in eadem ſynodo verbis fere eiſdem tractata ſunt: ſic enim habet cap. 1. epiſtolæ citatæ: *Innocentius univerſis epiſcopis in Toletana ſynodo conſtitutis.* „Sæpe me & nimium quum teneret cura ſollicitum „ſuper diſſenſionis ſchiſmate eccleſiarum, quod malum „per Hiſpanias latius in dies ſeparationis gradu incede„re fama proloquitur, neceſſarium tempus emerſit, quo „non poſſit emendatio tanta differri, & deberet congrua „medicina provideri.“ Quod autem id malum ſit, cui

I. concilium Toletanum quo pontifice factum.

I. concilio Toletano non eſt factum ſub Anaſtaſio.

Factum eſt ſub Innocentio I.

adhibendum esse remedium, inquit, statim exponit, dicens: „Vsque adeo pravas ab episcopis Hispanis or„dinationes clericorum fieri solere, ut nisi timor esset, „ne perturbationes exorirentur, factæ infectæ fieri de„buerint.“ Atqui concilium I. Toletanum de re agit eadem, & verbis fere eisdem: sic enim habet initio: *Convenientibus episcopis*, cet. *Patronus episcopus dixit*: *Quoniam singuli cœpimus in ecclesiis nostris facere diversa, & inde tanta scandala sunt, quæ usque ad schisma perveniunt, si placet, communi consilio decernamus, quid ab omnibus episcopis in ordinandis clericis sit sequendum.*

Consule Stilicone factum I. concilium.

Vide quam congruat cum pontifice concilium, tum rebus ipsis, de quibus agitur, tum verbis: ut nemini dubium esse possit, hoc ipsum illud concilium esse, ad quod Innocentius papa scribit. Confirmatur hæc sententia, quia initio huius concilii dicitur, celebratum esse consule Stilicone. Atque Stilico gessit consulatum sub Innocentio I. quod ex eius epistolis apertum est, præsertim III. ad Exsuperium Tolosanum episcopum, quæ ita concluditur: *Datum* X. *Calendas Martii*, *Stilicone II. & Antemio consulibus.*

Convicimus hactenus, I. concilium Toletanum non sub Anastasio, sed sub Innocentio I. fuisse celebratum. Hoc licet verum sit, minime verum esse potest, ut regulæ fidei ad eius calcem adiectæ in eodem concilio sint editæ, quoniam ab Innocentio I. sub quo concilium celebratum esse constat, ad Leonem I. quintum ab Innocentio, cuius imperio episcopi coierunt, ut regulas fidei facerent, aliquot anni decurrerunt. Concilium vero quodvis, sed maxime provinciale, paucis tantum diebus peragebatur; quemadmodum inferius ostendemus. Ex episcopis etiam, ut dicebam, argumentum capi potest. Licet enim par sit numerus episcoporum, qui concilio subscribunt, eorum numero, qui regulas illas fidei condiderunt, profecto non iidem omnino sunt, sed aliquot

po-

potius diverſi, ut intelligamus, non potuiſſe ſimul primum iſtud Toletanum concilium fieri, & regulas iſtas fidei: eius etenim epiſcopi, qui poſtremus ſubſcribit regulis, nulla mentio in concilio fit.

Quid autem dicemus de his regulis? Arbitror ſane editas fuiſſe ab iis epiſcopis, qui adfuerant in concilio I. Toletano, at non quum illud concilium teneretur: ut enim ex titulo conſtat, Leo I. epiſcopis præcepit Hiſpanis, ut adverſus Priſcilliani hæreſim regulas fidei facerent, cui ut morem gererent, ſinguli metropolitæ in ſuis provinciis rem tractaverunt, Tarraconenſes, Bætici, Luſitani, & Carthaginienſes, quum concilium ſynodi generalis teneri non poſſet, ut loquitur Leo I. ad calcem epiſtolæ 93. Ceterum quum illis, qui concilia in unum collegerunt, non ſatis probaretur, ut eæ fidei regulæ per ſe circumferrentur, adiecerunt alias, iudicio meo, primo concilio Toletano, quod paucos ante annos habitum erat: atque ob eam rem etiam potuerunt his regulis ſubſcribere iidem, qui concilio ſubſcripſerant, epiſcopi.

Qui nam regulas fecerint.

In hoc concilio illud inter cetera definitur: *Quæ vovit Deo caſtam vitam mulier, quam puellam Dei* vocat concilium, *familiaritatem non habeat etiam cum proprio confeſſore.* Quæ lex ſi hoc tempore ſervaretur, fortaſſe melius cum velatis mulieribus ageretur, earumque tranquillitati & pudicitiæ rectius conſultum eſſet. *Corrumpunt* enim, ut Paullus inquit, *bonos mores colloquia prava.*

De profeſſis caſtitatem.

I. Cor. 13.

CA-

CAPVT V.

DE SECVNDO CONCILIO TOLETANO.

Concilium II. Toletanum est provinciale.

SEcundum concilium existimo etiam eſſe provinciale: hoc tametſi firma aliqua ratione certum efficere non admodum facile ſit, aliquot in medium argumenta proferemus, quibus noſtra ſententia non leviter confirmari poſſit. Primum, quia nullum in eo nationalis concilii indicium, nullum veſtigium apparet: nam neque titulum habet ſynodi generalis, neque eo nomine a quopiam citari video, neque epiſcopi in ea ſynodo adſunt ex diverſis provinciis coadunati, neque plures continet metropolitas, neque nationis aguntur in eo negotia; immo vero neque nomina eccleſiarum exſtant, quibus epiſcopi præficerentur: unde coniecturam facere valeamus, quonam illi pertineant. Secundo, quia ad eius calcem ſcriptum eſt: *Siquis tam noſtrum, quam eorum, qui nunc ſanctæ ſynodo ex hac provincia defuerunt*, cet. Quibus verbis non obſcure ſignificari videtur, unius provinciæ omnes eos eſſe epiſcopos, qui huic concilio interfuerunt. Tertio, quia, ſi eſſet generale concilium totius Hiſpaniæ, adfuiſſet proculdubio in eo rex, edictoque caviſſet ſuo, ut concilium obſervaretur, quod accidit perpetuo in conciliis Toletanis totius nationis. Atqui nihil ſimile contigit in hoc concilio, ut apparet. Poſtremo, quia ad finem hujus ſynodi ſtatuitur, ut *Montanus, qui eſt in metropoli, debeat litteras deſtinare ad comprovinciales epiſcopos de congreganda ſynodo ſuo tempore.*

I. ratio. — Secunda. — Tertia. — Quatta.

I. obiectio.

Obiiciet aliquis, hanc ſynodum eſſe nationalem, quoniam quædam, quæ in ea tractantur ac definiuntur, negotia, videntur ad totam nationem pertinere. Cap. n. 5. decernitur in hunc modum: *Nequis fidelium propinquam ſanguinis ſui usque quo adfinitatis lineamenta generis ſucceſſione cognoſcat, in matrimonio ſibi deſideret*

ret copulari. At si rem inspiciamus diligenter, facile comperiemus, nihil isto adversus nos effici testimonio. Nam si, quia in decreto dicitur, *nequis fidelium*, colligat quis, non ad unam tantum provinciam, sed ad nationem potius pertinere decretum, pariter colligere possit, ad omnes fideles spectare, omnesque illa lege constringi: nullum autem concilium, nisi illud oecumenicum sit, omnes fideles obligare valet: eo igitur decreto dumtaxat eius provinciæ fideles adstringuntur. Solvitur.

Secunda. Obiiciet similiter aliquis, nationale hoc concilium videri, quoniam cap. 3. concilii Hispalensis I. innovatur decretum factum in concilio Toletano: *Ne cum clericis extraneæ habitent mulieres*: atqui hoc statutum esse videtur in concilio II. Toletano cap. 3. & ita sane adiectum reperio ad marginem huius I. concilii Hispalensis: ergo concilium II. Toletanum est nationale. Nam quum dicat, *in provincia Bætica*, cuius erat metropolita Hispalensis episcopus, non observari decretum Toleti editum de hac re, atque ob caussam rem illud renovet Hispalense concilium, proculdubio id ipsum decretum alias etiam provincias præter Carthaginiensem, cuius metropolis erat Toletum, complectebatur. Non est igitur provinciale, sed potius nationale II. concilium Toletanum. Solvitur. Mihi tamen videtur dicendum, etiamsi alios aliter sentire atque adserere videam, loco citato Hispalensis concilii non fieri mentionem decreti conditi in II. Toletano, sed in III. quod proculdubio mostrabo paullo inferius esse generale totius Hispaniæ. Hanc sententiam eo primum argumento convinco, quia licet in II. & III. concilio Toletano de hac ipsa re lata lex sit, certe concilium Hispalense non citat Toletanum concilium II. sed III. quoniam verba concilii Hispalensis non tam possunt concilio II. Toletano, quum III. accommodari. Cap. 5. concilii Toletani hoc modo decretum est: *Qui contra veterum imperata* (intelligit antiqua generalia con-

Concilium Hispalense non facit mentionem II. Toletani, sed III.

ci-

cilia Nicænum & Chalcedonense, in quibus id ipsum cautum est) *in suis celulis mulierum, quæ infamiæ suspitionem possunt generare, consortium habuerint, illi canonice distringantur; mulieres vero ab episcopis venundentur*, cet. Concilium vero Hispalense, quoniam videbat id ab episcopis parum diligenter curari, neque ullas ab eis id genus mulieres vendi, lege lata hanc curam sæcularibus iudicibus commisit, quo melius de ea re exsequutioni lex mandaretur, sic enim habet cap. 3. *Quia quidam episcoporum non observantes nuper editum concilii Toletani decretum nimis solliciti in subiectis exsistunt, placuit proinde, ut si presbyter, diaconi vel clerici consortia extranearum feminarum vel ancillarum familiaritatem post sacerdotis sui admonitionem a se minus removerint, sæculi iudices easdem mulieres cum voluntate, & permissione episcopi comprehensas in suis lucris usurpent. Vt vitium hoc, dum sacerdos prohibere non prævalet, potestas iudicialis coerceat.*

Capite vero 3. concilii II. Toletani licet prohibeatur clericis consortium extranearum mulierum, non additur ea poena, ut vendantur mulieres, sed solum quod retrahantur sacerdotes, quia id crimen admiserint, ab officio, & expellantur ecclesiæ foribus, quod facile, qui velit, intelliget: sic enim habet concilium II. Toletanum cap. 3. *Illud speciali ordinatione decrevimus, quod neque antiqua concilia in canonibus universum siluerunt, ut nullus clericorum in consortio familiaritatis habeat mulierem*, cet. *Sane deinceps quisquis earum consortio frui voluerit, noverit, se non solum a clericatus officio retrahi, vel ecclesiæ foribus expelli, sed omnium etiam catholicorum communione privari.* Confirmatur deinde sententia nostra, quia quum in concilio Hispalensi dicatur, quod episcopi non observant nuper editum in concilio Toletano decretum, non potest ulla ratione aliud concilium Toletanum significari, quam tertium, quod est habitum paullo

lo ante quam Hispalense celebraretur: nam secundum multo ante habitum est, quam Hispalense cogeretur. Hispalense namque & III. Toletanum sub Pelagio papa; at II. Toletanum sub Ioanne II. quem ante Pelagium sunt consequuti Agapetus, Silverius, Vigilius. Ex superioribus colligo, concilium Hispalense post III. Toletanum esse collocandum, quum illud citet: contra tamen sit modo.

Locus I. concilii Hispalensis.

CAPVT VI.
DE TERTIO CONCILIO.

TErtium concilium Toletanum proculdubio est nationale: adsunt enim in eo omnes illæ notæ nationalis concilii, quas recensuimus superius. In primis in eius præfatione sic legimus: *Hæc sancta synodus habita est in sancta civitate regia Toletana ab episcopis totius Hispaniæ, vel Galliæ*: quo loco legendum puto, *& Galiciæ*: ex plurimis aliis conciliis Toletanis observandum est etiam hac parte, iam hoc tempore appellari Toletum regiam urbem. Deinde in ea synodo adfuerunt quatuor metropolitæ, qui hoc ordine subscripserunt, *Emeritensis, Toletanus, Narbonensis, Bracarensis, qui vicem gessit Lucensis, ac pro eo subscripsit.*

III. concilium Toletanum est nationale.

Toletum urbs regia.

Quod si huic synodo plures atque diversi metropolitæ interfuerunt, non dubium est, quin etiam adfuerint diversarum provinciarum episcopi. Negotia vero, de quibus in ea synodo agebatur, ad universam Hispaniam pertinere ex his regis verbis maxime constare possit, quæ sunt ad calcem præfationis adiecta: *Pro firmitate catholicæ fidei nostra Deo supplex decrevit auctoritas, ut propter roborandam gentis nostræ novellam conversionem omnes Hispaniarum & Galliciæ ecclesiæ hanc regulam servent*, cet. Est etiam in hoc concilio caussa fidei acta, quæ maxime communis est, adversus Arianos.

nos. Nam paullo ante Reccaredus rex simul cum nobilibus gentis Gothicæ, multisque Suevis, qui eo tempore provinciam Galliciæ occupabant, ad catholicam ecclesiam redierat, & coactum est hoc concilium ea caussa maxime, ut publice christianam fidem Gothi profiterentur, hæresi abiurata, & gratiæ Deo in communi pro tam insigni beneficio agerentur.

Dubium autem non est, quin huic concilio rex simul cum illustribus palatinis interfuerit; quod est etiam nationalis synodi non obscurum argumentum.

Fidei symbolum recitetur singulis dominicis diebus.

Decretum est in hoc concilio, ut in omnibus Hispaniæ & Galliciæ ecclesiis die dominica fidei symbolum clara voce recitaretur, 2. cap.

Rursum cap. 10. statutum est: *Siquis propositum castitatis viduæ vel virginis impedierit, a sancta communione & liminibus ecclesiæ habeatur extraneus.*

Cap. etiam 4. datur facultas episcopo efficiendi ex parochia monasterium: *rei enim bonæ statuendæ*, ait, *concilium dat consensum.*

Ad mensam episcopi scriptura sacra legatur.

Deinde, ut ad mensam episcopi scripturæ divinæ legerentur: quia *per hoc animæ ædificantur ad bonum, & fabulæ non necessariæ prohibentur*, cap. 7.

Actores fiscalium patrimoniorum.

Item, ut iudices locorum aut actores fiscalium patrimoniorum simul cum concilio sacerdotum autumnali tempore die Kalendarum Novembrium in unum conveniant, ut discant quam pie, iuste & humaniter cum populo agere debeant, neque iniustis vectigalibus & immoderatis exactionibus ipsos premant. Est enim munus episcoporum prospicere, qualiter iudices cum populis agant, ut ipsos præmonitos corrigant, aut insolentiæ eorum principum auribus innotescant. Hæc autem lex lata est ex regis decreto: cap. 18.

Luctus immodici prohibentur.

Luctus etiam in funeribus prohibentur, quos nimios olim scimus fuisse apud Hispanos, conductis etiam mulierculis, (*que llamaban endechaderas*) quæ pectus & fa-

faciem laniarent, multisque cælum importunis queſtibus implerent, quarum memoria adhuc apud nos in vetuſtis ſarcophagis aut ſepulcris retinetur: canone 21. Poſtremo ſacerdotum & iudicum ſæcularium curæ ſynodus committit, ut ab omnibus provinciis depellant irreligioſam conſuetudinem, quam vulgus agere conſuevit per ſolemnitates feſtivitateſque ſanctorum, dum turpibus ſaltationibus invigilant: non ſolum cantantes cantica mala, ſed perſtrepentes etiam religioſorum officiis: canone 22. Quod ſi eo tempore huiuſmodi choræas & ſaltationes prohibuit concilium, non dubium eſt, quin etiam taurorum agitationem prohibuiſſet, ſi eſſet in uſu, quam noſtris temporibus vetuit Pius V. Pont. Max. edita bulla.

Saltationes & choræas prohibentur.

CAPVT VII.

DE QVARTO CONCILIO.

Concilium IV. eſt nationale.

QVod adſerui de tertio concilio, cenſeo etiam de quarto. Eſt enim illud ſine dubio nationale, eiſdem argumentis, atque his longe apertioribus. Legimus in eius præfatione: *Quoniam generale concilium agimus, oportet noſtræ vocis ſermonem de cælo eſſe.* Quibus verbis non generale modo totius Hiſpaniæ concilium vocatur, ſed generale ſimpliciter. Accedit ad hoc, quod in concilio Toletano V. hoc ipſum concilium IV. univerſale etiam appellatur cap. 7. quum dicitur: *Statuit hæc ſacratiſſima ſynodus, ut in omni concilio epiſcoporum Hiſpaniæ univerſalis concilii decretum, quod propter noſtrorum principum eſt ſalutem conſtitutum, peractis omnibus in ſynodo, publica voce pronuntietur.* Fit autem hoc loco mentio eius decreti, quod conditum eſt cap. 74. concilii IV. cuius initium eſt: *Poſt inſtituta quædam eccleſiaſtici ordinis*, cet. Addo etiam, quod cap. 2. concilii V. quartum concilium non ſolum univerſa-

le, sed magnum etiam vocatur in hunc modum: *Haec in concilium communiter considerata defertur sententia, ut servetis quaecumque in universali & magna synodo provisa sunt circa principum utilitatem atque salutem.* Est enim hoc definitum, ut diximus cap. 74. huius IV. concilii.

Praeterea interfuerunt huic concilio plures metropolitae, sex inquam, Hispalensis, Narbonensis, Emeritensis, Toletanus, Bracarensis, Tarraconensis. Dubium autem non est, quin ex variis provinciis episcopi quoque adfuerint, quum reperiamus eius actis subscripsisse episcopos septuaginta, & absentium multos vicarios. Ipsa quoque negotia in hac synodo definita opinionem nostram plurimum confirmant: cap. enim 74. statuitur, *ut omnes Hispani regum suorum utilitatem procurent.*

Cap. 5. decernitur, quoties in baptismo puer mergendus sit per totam Hispaniam.

Cap. 4. ne clerici vel laici prolixis comis in Hispania utantur: quoniam usque ad illud tempus iste ritus in Hispania haereticorum fuit.

Ritus haereticorum.

Cap. 42. ut episcopi clericis extraneas auferant mulieres vendantque, eo modo ut ad clericos redire amplius non possint.

Cap. 31. episcopi populos protegant, ne a potentibus vel iudicibus opprimantur.

Immunitas clericorum.

Cap. 40. omnes clerici ab omni publica indictione & labore habeantur immunes.

Cap. 64. ne Iudaei, aut qui ex Iudaeis, publica officia appetant. Atque ut id quoque obiter admoneam, cap. 33. mentio fit eius collegii, in quo pueri instituerentur, qui sacerdotes futuri erant: *seminarium* appellat concilium Tridentinum, ne quispiam id existimet novitium inventum, sed potius principes atque episcopi dent operam sedulo, ut in singulis episcopatibus haec ipsa seminaria erigantur: sic enim habet: „Prona est

Seminarium sacerdotum.

„omnis ætas ab adoleſcentia in malum: nihil enim incertius quam vita adoleſcentum: ob hoc conſtituendum oportuit, ut ſiqui in clero puberes aut adoleſcentes exſiſtunt, omnes in uno conclavi atrii commorentur, ut lubricæ ætatis annos non in luxuria, ſed in diſciplinis eccleſiaſticis agant, deputato probatiſſimo ſeniore, quem magiſtrum diſciplinæ, & teſtem vitæ habeant.“

CAPVT VIII.

DE CONCILIO QVINTO.

Concilium quintum ſimiliter eſt nationale. Hæc autem ſententia non obſcuris argumentis convincitur, ſed apertis potius & maxime planis: in primis, quoniam univerſale vocatur cap. 18. concilii VI. his verbis: *Iam quidem in antecedenti univerſali ſynodo.* Antecedens vero ſynodus ſextam quinta eſt ſane. Hæc enim anno proxime ſuperiori habita fuerat, & citatur cap. 3. eiusdem ſynodi. Deinde, quia epiſcopis hæc ſynodus efficitur diverſarum provinciarum: initio enim eiusdem ſic habetur: *Apud urbem Toletanam diverſis ex provinciis Hiſpaniæ ſacerdotes domini, qui in uno pacis oſculo in baſilica S. martyris Leocadiæ conſedimus.* Tantumdem nos docent ſubſcriptiones epiſcoporum ad calcem adiectæ. Huius propterea diffinitiones concilii ad univerſam Hiſpaniam haud dubie pertinent, immo vero ad univerſum regnum Gothorum. Legimus enim cap. 1. in hunc modum: *Decreto noſtro ſancimus, ut in cuncto regno a Deo regi conceſſo ſpecialis & propria hæc teneatur obſervantia, ut Iduum Decembr. litania triduo ubique annua ſucceſſione peragatur, & indulgentia delictorum lacrimis impetretur.* Decretum etiam 7. cap. ad univerſam Hiſpaniam pertinet, quod ſic habet: *Propter malarum mentium facilitatem, & memoriæ oblivionem hæc ſacratiſſima ſtatuit*

Concilio V. eſt nationale.

Litania.

tuit synodus, ut in omni concilio episcoporum Hispaniæ universalis concilii decretum, quod propter principum nostrorum salutem constitutum est, peractis omnibus, in synodo publica voce debeat pronuntiari.

Adfuit præterea in hac synodo rex Sisenandus cum optimatibus, & senioribus palatinis, quod est indicium, ut diximus, nationalis synodi Toletanæ. Testatur id synodus initio, quum ait: *In medio nostri cœtus ingresus rex cum optimatibus & senioribus palatinis supplex se omnium orationibus commendavit, suosque fideles ita facere sancta exhortatione coegit.*

I. obiectio. Sed fortasse videri possit alicui hæc synodus provincialis dumtaxat; primum, quia in ea tantum adfuit unus metropolita, Eugenius inquam Toletanæ ecclesiæ provinciæ Carthaginiensis metropolitanus episcopus. Deinde, quia, si hæc synodus est universalis, cur de quarta in hunc modum loquitur cap. 2. *Servate quæcumque in universali & magna synodo provisa sunt*, & cap. 7. *In omni concilio episcoporum Hispaniæ universalis concilii decretum recitetur.* Quum enim alia concilia Toletana universalia vocet, ipsum sane non videtur esse universale.

Secunda.

Solvitur. Solvitur utraque dubitatio nullo negotio. Fateor in primis, unum tantum præsentem huic concilio metropolitam fuisse; at non recte inde quis colligat, non esse nationale: quum suppetant multa alia nationalis synodi argumenta atque indicia, quæ sunt a me explanata superius. Ad secundam dubitationem dicendum, quod licet concilium V. appellet quartum universale, nihil vetat, ipsum quoque esse universale, quid enim mirum est vocari universalem synodum, quæ universalis sit.

Hoc tamen loco obiter admonere lubet, quod ubicumque concilium aliquod Toletanum post quartum, aliud Toletanum universale vocat, neque illud nominatim exprimit, quartum proculdubio significari, rationibus su-

pe-

perius expoſitis. Cap. 6. concilii VI. quum dicitur : *Sicut univerſalis ſynodus ſtatuit*, & cap. 3. eiusdem : *Quæ in univerſali ſynodo de Iudæis ſcripta ſunt*, quartum significatur concilium Toletanum.

CAPVT IX.

DE SEXTO CONCILIO.

SExtum concilium eſt etiam nationale : quod eisdem prorsus argumentis perſuadetur. Ipſum etenim con cilium ſe vocat univerſale cap. 2. quum inquit : *Proinde univerſalis auctoritate concilii cenſemus*. Diverſarum præterea provinciarum episcopis conſtat : ſic enim legimus initio : *Convenientibus nobis Hiſpaniarum & Galliciæ pontificibus ſummis*. Accedit ad hoc, quod concilium IV. Toletanum, ut monſtratum eſt, eſt univerſale, ſeu nationale ; at eius acta confirmat hæc ſexta ſynodus ; ergo eſt etiam univerſalis. Etenim, ſi eſſet provincialis, minime poſſet univerſalis ſynodi acta confirmare : ſed quod ea confirmet cap. 3. conſtat his verbis : *Nos etenim ita præſentia decernimus, ut præterita, quæ in univerſali ſynodo de Iudæis conſcripta ſunt, confirmemus.* Idem adſerit ſancta hæc ſynodus capite 16. agens de quinta ſynodo, quum ait : *De præſentis excellentiſſimi Chintillani regis poſteritate dentur aperta decreta, ut ea, quæ ſynodus præterito anno in hac eccleſia habita conſtituit circa omnem poſteritatem eius, univerſitas regni ſui conſervet.* Capite etiam 18. *Iam quidem in antecedenti univerſali ſynodo ſaluti noſtrorum principum conſtat eſſe conſultum, ſed libet iterare bene ſancita, & digna auctoritate munire ſalubriter ordinata.* Concilium VI. eſt nationale.

Interfuerunt etiam huic ſynodo quatuor metropolitæ, *Silva* Narbonenſis, *Iulianus* Bracarenſis, *Eugenius* Toletanus, *Honoratus* Hiſpalenſis. Episcopi adfuerunt numero quinquaginta duo ex diverſis, ut conſtat, provinciis.

Neg-

Desertores religionis revocentur.

Negotia quoque tractat hæc synodus generalia: quod quivis possit intelligere minimo negotio; primum de desertoribus religionis reducendis ad monasterium, cuiusmodi decretum exsequutioni mandari iussit ætate nostra Paullus IV. Pontifex Max. ac post illum Pius V. proprio motu: his autem verbis continetur: *Quisquis semel habitum induerit spontaneæ religionis, sive is vir sit, sive femina, in utroque sexu prævaricator ad propositum invitus reverti cogatur, ut vir detondeatur, & puella ad monasterium revertatur*: cap. 6.

Vt Iudæi catholice vivant vel regno excedant; quoniam rex pati non vult in suo regno quempiam vivere infidelem: cap. 3.

Immunitas eorum, qui ad ecclesiam confugiunt.

Siquis ad ecclesiam fecerit confugium, intercessu sacerdotum, & reverentia loci, regia in eos potestas reservetur, comitante iustitia: cap. 12.

Interfuit postremo rex huic synodo cum proceribus regni, quod est magnum argumentum synodi nationalis.

Obiectio.

Obiiciet aliquis, non videri hanc synodum universalem, quod eius initio scriptum sit, *more synodi universalis*: quasi re vera hæc non sit universalis. Adimitur scrupulus, si superiorum verborum sensum consideremus: is est, *quoniam hæc synodus est universalis, perinde in ea faciendum est, atque in aliis universalibus synodis fieri consuevit.*

Solvitur.

CAPVT X.

DE CONCILIO SEPTIMO.

Concilium VII. est nationale.

EST hoc etiam nationale: nam tametsi inscriptio universalis non sit, neque citetur, quod sciam, ea ratione ab aliis, adsunt in eo nonnulla, quæ nationale concilium esse testantur. Plures enim metropolitæ interfuisse videntur, quia licet solus Emeritensis subscribat, quum sit concilium habitum Toleti, dubitari non potest,

eſt., quin adfuerit etiam Toletanus. Epiſcoporum præterea numerus provinciale eſſe non patitur, quoniam nulla Hiſpaniæ provincia fuit, quæ XXXVIII. epiſcopos haberet, quot ſcimus adfuiſſe in hac ſynodo. Ex rebus etiam decretis argumentum accipi poteſt non infirmum: cap. enim 4. decernit ſynodus adverſus epiſcopos Galliciæ, qui rapaces & eccleſiarum exſpoliatores erant: *Quare quum epiſcopi Galliciæ neque ſub Toletano exſiſterent metropolita, neque ſub Emeritenſi, ſed ſub Bracarenſi, vel Lucenſi*, ut attigimus ſuperius, iſtud concilium haud dubie cenſeri debet univerſale, alioqui eius decreta ligare Galliciæ epiſcopos minime potuiſſent, quod faciunt, ut apparet. Cap. etiam 5. monachi vagi atque in cellulis degentes (*como agora algunos hermitaños*) qui olim circumcelliones vocabantur, & ut liberius agerent, cellulas petebant, ex monaſterio, perinde ac ſi perfecti eſſent virtute, ſi indocti ſint, iubentur ad monaſterium redire, ut ibi erudiantur ſancti ordinis doctrinam, quam alios poſtea doceant. Hos etiam monachos vagos graviter increpat Iſidorus *de officiis eccleſiaſticis* diſſerens: ut non male meo iudicio facerent epiſcopi, qui in eorum vitam inquirerent. Monachi vagi.

CAPUT XI.

DE CONCILIO OCTAVO.

Octavum concilium ſimiliter eſt nationale: tum quia in eo quatuor metropolitæ adfuerunt, Emeritenſis, Hiſpalenſis, Toletanus, Bracarenſis; tum etiam, quia complexum eſt epiſcopos quinquaginta quinque diverſarum provinciarum: tertio, quia adfuit in eo Flavius Reccesuinthus rex ſimul cum illuſtribus viris officii palatini, qui & ſubſcripſerunt poſt abbates & vicarios epiſcoporum. Poſtremo, quæ ſunt in eo latæ leges, ad univerſam Hiſpaniam ſpectant. Statutum enim eſt in hac Concilium VIII. eſt nationale.

Abstinere a carnibus in quadragesima.

synodo, ut omnes a carnibus abstineant tota quadragesima; illi vero, quos aut ætas incurvat, aut languor extenuat, aut neccessitas arctat, non ante prohibita violare præsumant, quam a sacerdote permissum recipiant, inquit synodus cap. 9 Cap. 8. *Nullus cuiusque dignitatis ecclesiasticæ deinceps gradum percipiat, qui non totum psalterium canticorum usualium & hymnorum, sive baptizandi perfecte noverit supplementum.*

CAPVT XII.

DE CONCILIO NONO.

Concilium IX. est provinciale.

CONcilium nonum provinciale esse puto, nulla siquidem indicia mihi suppetunt ex eo, unde nationale esse existimem: nam neque pluribus metropolitis constat, neque episcopis diversarum provinciarum, immo vero neque exstat ullius episcopi subscriptio, unde coniecturam facere possimus, quinam episcopi in eo adfuerint, & quorum metropolitarum fuerint suffraganei: quin potius, quum eius initio legamus, interfuisse huic synodo decem & sex episcopos, verisimile mihi fit, vel hanc unam rationem sequuto, illud fuisse provinciale. Quam sententiam illa ratio non leviter confirmat, quod octo diebus peractum sit, quum enim coepisset teneri Kal. Novemb. anno VII. Reccesvinthi, absolutum est VIII. Kal. mensis eiusdem. Accedit ad hoc, quod neque rex, neque ulli de palatinis concilio interfuerunt, quod ipsa concilii series demonstrat: & quum concilia nationalia, quæ Toleti habita sunt, statim initio dicant, imperio regis coivisse, nihil simile in hoc concilio scriptum reperimus: sed potius coactos esse patres edicto canonicæ definitionis, hoc est, secundum id, quod est definitum in conciliis generalibus oecumenicisque, in quibus nationalium synodorum nulla fit mentio, provincialium vero frequentissima. Quæ autem in hac synodo caussæ tractan-

ctantur, non possit quispiam evidenter colligere ad universam Hispaniam pertinere: possunt enim aptissime accommodari illi provinciæ, in qua synodus habita est: in ea tamen statutum reperio: *Ut Iudæi baptizati*, sic loquitur concilium, *festis præcipuis novi testamenti serie consecratis, & diebus, quos olim sanctione veteris legis sibimet censebant esse solemnes, in civitatibus publicisque conventibus cum summis Dei sacerdotibus celebrent, ut eorum conversationem & fidem pontifex approbet, & veritas servet*, cap. 17. Cap. etiam 2. decernitur, ut fundatores ecclesiarum, quamdiu vixerint, permittantur habere curam earum, & rectores idoneos offerant episcopo ordinandos, & habetur 16. q. 7. *decernimus, ut quamdiu*. Tandem cap. 13. decernitur, ne liberti caussa connubii copulentur Romanis ingenuis, aut Gothis, quia *ita servari generis nobilitas debet, ut in nullo commixtio maculet aliena, quod generositas propria decoravit*.

De Iudæis baptizatis decretum.

Item, ut quum mori contigerit episcopum, episcopus, qui ad humandum eius corpus advenerit, describat thesauros & ornamenta omnia decedentis, & suscepti caussa laboris pretium ferat, cap. 9. Hinc constat, eo tempore ab episcopo vicino humari episcopum consuevisse.

Si episcopus vel sacerdos, vel minister illicite alienavit res ecclesiæ, ipso vivente nulla perscriptio currit contra ecclesiam in rebus illis, sed eo mortuo incipiat currere, cap. 8. habetur 16. *q. III. Si sacerdos*.

CAPUT XIII.

DE CONCILIO DECIMO.

TAntumdem existimo de concilio decimo, & ob easdem caussas: in eo enim solum legimus adfuisse Eugenium Toletanum, & episcopos XXI. quorum nomina quum minime exstent in actis huius concilii, nemo

Concilium X. est provinciale.

possit cum ratione putare, potius ad plures, quam ad unam provinciam pertinere.

Confirmat nostram sententiam id, quod ad calcem concilii IX. definitum est, ut antiquitatis ordinem retinentes, noverint se anno venturo Kalend. Novembris caussa peragendi concilii Toleti congregari debere. Statutum enim erat, ut singulis annis concilium provinciæ celebraretur, quod constat cap. 1. concilii Cabilonensis: nam concilium IX. celebratum est die 8. Kalend. Novemb. anno VII. regni Reccesvinthi, decimum vero die Kal. Decemb. absolutum est anno VIII. eiusdem regis, ut ad calcem eius concilii reperitur. Decretum vero de tenendo singulis annis concilium provinciale renovatur cap. *Postremo* concilii XI. Toletani illis verbis: *Placuit definire, ut paternis institutionibus obsequentes omni anno ad peragendum celebritatem concilii in metropolitana sede confluamus.*

Confirmat hanc sententiam nostram ea formula, quam in subscribendo tenuit Eugenius, sic enim habet: *Eugenius, indignus Toletanæ sedis metropolitanus episcopus, hæc nostrarum diffinitionum statuta subscripsi.* Quibus verbis significare videtur, concilium esse solum episcoporum, qui Toletano parerent, quum dicat *nostrarum definitionum statuta.* Accedit ad hoc; quod neque rex in eo adfuit, neque ulli ex illustribus palatinis, sed illi tantum episcopi convenerunt, qui interfuerant proximæ synodo, paucis modo adiectis, secundum id, quod ad calcem concilii IX. fuerat definitum de hac ipsa synodo tenenda. Confirmat etiam opinionem nostram de hac re, nihil esse in hac X. synodo stabilitum, quod necessario ad totam nationem debeat aut possit pertinere, ut etiam ex rebus gestis argumentum sumamus.

I. obiectio. Instabit aliquis nobis, hoc concilium provinciale esse non posse, quoniam quædam in eo definiuntur omnibus Hispaniæ ecclesiis observanda: siquidem primo statui-

tuitur : *Ut singulis annis per universam Hispaniam ante octavum diem, quo natus est Christus, festum dominicæ annuntiationis agatur*, quem concilium vocat interdum *diem genitricis Dei*, interdum vero festivitatem gloriosæ Virginis, *que llamamos en Español nuestra señora de la O*. Atqui nisi concilium esset generale, non haberent eius decreta vim obligandi universam Hispaniam; quod autem ita caveatur, illis accipi verbis videtur: *Si ergo nativitatis & mortis huius incarnati verbi dies absque immutatione ita certus habetur, ut absque diversitate in toto orbe terrarum ab omni ecclesia concorditer celebretur, cur non festivitas gloriosæ matris eius eadem observantia uno simul ubique die similique habeatur honore? Invenitur enim in multis Hispaniæ partibus huius sanctæ Virginis festum non in uno die per omnes annorum circulos agi.*

Festum annuniatitonis.

Solvitur.

Ego vero non tanti facio hanc obiectionem, ut ea ipsa persuaderi posse putem, hoc concilium non esse provinciale: quoniam ex concilii verbis nequaquam colligi possit, hac lege universam Hispaniam obligari, sed eam tantum provinciam, cui lex lata est, Carthaginiensem intelligo. Ratio est, quia, ut in eodem cap. scriptum est, *in multis ecclesiis a nobis*, id est a Toletana remotis provincia, *hic mos*, celebrandi inquam hoc festum, *agnoscitur retineri*: quare ad eas terras non pertinet lex, quia lege non egent; quin immo provincia Carthaginiensis facere debuit more aliarum provinciarum.

Confirmatur, quia si, quod ait concilium, in multis Hispaniæ partibus non celebrari eodem die hoc festum, colligat quispiam, hanc legem ad universam Hispaniam pertinere, pari quoque ratione convincemus, eadem lege totum christianum orbem teneri, quum dicat concilium: *Si ergo nativitatis & mortis huius incarnati verbi dies absque immutatione ita certus habetur, ut absque diversitate in toto orbe terrarum ab omni ecclesia concorditer celebretur, cur non festivitas glorio-*

sæ

sæ matris eius eadem observantia uno simul ubique die similique habeatur honore?

Est alia ratio contra nos sumta similiter ex rebus in hoc concilio gestis, ea inquam, quod hæc synodus Potamium Bracarensem metropolitam propter vitam incontinenter actam, atque, ut concilium ait, quod tactu femineo sorduisset, honore ac dignitate deiecerit: constat id ex decreto pro Potamio ad finem huius concilii. Non est autem verisimile, neque coniunctum aliquo modo cum ratione, ut provinciale concilium adversus episcopum alterius provinciæ, sed maxime metropolitam, sententiam tulerit. Ergo existimare oportet, hoc concilium esse nationale. Vt verum fatear, hæc me ratio bifariam mirabiliter exercet, meumque animum non leviter torquet: primum, dum considero, qua severitate olim in episcopos, etiam metropolitanos, animadverteretur: deinde, quia ad rem hæc obiectio maximi videtur esse momenti, conabor tamen pro viribus ab eadem expedire me: quod si scopum non attigero, dabit veniam lector homini istarum rerum parum perito. Censeo ergo, ut dixi, hoc concilium esse provinciale, & potuisse nihilominus deiici ab eo dignitate metropolitanum Bracarensem; quia huic concilio Toletano præsidebat non metropolita modo, sed etiam primas Hispaniarum, ad quem primo spectabat inspicere, utrum canones in concilio conditi adservarentur, & transgressores punire iuxta supplicia in illis decreta. Deinde quemadmodum iuxta leges in conciliis Toletanis editas poterant sacerdotes a proprio episcopo appellare proprium metropolitam, & a metropolita suo alium, ita quoque qui crimen admisit metropolita, poterat sane alium adire metropolitam, præsertim primatem & concilium; & ab eo accipere poenitentiam pro crimine commisso. Quamobrem quum Potamius culpam suam agnosceret, & confiteri vellet, ut salutare remedium acciperet, concilium adiit Toletanum,

Solvitur.

Cur concili. provinciale proiecerit a sede sua archiepiscopum Bracarensem.

aut

ant primatem potius: crimenque eidem patefecit, & accepit medicinam a iure probatam atque decretam. Nihil ergo mirari debemus, si concilium provinciale huiusmodi sententiam tulerit. Perturbari etiam minime debemus, tametsi Rodericus Toletanus dicat cap. 22. lib. 3. suæ historiæ, subscripsisse huic synodo Fugitivum Hispalensem, & Fructuosum Bracarensem. Primum, quia ex actis concilii nihil firmum de hac re accipi potest: nullius siquidem exstat subscriptio nisi Eugenii. Deinde, licet Fructuosus fuerit subrogatus in locum Potamii, minime constat, quod præsens concilio adfuerit. Potuit enim absens elegi a metropolita & primate Hispaniarum Eugenio. Quare quum dubia res sit, ego quidem potiorem puto priorem sententiam, quæ est a me explanata superius, atque, ut id obiter dicam, quo sententiam meam corroborari non leviter videtur, profecto caussam Potamii non in concilio, sed, eo peracto, ab Eugenio Hispaniarum primate actam esse existimo, simul cum aliquot episcopis. Huius rei illud est argumentum, quod, quum concilio subscripserint XXI. episcopi, eius damnationi solum subscripserint decem & septem, ut intelligamus, tamquam primatem Hispaniarum Eugenium caussam Potamii iudicasse, qui sibi ad eam rem aliquot episcopos adiunxit, quo melius sententiam ferre posset. Et hæc sane videtur probabilis maxime sententia.

III. obiectio.

Solvitur.

CAPUT XIV.

DE CONCILIO UNDECIMO.

Concilium XI est provinciale.

Concilium undecimum est etiam provinciale iudicio meo. In quam sententiam eisdem fere argumentis adducor, quibus proximo capite usus sum: nulla etenim in eo concilii nationalis nota suppetit. Nam neque universalis synodus inscribitur, aut appellatur ab aliquo, neque eidem plures uno Toletano metropolitæ

in-

interfuerunt : neque episcopis diverſarum provinciarum effecta eſt, neque res tractat totius Hiſpaniæ, aut generales leges facit : neque in ea adfuit rex, aut ullus ex illuſtribus palatinis ; & quamquam horum aliquid adeſſet, facile nos hac ſollicitudine ipſa synodus liberare poſſet, quæ ſe provincialem agnoſcit vocatque. Sic enim legimus eius initio : *In nomine ſanctæ Trinitatis collectis in unum Carthaginienſis provinciæ ſacerdotibus in urbe Toletana.* Quam ſententiam aperte confirmant illa verba cap. 15. huius concilii, quæ ſic habent : *Quod ſi deinceps abſque celebratione concilii, anni unius* (epiſcopus) *metas tranſierit, omnium in commune pontificum Carthaginis provinciæ ſuperioris cenſuræ ſententiam obnoxius retinebit.*

Suſcepturus ordines profiteatur fidem.

Sed licet hæc synodus provincialis fuerit, multa ſunt in ea definita, quæ eccleſiaſticam diſciplinam plurimum promovent : ut, quod ordines ſuccepturus fidei profeſſionem faciat, cap. 10. quod eſt in concilio Tridentino nuper renovatum : quod ſacerdotes iudicium ſanguinis non exerceant, hoc eſt, neque per ſe de morte ſententiam ferant, aut mutilatione membrorum, neque præcipiant inferendam, cap. 6. ut ſingulis annis ad peragendam concilii celebritatem in metropolitana ſede confluant epiſcopi tempore, quo princeps vel metropolitanus definierit : cap. 15. *quiſquis autem epiſcoporum... ſe abſentaverit*, id eſt, non adfuerit tempore definito, *ſine inevitabili cauſſa*, ſed ſolius propriæ voluntatis libitu, *omnium pontificum provinciæ Carthaginis cenſuræ ſententiam obnixius retinebit.* Poſtremo, quod concilium nullis tumultibus perſtrepat, capite 1. & cap. 12. his, qui tempore neceſſitatis præſidium poenitentiæ implorant, non eſt neganda reconciliatio : *quia in miſericordia Dei neque menſuras poſſumus ponere, neque tempora definire*, inquit concilium. Illud vero optime ſancitum eſt capite 9. nequis pontifex prius accedat ante al-

ta-

tare quam iuret, se nihil pro honore dedisse, neque daturum in posterum. Postremo illud observare licet ex cap. 11. huius concilii, ea ætate etiam infantibus dari eucharistiam consuevisse, quum dicat concilium: *Neque illos cuiusque punitionis censura redarguet, qui perceptam eucharistiam reiecerint tempore infantiæ, aut in qualibet mentis alienatione positi.*

CAPVT XV.

DE CONCILIO DVODECIMO.

Concilium duodecimum est universale seu nationale. Huius sententiæ illa sunt argumenta, quod in eo quatuor adfuerint metropolitæ, Hispalensis, Toletanus, Bracarensis, Emeritensis. Quod diversarum provinciarum episcopis constiterit; Hispaniæ inquam & Galliciæ omnibus pontificibus, quod docemur capite 6. quod rex una cum illustribus palatinis concilium decorarit: postremo, quod negotia in eo acta sint totius Hispaniæ, ut quod est definitum cap. 12. ut annis singulis in unaquaque provincia Kalendis Novemb. concilium episcopi celebrent, & quod cap. 6. in hunc modum est definitum: *Placuit omnibus pontificibus Hispaniæ atque Galliciæ, salvo privilegio uniuscuiusque provinciæ, ut licitum maneat deinceps Toletano pontifici, quoscumque regalis potestas elegerit, & dicti Toletani pontificis iudicium probaverit, in quibuslibet provinciis præficere præsules.* Vnde accipi potest ea ætate non solere adsumi quempiam ad episcopatum, nisi prius constitisset de eius vita & litteris per inquisitionem archiepiscopi Toletani: quod revocat in usum concilium Tridentinum: & quod cap. 10. statutum est de immunitate ecclesiarum in hanc formam: *Nullus audeat confungientes ad ecclesiam, vel residentes, inde vi abstrahere, aut quodcumque nocibilitatis, vel damni, aut spolii, residentibus in loco sancto* in-

Concilium XII. est nationale.

Inquirebatur de vita & litteris futuri episcopi.

Immunitas ecclesiæ.

Defendebat ſe olim eccleſia.

inferre, ſed ſit his, qui eccleſiam petunt, per omnia licitum in triginta paſſus ab eccleſiæ ianuis progredi, in quibus in toto circuitu eccleſia defendatur.

CAPVT XVI.

DE CONCILIO DECIMO TERTIO.

Concilium XIII. eſt nationale.

CONcilium decimum tertium proculdubio eſt univerſale: nam epiſcopis totius Hiſpaniæ effectum eſt cap. I. his verbis: *Cor glorioſiſſimi principis noſtri divino igni ſuccenſum decrevit pariter, & elegit, ut in unum cœtum omnes Hiſpaniæ aggregati pontifices*, cet. Præterea quadraginta octo epiſcopos habuit, qui non poſſunt omnes unius eſſe provinciæ, aut ad unum metropolitam pertinere. In eo rex adfuit ſimul cum illuſtribus officii palatini: in hac etiam ſynodo duodecimum concilium Toletanum, quod monſtravimus eſſe nationale, confirmatur, cap. inquam 9. Denique negotia, quæ in eo tractantur, ad univerſam Hiſpaniam ſpectant, illud maxime, quod cap. 12. ſtatutum eſt de forma, quam in appellando tenere debent ſacerdotes. Ad calcem vero concilii huius remittit populis rex vectigalia quædam impoſita in conventu ſacerdotum totius Hiſpaniæ, quo exemplo utinam ceteri reges provocarentur, feliciora haberemus tempora, &, quum res poſceret, longe melius ſubditi poſſent ſumtus regios adiuvare. Recte enim quidam dixit, perinde ſe habere ſubditum in regno atque ſplenem in corpore.

CA-

CAPUT XVII.

DE CONCILIO DECIMO QUARTO.

Ut exactius explanare possimus, quid de concilio decimo quarto sentiamus, meminisse oportet, atque id ex huius concilii monumentis aperte colligitur, præsertim cap. 2. misisse pontificem maximum in Hispaniam concilii Constantinopolitani decreta adversus Apollinarem, simulque per epistolam suam invitasse omnes episcopos Hispaniæ, ut *prædicta synodalia instituta*, utor concilii verbis, *ipsorum episcoporum auctoritate vigoris suffulta manerent; & per eosdem omnibus sub regno Hispaniæ consistentibus patescerent divulganda.* Hæ litteræ ad regem Ervigium sunt perlatæ, qui pollicitus pontifici est, ut apparet, se operam daturum, ut omnes episcopi Hispaniæ in unum congregati pestiferum Apollinaris dogma confutarent. Rex igitur cupiebat maxime, ut omnes Hispaniæ episcopi simul cogerentur, & de ea re tractarent: sed quoniam cogi non poterat generale concilium, quod tantum negotium postulare videbatur, propter itineris difficultatem atque etiam importunitatem temporis, nam paullo ante episcopi in suas sedes fatigati ex itinere redierant ex concilio, quod cap. 3. docemur, & tempus erat admodum importunum atque molestum propter variam incursionem tempestatum, ut dicitur 1. cap. sed latius cap. 3. ea ratio inita est, ut in singulis provinciis synodus haberetur, sed in primis Toleti, ex episcopis provinciæ Carthaginiensis: quo, ut synodus testatur cap. 2. quidquid hic actum per Toletanam synodum, reliqui primarum sedium præsules suorum vicariorum relatibus comperissent, id etiam postmodum ipsi per discreta provinciarum suarum concilia divulgassent; sicque hæc nostri concilii gesta essent illis omnibus in toto communia,

Qua caussa coacta sit hæc synodus.

utpote ab ipsis edita, atque ipsis coram positis roborata. Quæ utique per legatos suos confirmanda decreverant; ut sic unum fieret cunctorum Hispanorum præsulum synodale edictum, ex quo omnium metropolitanorum fuisset adsensionibus promulgatum. Hæc, quæ expressis concilii verbis retulimus, in hac synodo tractata sunt, atque hæc, cur cogeretur, caussa fuit. Respondeamus iam ad quæstionem.

Quæstioni propositæ fit satis.

Partim est provincialis hæc synodus.

Si episcopos, qui huic synodo interfuerunt, consideremus, provincialis sane videri possit, solum enim constat episcopis Carthaginiensis provinciæ, docemur id cap. 5. his verbis: *Quia generaliter in unum omnes Hispaniæ præsules aggregari nequivimus, specialiter discretis provinciis concilium celebretur.* Præterea cap. 1. *Nos Carthaginis provinciæ præsules anno, quo supra, sub die XVIII. Kalend. Decembr. in præmemorata ecclesia debitis ordinibus consedentes*, cet. *sic patula & communi voce sumus exorsi.* Idem omnino constat cap. 3. & 4. huius synodi. Si vero metropolitas consideremus, qui concilio interfuerunt, est proculdubio generale totius Hispaniæ: nam omnium metropolitarum Hispaniæ vicarii in hac synodo præsentes fuerunt, quemadmodum docemur cap. 5. his verbis: *Adeo nos primum omnes Carthaginis provinciæ pontifices pari animorum iudicio prædicta gesta probavimus, adsistentibus nobis vicariis reverendissimarum sublimiumque primarum sedium episcoporum, id est Tarraconensis provinciæ Cypriani, Narbonensis Sinefredi, Emeritensis Stephani, Bracarensis Limbani, Hispalensis Floresindi:* quamobrem hoc nomine synodus est nationalis.

Partim nationalis.

Partim œcumenica.

Est etiam œcumenica virtute ac facultate, quatenus a pontifice probata est, quoniam ob eam ipsam rem vim habet obligandi totum orbem christianum, quod cap. 11. eiusdem insinuatur, quum dicitur, *ad vicem decretalium epistolarum hæc permanere debere.* Illud autem concilium no-

nobis sequendum est maxime, hac præsertim ætate, quod cap. 10. dicitur, ut caveamus cum hæreticis conversari, & sermones conferre ac disputare.

CAPVT XVIII.

DE CONCILIO DECIMO QVINTO.

Istud concilium haud dubie est nationale; constat enim totius Hispaniæ & Gallicíæ episcopis: eius enim initio legimus in hunc modum: *Apud urbem Toletanam in ecclesia prætoriensi sanctorum apostolorum Petri & Paulli omnes Hispaniæ Galliæque pontifices aggregati*, cet. Quo loco pro *Gallicíæ* Galliæ positum esse puto, & quum episcopi adfuerint sexaginta unus, certum est ex diversis provinciis ad synodum venisse. In ea adfuit rex Egica una cum illustribus palatinis: publica etiam totius nationis negotia acta sunt, & caussa fidei; sed quia episcoporum non exstant nomina, quot interfuerint metropolitæ, constare non satis potest. Huc accedit, quod in hoc concilio, qui decimo quarto interfuerant, & pontifici responderant, satisfaciunt pontificis obiectioni, suamque sententiam defendunt. Concilium XV. est nationale.

CAPVT XIX.

DE CONCILIO DECIMO SEXTO.

QVod de superiori diximus concilio, censemus etiam de hoc esse dicendum; est enim nationale. Indicant hoc LX. qui præsentes fuerunt, episcopi: indicat rex cum XVI. comitibus & proceribus regni: indicant ipsa negotia, quæ proculdubio ad totam nationem spectant, ut quod cap. 8. definitur, per totam Hispaniam tam pro rege, quam pro eius filiis quotidie missas esse celebrandas: indicant tandem plures metropolitæ, licet autem eorum nomina in hanc synodo Concilium XVI. est nationale.

do minime habeamus, scimus proculdubio adfuisse in ea Sisbertum Toletanum, qui honore & dignitate privatus est, & Felicem Hispalensem, qui in eius locum est subrogatus.

In hoc concilio illud considerandum est maxime, regem & synodum immunitatem fisci concessisse iis, qui ex animo ad christianismum ex Iudaismo converterentur, cap. 1. quo loco illa sententia gravissime scripta est: *Aequitatis ordo deposcit, ut qui fide Christi decorantur, coram hominibus nobiles atque honorabiles habeantur.*

Illud præterea ex hoc concilio accipi potest, eo tempore vitium sodomiæ in Hispania frequens fuisse, quum admoneat rex concilium, ut conetur *evellere obscenum crimen de concubitoribus masculorum canonice, legaliter, & sui iudicii examinatione*, ut rex loquitur. Id fit cap. 3.

CAPVT XX.

DE CONCILIO DECIMO SEPTIMO.

Concilium XVII. est nationale.

EST hoc etiam concilium nationale perinde atque duo superiora: nam fit ex omnibus Hispaniæ & Galliciæ episcopis, ut initio scriptum est. Adfuit rex cum proceribus: res etiam in hoc concilio gestæ id aperte declarant: præcipitur enim cap. 6. ut *per universas Hispaniæ Galliæque provincias singulis mensibus litaniæ cantentur pro ecclesia sancta Dei, pro incolumitate principis, & salute populi, & indulgentia peccati, & expulsione diaboli a cordibus fidelium.* Capite quoque 8. de Iudæorum damnatione in hunc modum statutum est: *Quoniam Iudæorum perfidia non solum tunicam sacri baptismatis christiani, quam susceperant, maculavit, sed etiam contra regem regnumque conspirare ausi sunt, suis omnibus rebus nudati tam eorum personæ perfidorum, quam uxores eorum ac filiorum, & reliquæ posteritatis per cun-*

Conversorum ex Iudaismo castigatio.

ctas

ctas Hiſpaniarum provincias ſervituti ſubiaceant perpetuæ maneantque uſquequaque diſperſæ.

Cap. 4. præcipitur epiſcopis & ſacerdotibus, ut in die coenæ domini lavent pedes ſuorum ſubditorum exemplo Chriſti.

CAPVT XXI.

DE CONCILIO DECIMO OCTAVO.

EXſtat præterea in exemplaribus vetuſtis manuſcriptis compendium quoddam conciliorum Toletanorum, quod nobis Toleti ſuppeditavit D. Garſias Manricus æditimus primarius ſanctæ eccleſiæ Toletanæ: quod ab homine ut hiſtoriæ ſtudioſo, ita Latini ſermonis imperito atque rudi confectum eſſe arbitror. Initio præterea eorum, quæ paſſim circumferuntur, eſt quoddam XVIII. concilium, quod univerſum occupatum eſt in deliberationibus de regno, & canones nullos fecit: ſed, quantum coniicio, eſt perinde atque ſuperiora tria concilia nationale. Factum eſt autem Vitiſa rege Aera DCC. XL.

Concilium XVIII. eſt nationale.

CAPVT XXII.

QVOT CONCILIA TOLETANA PONTIFICIS AVCTORITATE FIRMATA SINT.

HActenus a nobis, quanta maxima potuimus diligentia, explicatum eſt, quæ concilia Toletana provincialia ſint, & quæ nationis totius: quod non parum adiumenti poſſit adferre, ut intelligamus, quinam modo his, & qui olim illis adſtringerentur. Iuvat iam conſtituere, quæ concilia Toletana pontificis maximi auctoritate firmata ſint, quoniam hinc noſcitur vis obligandi in commune. Id vero quo facilius atque commodius expediamus, oportet meminiſſe, quod, licet concilia ſint provincialia, & ob eam rem ſolum homines eius provinciæ conſtrin-

stringant, accidere poteſt, ut obligent in commune. Hanc autem vim obligandi omnes chriſtianos interdum accipit provinciale concilium vel nationale ab oecumenico, quoniam ab illo probatur eius actis inſertum: interdum vero hanc firmitatem accipit atque robur a pontifice. Id autem bifariam accidit: nam aliquando geſta concilii, quod oecumenicum non ſit, firma ſunt ſane, quia per ſe probantur a pontifice; aliquando vero, quia in eo concilio pontificius legatus interfuit: id genus ſunt nonnulla concilia Carthaginienſia, & Milevitanum, quorum hoc provinciale eſt, illa nationalia.

Vis obligandi omnes unde oriatur.

Hac igitur adhibita diſtinctione, ſic ſtatuo: Non omnia concilia Toletana pontificis auctoritate roborata munitaque ſunt, quocumque modo auctoritatem & robur conſideremus. Neque enim in ullo oecumenico concilio uſquam probata ſunt, neque legimus in ullo eorum pontificis legatum præſentem adfuiſſe, quæ vero firma ſunt, ideo firma eſſe cenſeo, quia ſunt pontificis auctoritate probata; quum ſint autem in his ſynodis quædam, quæ fidem attingunt; alia, quæ mores, quamquam certo credo eſſe nonulla concilia Toletana pontificis auctoritate firmata, non omnino ea ipſa concilia integra firmata eſſe exiſtimo, ſed ſolum ea parte, qua res tractant de fide. Quum enim pontifices maximi res de fide a ſe vel generalibus conciliis definitas ad ſynodum Toletanam deſtinarint, ut aut illis ſubſcriberent patres, aut in capita redactæ in Hiſpania ab epiſcopis publicarentur, ne quiſpiam earum rerum ignoratione teneri poſſet: ubi in ſynodo Toletana tractatæ ſunt, & per titulos, & capita digeſtæ, ſine dubio ab eiſdem pontificibus confirmabantur, aut erant illa ab eodem probata prius. Cetera vero de moribus ſtatuta non perinde probabant, niſi id ſpeciali quadam ratione fieret, quod accidiſſe diximus in concilio I. Toletano. Probata eſt etiam a Leone I. quod attigi ſuperius, appendix concilii primi,

Non omnia concilia Toletana ſunt munita pontificis auctoritate.

Quænam concilia Toletana a pontifice probentur.

I. concilii Toletanii appendix.

mi, in qua traduntur regulæ fidei contra omnes hæreſes, maxime vero contra Priſcillianum.

Tertium quoque concilium confirmatum eſt, in quo hæreſis Arii damnatur. Conſtat ex epiſtola Gregorii I. ad Leandrum Hiſpalenſem epiſcopum, & ex altera ad regem Reccaredum, quarum ſuperius mentionem feci. III. concilium.

Decimum quartum ſimiliter confirmatum eſt a pontifice, quatenus confutat peſtiferum Apollinaris dogma, quod conſtat ex eius I. capite. Decimum quartum.

Similiter decimum quintum, quatenus res fidei tractat, ex mandato Benedicti pontificis maximi: cap. I. eiuſdem ſynodi. Decimum quintum.

Præter hæc concilia nullum ego eſſe arbitror, quod ſit pontificis auctoritate munitum.

Neque obſtat, quod in concilio XVIII. ſcriptum eſt, eam ſynodum non eſſe numeratam inter canonicas: unde quidam anſam adripiunt exiſtimandi, ceteras omnes a pontifice fuiſſe probatas: non enim ea eſt ſynodi ſententia, ea mens, ut ſignificare velit, reliquas eſſe firmatas pontificis auctoritate; ſed quoniam in XVIII. ſynodo ſolum ſunt acta regni negotia, & nulli ſunt canones confecti, dictum eſt, inter canonicas numeratam eam minime fuiſſe; non, ut interpretantur quidam. Immo vero non ait, inter canonicas ſynodos non eſſe numeratam, ſed, quod apertius confirmat ſententiam noſtram, *inter canones*, inquit, barbare tamen, *non numeratur*, quaſi dicat, nullus in ea ſynodo canones eſſe confectos. Obiectioni occurritur. Canonica ſynodus quæ vocetur.

CAPVT XXIII.

DE TEMPORE COGENDI TOLETANA CONCILIA.

QVo tempore Toletana concilia celebrari solita sint, dicamus oportet in præsentia: quoniam hæc consideratio multum operæ pretii adfert ad exactam eorumdem conciliorum intelligentiam. Concilium igitur Nicænum cap. 5. statuit, ut in singulis provinciis bis provinciale concilium teneretur, semel ante dies quadragesimæ, ut *omnibus, si quæ sunt*, inquit concilium, *simultatibus amputatis, mundum & solemne Deo munus possit offerri*: secundum vero *agatur*, inquit, *circa tempus autumni*.

Tempus celebrandi concilium provinciale.

De concilio vero nationali mirum silentium: nihil enim de eo statutum reperio in synodo Nicæna, aut ulla alia ex vetustis oecumenicis, quæ toti orbi christiano leges dederunt. Comprehensum est tamen, ut arbitror, sub provinciali, & consensu provinciarum est introductum, quum cernerent quasdam esse caussas & controversias, quæ a prælatis regni totius commodius atque aptius agi & definiri possent: leges præterea dari posse, quæ in commune toti regno prodessent.

Nationale concilium quomodo introductum, quum nulla eius fiat mentio in oecumenicis.

Ergo quum Nicæna synodus de celebrando concilio singulis annis legem tulisset, verisimile est, initio eum morem in omni provincia christiana observari consuevisse, quum prisci illi patres, & sanctissimi episcopi admodum studiosi fuerint ecclesiasticorum canonum observatores. Et sane, quod ex vetustis conciliorum monumentis convinci possit, primis illis temporibus id genus nationalis concilii semel teneri quotannis solebat una cum provinciali: quod ipsa concilia Toletana aperte nos docent. Nam concilium XVI. Toletanum habitum est anno sexto regis Egicæ; XVII. vero anno eiusdem septimo, & utrumque, ut monstravi superius, est nationale.

le. Hoc docemur cap. 62. Africani concilii his verbis: *Quoniam constitutum fuerat, ut singulis annis contraheretur concilium Africæ plenarium*, cet.

Ceterum quum episcopi nimium defatigarentur ambulando, atque a suis ecclesiis diutius abessent, quam ratio & ipsarum ecclesiarum utilitas postularet, erant enim longa illis itinera conficienda ex Gallicia, ex Narbonensi Gallia, ex Bætica & provincia Tarraconensi, decretum postea est, ut hæc ipsa totius nationis concilia non nisi exigente necessitate cogerentur. Id nos docet concilium Africanum citato loco, quum ait: *At quia laboriosum est singulis annis teneri concilium Africæ plenarium, placuit, ut non sit ultra fatigandis fratribus anniversaria necessitas, sed quoties exegerit caussa communis, id est, totius Africæ, undecumque ad hanc sedem pro concilio datæ litteræ fuerint, congregandam esse synodum in ea provincia, ubi opportunitas persuaserit.* Subiungit: *caussæ autem, quæ communes non sunt, in suis provinciis iudicentur*, & quidem quum hoc statutum sit in concilio Milevitano, cui per legatum suum Romanus pontifex interfuit, proculdubio ea lex non ad Africanos episcopos modo, sed etiam ad episcopos aliarum provinciarum pertinebat. Ea denique ceteri uti poterant, ac fortasse sunt usi: certe concilia Toletana hanc consuetudinem servasse videntur. Quod vel illis verbis constat cap. 3. concilii IV. Toletani: *Si fidei caussa est, vel qualibet alia ecclesiæ communis, generalis totius Hispaniæ & Gallicæ synodus convocetur. Si vero talis non exstiterit caussa, speciale concilium convocetur.*

Tempus tenendi concilium nationale.

Singulis igitur annis episcopi suffraganei in unum locum conveniebant, quem concilium, antequam sol veretur, designaret: quemadmodum decretum est cap. 18. concilii III. Toletani his verbis: *Concilium vero non solvatur, nisi prius locum elegerit, quo succedente tempore iterum ad concilium conveniatur, ut iam non ne-*

Locus designabitur tenendæ synodo.

cesse habeat metropolitanus episcopus pro concilio congregando litteras destinare, si in priori concilio tempus omnibus denuntietur & locus. Et quidem, nisi aliquid obstitisset, concilium Toletanum decima quinta die Kalend. Iuniarum congregabatur, quod eodem capite concilium IV. Toletanum statuit his verbis: *Quinta decima autem Kalend. Iuniarum congreganda est in unaquaque provincia synodus.* Rationem reddit concilium inquiens; *Propter vernale tempus, quando herbis terra vestitur, & pabula germinum inveniuntur.* Id, ut dixi, intelligendum est, nisi aliud postulare necessitas videatur; sed hoc metropolitani iudicio relinquebatur, quum dicat synodus: *Prout uniuscuiusque provinciæ metropolitanus elegerit,* & apertius cap. 18. concilii III. Toletani his verbis: *Præcipit hæc sancta & universalis synodus, ut stante priorum auctoritate canonum, quæ bis in anno præcipit congregari concilia, considerata itineris longitudine, & paupertate ecclesiarum Hispaniæ, semel in anno in loco, quem metropolitanus elegerit, episcopi congregentur,* ut statutum est cap. 13. concilii XI. Toletani.

Tempus, quo concilia Toletana teneri deberent.

Pauperes erant olim ecclesiæ Hispaniæ.

Congregati episcopi comprovinciales caussas tractabant communes in suis ecclesiis, obortas controversias dirimebant, & canonum transgressores castigabant, legesque ferebant, quas ad commodiorem ecclesiasticæ disciplinæ observationem utiles esse arbitrarentur. Magno præterea studio ac diligentia adhibita inspiciebatur in his synodis provinciarum, si quid esset, quod in commune ab omnibus provideri deberet; sive id ad universas ecclesias regni pertineret, sive etiam ad statum sæcularem. Vbi autem aliquid repererant, quod universam nationem attingeret, iam tunc in commune ab episcopis totius nationis decernebatur: missis prius litteris a primate ad metropolitas provinciarum, quibus conveniendi in unum necessitas explicaretur. Hoc insinuat Milevitanum concilium capite 10. quum ait: *Placuit etiam pati,*

Quid in concilio ageretur provinciali.

Ratio vocandi ad concilium

ti, ut omnium episcoporum epistolis omnibus de concilio dandis sanctitas tua sola subscribat. Immo vero ad calcem concilii II. Toletani decretum est, *ut ad comprovinciales episcopos de synodo congreganda tempore conveniente Montanus metropolita destinet litteras.* Tunc temporis singula concilia provincialia aliquot episcopos deligebant, atque hos ad locum, in quo nationis concilium tenendum erat, destinabant, neque enim omnes episcopi in his synodis simul aderant: huius rei indicium sumimus ex cap. 2. concilii III. Carthaginiensis, in quo sic scriptum est: *Placuit, ut propter caussas ecclesiasticas, quæ ad perniciem plebium sæpe veterascunt, singulis quibusque annis concilium convocetur, ad quod omnes provinciæ, quæ primas sedes habeant, de conciliis suis binos, aut, quot elegerint, episcopos mittant, ut & minus invidiosi, minusque hospitibus sumtuosi exsistant, & aggregato conventu plena possit esse auctoritas.* Præterea cap. 10. concilii XV. Carthaginiensis in hunc modum: *Placuit, ut quotiescumque congregandum est concilium, episcopi, qui neque ætate, neque ægritudine, neque alia graviori necessitate impediuntur, competenter occurrant, primatibusque suarum quarumcumque provinciarum intimetur, ut de universis episcopis vel duæ, vel tres fiant turmæ: ac de singulis turmis vicissim, quotquot electi fuerint, ad diem concilii instantissime occurrant.* Qui vero a provincialibus conciliis episcopi designabantur, una secum ea deferebant in conciliis totius nationis tractanda, quæ digna emendatione viderentur.

Quid secum adferrent episcopi.

Quemadmodum autem singulis annis concilia provincialia cogebantur, ita quoque statutum erat, ut singulis annis procerum regni comitia tenerentur, sed maxime iudicum locorum & fiscalium patrimoniorum, atque id imperio regis Reccaredi. Solebant autem celebrari hæc concilia die Kal. Novemb. sicuti nos docet a-

Comitia iudicum locorum & fiscalium.

per-

perte cap. 18. concilii Toletani III. quum inquit: *Iudices vero locorum, & actores fiscalium patrimoniorum ex decreto domini nostri Reccaredi regis simul cum sacerdotum concilio autumnali tempore die Kalend. Novemb. congregentur.* Rationem, cur cogi deberent, reddit concilium dicens: *Vt discant quam pie, iuste & humaniter cum populis agere debeant, neque iniustis vectigalibus, & immoderatis exactionibus ipsos premant; sed per miserationem compatientes a gravaminibus defendant, ut bonos populi tutores facere decet.* Quum enim reges Gothorum, quod inferius monstrabo, inter ceteros ab episcopis eligerentur, ipsi episcopi facultatem habebant moderandi regis imperia, quemadmodum archiepiscopus Gnesgnensis in Polonia, auctore Cromero in *historia de rebus gestis Polonorum*, & Stanislao Orichovio in sua *Chimæra* adversus Stancharem. Quod eodem cap. 15. concilii III. probatur: atque id certo comperiemus, si concilia Toletana totius nationis considerare velimus.

Cur congregarentur.

Episcopi Hispani habebant facultatem moderandi imperium regum.

Et quoniam hæc concilia partim erant comitia regni, partim ecclesiastici conventus, cogebantur imperio regis; quod ex omnibus conciliis Toletanis, quæ nationis totius sunt, non obscure accipi possit, & sunt sane aliquot, nempe quintum & decimum octavum, in quibus solum aguntur caussæ regni atque regis: & nullum est prorsus nationale, in quo non pleraque decernantur, quæ ad regni gubernationem referantur. Addo etiam, sæpenumero ita contigisse, ut quas leges princeps cum primoribus regni tulerat, ad synodum attulerit, ut ab ea excuterentur & probarentur. Tales sunt leges de Iudæis, quod fortasse plenius alibi dicam. Præceperunt aliquando reges, ut quas synodus leges tulerat, ab omnibus custodirentur, publico edicto, de quibus etiam pragmaticas sanctiones sæpenumero reges confecerunt, sed maxime Ervigius in concilio XIII. Hinc ea consuetudo orta est, quam perpetuo in conciliis totius Hispaniæ serva-

Concilia nationalia etiam erant regni comitia.

Concilia Toletana moderabantur regum ll.

vatam cernimus, ut non ante tractari quidpiam in eisdem aut excuti inciperet, quam rex in medium concilium prodiret, ut volumen quoddam patribus offerret, in quo ea, quæ censebat esse tractanda, continerentur. *Tomum* appellant concilia: quod non ita oportet interpretari, ac si de illis tantum negotiis liberum esset patribus in synodo positis agere: sed quod illa cupiant reges tractari. Ob eam etiam caussam simul cum ipso rege aderant in concilio illustres viri palatini, *que agora en España llamamos grandes*, quibus ex officio incumbebat, synodo interesse, quod in præfatione concilii VIII. his verbis rex adserit: *Vos etiam illustres viros, quos ex officio palatino huic sanctæ synodo interesse primatus obtinuit.* Cur rex prodiret in medium concilium.

Huius etiam rei caussa subscribit actis concilii rex, & primus omnium, ut concilio III. atque ut definiens una cum patribus. Nisi enim in his conciliis, quæ ad regnum & rempublicam pertinet, res agerentur, aut omnino non subscripsisset rex actis concilii, aut solum subscripsisset ut consentiens, quoniam princeps minime potest ecclesiastica iudicia exercere, vel testimonio Constantini Imperatoris initio concilii Nicæni, & totius ecclesiæ consensu, quod est a me copiosius in *Disputationibus contra Protestantes* monstratum. Cur rex actis concilii subscribat. Cur rex in concilio nationis adesset.

CAPUT XXIV.

QUAE FORMA SERVARI SOLITA SIT IN CONCILIIS TOLETANIS TENENDIS.

COacta iam synodo, & episcopis, in eum locum congregatis, ubi illa tenenda erat, hora diei prima iuxta decretum tertium concilii IV. Toletani, ante solis ortum eiiciebantur omnes ab ecclesia: obseratisque foribus cunctis, ad unam ianuam, per quam sacerdotes in- Intrant episcopi.

ingredi opportet, hostiarii stabant. Tunc vero convenientes omnes episcopi pariter introibant, & secundum suæ ordinationis tempora sedebant. Vbi episcopi ingressi fuerant & consederant, qui presbyteri vocabantur, intrabant: non omnes quidem, sed illi tantum, *quos*, ut concilium ait, *caussa probaverat introire*: inter quos nullus diaconorum se poterat ingerere. Post presbyteros diaconi ingrediebantur, probabiles dumtaxat, & quos ordo poposcerat interesse. Facta autem corona de sedibus episcoporum, presbyteri a tergo eorum residebant; diaconi vero in conspectu episcoporum stabant. Sunt verba ISIDORI in libro *de conciliis*. Ea etiam forma sedendi servata est Tridenti in concilio.

Sedent. Presbyteri admittebantur, & diaconi.

Laici.

Ingrediebantur deinde aliquot laici, illi præsertim, qui digni iudicabantur a concilio, ut præsentes adessent.

Notarii.

Ingrediebatur etiam notarii, quos ordo episcoporum requireret ad recitandum vel excipiendum, quæ dicerentur in concilio.

Rex.

Ingrediebatur statim synodorum rex, nationalem intelligo, tomumque patribus offerebat, & facta oratione discedebat ex concilio.

Ieiunium & litaniæ.

Interim trium dierum ieiunium indicebatur, ut testatur IV. synodus Toletana cap. 3. Atque his tribus diebus pro concilii prospero processu & exitu litaniæ dicebantur.

Obseratis ianuis sedentibusque in silentio diuturno sacerdotibus, dicebat archidiaconus, *Orate*. Subito prosternebantur in terram omnes, quibus orantibus, unus ex episcopis senioribus surgens orationem palam fundebat ad dominum, cunctis adhuc in terra iacentibus. Erat autem hæc oratio, ISIDORO referente in libello *de conciliis*, cuius nos etiam mentionem fecimus in nostris adversus Protestantes *Disputationibus*: quam etiam orationem in concilio Tridentino dicere initio solebat princeps legatorum pontificis, quum aderat, aut qui illi proxi-

mus

mus erat auctoritate & gradu inter legatos : *Adsumus, domine sancte Spiritus, adsumus peccati quidem immanitate detenti, sed in tuo nomine specialiter aggregati. Veni ad nos, esto nobiscum, & dignare illabi cordibus nostris. Doce nos quid agamus, quo gradiamur. Ostende quid efficere debeamus : ut te auxiliante tibi complacere in omnibus valeamus. Esto salus & effector iudiciorum nostrorum, qui solus cum Deo patre & filio nomen possides gloriosum. Non patiaris perturbatores esse iustitiæ, qui summam diligis æquitatem : non in sinistrum nos ignorantia trahat ; non favor inflectat : non acceptio munerum vel personæ corrumpat : sed iunge nos efficaciter tibi solius tuæ gratiæ dono, ut simus unum in te, & in nullo aberremus a vero, quatenus in tuo nomine collecti sic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis iustitiam, ut hic a te in nullo dissentiat sententia nostra, & in futuro pro bene gestis præmia consequamur æterna.*

Finita oratione respondebant omnes : *Amen.* Tunc aiebat archidiaconus : *Erigite vos.* Confestim omnes erigebantur, deinde sedebant. Sedentibus illis in silentio, diaconus alba indutus codicem canonum in medium proferebat, & capita pronuntiabat de tenendis conciliis. Symbolum etiam fidei alta voce recitabat : quod nos docent concilia omnia. Finitis titulis adloquebatur synodum metropolitanus his verbis : *Ecce, santissimi sacerdotes, recitatæ sunt ex canonibus sanctorum patrum sententiæ de concilio tenendo : si qua ergo quempiam vestrum actio commovet, coram suis fratribus proponat*, cet.

Oratio metropolitani vel primatis ad synodum.

Archidiaconi præterea ecclesiæ metropolitanæ, quem diximus præsentem adesse, illæ erant partes inter cetera, denuntiare concilio, si quid vellent, qui foris aderant. Sic enim legimus loco citato : *Si presbyter aliquis aut diaconus, si clericus aut laicus de his, qui foris steterint, concilium pro qualibet re crediderit appel-*

Partes archidiaconi in concilio.

landum, ecclesiæ metropolitanæ archidiaconus caussam suam intimet, & ille concilio denuntiet, cui copiam facit synodus introeundi & proponendi. Omnes enim, qui caussas habebant adversus episcopos, aut iudices, aut potentes, aut contra quoslibet alios, ad synodum venire iubebantur: cap. 3. concilii IV.

Concilii leges.

Nonnullæ præterea in concilio leges observabantur, quas in præsentia referre animus est, quod sciam, non solum ad rem, de qua agimus, plurimum pertinere, sed ad plura etiam alia expedienda negotia.

I. Nemo discedat nisi finito concilio.

Vna est: *Nullus episcoporum a communi cœtu discedat, antequam hora generalis secessionis adveniat*: cap. 3. concilii IV. Toletani.

II. Omnia absolvantur.

Altera: *Nullus solvere concilium audeat, nisi omnia sint prius definita* eodem loco.

III. Subscribant omnes episcopi.

Tertia: *Quæcumque communi deliberatione finiuntur, singulorum manibus episcoporum subscribantur.* Et quoniam evenit interdum, ut de re proposita variæ ac pugnantes sint sententiæ, quæ ratio iniri ac servari debeat, quum episcopi sententiis discrepant, cap. 11. concilii Toletani VIII. docemur his verbis, quæ quarta lex est, atque habet in hunc modum:

IV. Maior pars vincat.

Quum vero aut quælibet sancta synodus agitur, aut pacifice inter pontifices quidpiam definitur, si pauciores per nescientiam vel contentionem forte dissentiant; aut commoniti plurimorum sententiæ cedant, aut ab eorum cœtu cum dedecore confusionis secedant, aut excommunicationis annuæ sententiam luant. Atque utinam hanc legem plerique animadverterent eorum, qui in commune negotia tractant, non ita sibi, ut faciunt, blandirentur, neque aliis tam essent iniurii.

V. Quiete tractentur negotia.

Quinta: *Abiecto omni tumultu, sollicite & tranquille ecclesiastica negotia terminentur*: cap. 3. concilii IV. & cap. primo concilii XI. Toletani his verbis: *In loco benedictionis considentes domini sacerdotes nullis debent aut indiscretis vocibus perstrepere, aut tumultibus perturbari; nullis etiam vanis fabulis vel risibus agi, &, quod deterius est,*

ob-

obstinatis disceptationibus tumultuosas voces effundere. Addit post paullo concilium : *Quicumque ergo in conventu concilii hæc , quæ præmissa sunt , violanda crediderit , & contra hæc interdicta aut tumultu , aut contumeliis , vel risibus concilium conturbaverit , iuxta divinæ legis edictum , quo præcipitur: Eiice derisorem , & exibit cum eo iurgium , cum omni dedecore de consensione abstractus a communi cœtu secedat , & trium dierum excomunicationis sententiam perferat.*

Sexta : *Siquis quamcumque querellam , quæ contra canonem agat , coram episcopis proposuerit , non prius ad aliud transeatur , quam fuerit ea actio terminata* : cap. 3. concilii IV. VI. Querellæ ordine tractentur.

Septima : *Ante duos aut tres dies quam concilium solvatur , episcopi omnes constitutiones a se editas in concilio retractare tenentur , ne in aliqua fortasse fuerint lapsi.* ISIDORVS in libello *de conciliis.* VII.

Octavum : *Eodem die , quo concilium absolutum sit , canones editi in synodo coram ecclesia publice legantur , quibus perlectis , respondeatur in choro ,* AMEN. *Redibunt deinde ad locum episcopi , ubi resederant , & subscribent concilii actis.* Idem citato loco. VIII.

Nona : *Admonebuntur episcopi , quo tempore & loco proximo anno concilium tenendum sit* secundum decretum III. concilii Toletani cap. 18. IX.

Meminisse tamen oportet in præsentia , quod tres illi dies litaniarum , quorum superius mentionem intulimus , secundum ISIDORI sententiam citato loco , in conficiendo concilii apparatu & peragendis præambulis insumebantur , quarto die reliquæ personæ admittebantur , & agebantur proposita negotia.

Rebus omnibus confectis , dicebat archidiaconus : *Orate.* Tunc omnes simul in terram prosternebantur , & unus ex senioribus episcopis orationem recitabat , quæ sic habet : *Nulla est , Domine , humanæ conscientiæ vir-* Oratio.

tus, quæ inoffenſe poſſit tuæ voluntatis iudicia expedire: & ideo quia imperfectum noſtrum viderunt oculi tui, perfectioni deputa, quæſumus, quæ perfecto æquitatis fine concludere præoptamus Te in noſtris principiis occurſorem popoſcimus; te quoque in hoc fine iudicorum noſtrorum pro exceſſibus indultorum adeſſe precamur, ſcilicet ut ignorontiæ parcas, ut errori indulgeas, ut perfectis votis perfectam operis efficaciam largiaris. Et quia, conſcientia remordente, tabeſcimus, ne aut ignorantia nos traxerit in errorem, aut præceps forſitan voluntas impulerit a iuſtitia declinare, ob hoc te poſcimus, te rogamus, ut ſi quid offenſionis in hac concilii celebritate attraximus, condonante te, remiſſibile habeamus, ut in eo, quod ſolvendi ſumus aggregatum conciliium, a cunctis primum abſolvamur noſtrorum nexibus delictorum, quatenus & tranſgreſſores venia, & confitentes tibi ſubſequatur remuneratio ſempiterna. AMEN.

Liber Iſidori de conciliis. Exſtat oratio apud ISIDORVM *de conciliis*. Is vero ISIDORI liber paſſim circumfertur initio primi tomi conciliorum. Orationi, eodem auctore, addebatur *Pater noſter*, & *Ave Maria*.

Dicebat deinde archidiaconus: *In nomine domini noſtri Ieſu Chriſti eamus in pace*. Exſurgebant ſtatim omnes, & reſidentes ſuis in locis exorſi a metropolitano dabant ſingulis oſculum pacis; pace reddita, concilium ſolvebatur. Auctor eſt ISIDORVS loco citato. Sed nos huius conſuetudinis nullum in concilio Toletano veſtigium reperimus. Poſtremo metropolitani cura & ſtudio quidam exſequutor a principe ſollicitabatur, cuius illud munus atque officium erat, primum quidem ad ſynodum compellere iudices vel ſæculares viros: deinde huius regii exſequutoris inſtantia quæcumque examine ſynodali a quibuslibet prave uſurpata invenirentur, his, quibus erant iura, iuſtiſſime reformabantur: cap. 3. concilii IV. Toletani.

Exſequutor concilii.

Munus exſequutoris.

At-

Atque, ut maiorem apud vulgus hominum Toletanorum conciliorum decreta haberent auctoritatem, interdum rex ipse, synodo absoluta, eius leges atque statuta confirmabat, iubebatque publice, ut ab omnibus in commune observarentur. Id maxime fieri solebat, ubi concilium nationale fuerat celebratum, quod ex eius actis plane constat. Aliæ vero nationes aliis remediis sunt usæ: in concilio enim Milevitano cap. 16. decretum est, ut pro caussis ecclesiarum exsequutores vel advocati a principe postularentur: in concilio vero Lateranensi sub Innocentio III. statuitur, ut designarentur, qui inquirerent, utrum conciliorum decreta observarentur: *testes synodales* vulgo appellant. Canonem vero, quoniam vehementer desidero hac nostra tempestate in usum revocari, placet scrupulose referre. Ille sic habet: DE CONCILIIS PROVINCIALIBVS *cap.* VI.

Confirmatio regis.

Testes synodales.

» Sicut olim a sanctis patribus noscitur institutum, » ut singulis annis metropolitani cum suis suffraganeis » provincialia non omittant concilia celebrare, in quibus de corrigendis excessibus, & moribus reformandis, » præsertim in clero, diligentem habeant cum Dei timore tractatum, canonicas caussas, & maxime, quæ in » hoc generali concilio statuta sunt, relegentes, ut eas faciant observari, debitas poenas transgressoribus infligendo. Vt autem id valeat efficacius adimpleri, per » singulas dioeceses statuant idoneas personas, providas » & honestas, quæ per totum annum simpliciter & de » plano absque ulla iurisdictione investigent, quæ correctione & reformatione sunt digna, & ea fideliter perferant ad metropolitanum & suffraganeos in concilio » subsequenti, ut super his & aliis provida deliberatione procedant. « Renovavit concilium Toletanum proxime habitum hunc canonem: quod nos optabamus. Ceterum quum his testibus nihil prorsus mercedis decretum sit, nihil prorsus momenti inde emanavit.

Tan-

Tandem cap. 7. concilii Toletani XVI. statutum est, ut decreta conciliorum nationalium in provincialibus publicarentur, & quæ in his statuta fuerint, in dioecessanis.

CAPVT XXV.

QVO LOCO TENERI SOLERET SYNODVS TOLETANA.

Varüs locis celebrata concilia Toletana.

NOn uno tantum loco celebrata esse legimus Toletana concilia, sed variis potius, prout commoditas temporis, negotiorum aut regis voluntas postulare videbatur: quod ipsa conciliorum monumenta testantur: ne quispiam fortasse credat, aliquem fuisse locum his conciliis celebrandis Toleti perpetuo destinatum. Illud tamen perpetuo servatum scimus, ut in ecclesia, non in profano aliquo loco tenerentur, sive nationis essent totius, sive provinciæ Carthaginiensis, ad quam Toletum eo tempore pertinebat.

Tribus locis habita.

Aedes sanctæ Leocadiæ extra urbem.

Tribus autem locis maxime sunt habita: in æde inquam sanctæ Leocadiæ, non ea quidem, quæ intra urbem est, sed quæ in suburbio Toletano, ubi corpus beatæ Leocadiæ conditum esse ferunt, & apparuisse beato Illefonso, præsente rege. In hac basilica sunt habita hæc concilia IV. V. VI. In basilica apostolorum Petri & Paulli VIII. XIII. XIV. XV. XVI. quæ sane basilica modo simpliciter Petri & Paulli

Basilicæ Petri & Paulli.

dicitur, modo vero Prætoriensis Petri & Paulli. Erat autem hæc basilica in suburbio Toletano, quod constat cap. 4. concilii XII. cui loco fortassse, quod miro eius basilicæ amore teneretur, decrevit Vamba rex, ut daretur episcopus contra sanctorum patrum & conciliorum antiqua decreta: aliquando etiam in æde aut basilica

Basilica Mariæ Virginis.

beatæ Mariæ Virginis, quam ego existimo summum esse templum Toletanum, quod exstat modo. Frequentius autem, ut apparet, hæc concilia teneri solebant in basilica Leocadiæ & apostolorum Petri & Paulli, quoniam, ut a peritis rerum Toletanarum accepi, duæ istæ ba-

basilicæ non procul aberant a regia domo, quam ætate nostra incolunt Augustinienses. Hac igitur commoditate ducti patres tenere in basilicis memoratis a nobis concilia consueverunt, ut nullo incommodo suo præsens adesse conciliis rex posset.

Hinc facile refelli possit publicus error existimantium, concilia Toletana in atrio præsulis Toletani haberi solere, in ea inquam eius domus parte, quæ vocatur vulgo *la sala de los concilios*, in qua modo provinciale concilium agitur: nam, uti dixi, semper in aliqua sacra æde concilium habitum est. Neque domus hæc archipræsulis tam apparet vetusta, ut temporibus Gothorum in ea potuerint synodi celebrari: & sunt ea omnia concilia, quæ exstant modo typis mandata, a Gothis regibus convocata, vel ante eorum ætatem gesta. Arbitror tamen, eo loco synodos dioecesanas haberi coepisse non multo ante ætatem avorum nostrorum, atque inde natam esse hanc appellationem *de llamarse la sala de los concilios*. Sed pergamus ad alia.

Refellitur error.

La sala de los concilios.

Cur ita dicatur.

CAPVT XXVI.

QVOT SINT CONCILIA TOLETANA, ET QVANDO SINGVLA CELEBRATA.

HVius quæstionis priorem partem non est sane difficile expedire. Plana est enim atque aperta: siquidem solum exstant modo, quæ vulgo circumferuntur decem & septem: fit etiam decimi octavi mentio in libello a me superius citato, quo compendium Toletanorum conciliorum continetur; sive nationalia consideremus, sive provincialia: & quidem duo prima, antequam Gothi Hispaniam occupassent, aut potius antequam ad Christi fidem ex Arianismo converterentur, gesta sunt. Cetera coegerunt & tenuerunt Gothi. Intercesserunt autem a primo concilio ad postremum anni CCC. XXXVII.

Decem & septem concilia Toletana.

Quando celebrata.

XXXVII. nam primum habitum est anno CD. quia consule Stilicone, qui, auctore Prospero Aquitanico in consulum catalogo, & Gregorio Holloandro, hoc ipso tempore Romæ gessit consulatum. Vltima synodus, decima octava inquam, habita est Aera DCC. XL. Sunt præter hæc nonnulla alia concilia habita Toleti, sed provincilia omnia, quorum memoria in manu scriptis codicibus reperitur. Sed hæc omnia gesta sunt post Gothorum ætatem, quum Hispania a Saracenis occuparetur; aut post recuperatam Hispaniam, de quibus nihil in præsentia dicere statui.

Cur tam pauca concilia Toletana.

Quæret fortasse quispiam, quid caussæ sit, cur tam pauca Toletana concilia habeamus, si verum est, quod diximus superius, singulis annis teneri consuevisse. Huic dubitationi hoc modo occurrendum censeo: Multas esse huius rei caussas, & quidem ante Gothorum conversionem hæresis Ariana impedimento fuit, quominus in Hispania concilia tenerentur. Facta est autem eorum conversio Aera DC. XXVII. sub Reccaredo: redditur hæc ratio initio synodi his verbis: *Decursis retro temporibus hæresis imminens in tota ecclesia catholica agere synodica negotia denegabat.* Altera caussa fuit negligentia & incuria eorum, ad quos pertinebat convocare atque tenere concilia: nam ob eam rem decem & octo anni abierunt sine concilio, quod docemur in præfatione concilii XI. his verbis: *Decursis longe ante temporibus, post decem & octo scilicet labentium annorum excursum, in unum meruimus aggregari.* Impediebant, ut arbitror, aliquando tumultus & seditiones regni. Neque mihi dubium est, præter hæc, quæ habemus concilia, aliquot etiam alia fuisse, quorum memoria ad posteros non pervenerit; quod in illis nihil actum sit, quod ad ecclesiam pertineret, vel referri deberet in canonem. Immo vero fortasse non habemus modo ea omnia concilia, in quibus canones confecti sunt: sed more ceterarum rerum

Hæresis Ariana.

Tumultus externi & domestici.

co-

eorum aliquot temporis iniuria interciderunt nobis.

Iniuria temporis.

Quo autem tempore singula sint habita, quod secundo loco quærebamus, quoniam ad historiam pertinet, ac rerum gestarum fidem, paucis exponam.

I. concilium quo tempore habitum.

Primum itaque concilium habitum est, ut dixi, sub Innocentio I. non sub Anastasio, quemadmodum legitur vulgo, tempore Honorii & Arcadii Imperatorum, consule Stilicone, Aera CD. aut CD. II. nam aliquantulum in hac re variant temporum scriptores. Quoniam vero *Aeræ* incidit mentio in præsentia, atque ea ratione computandi Toletana concilia frequenter utuntur, non fecero ab re, si rem usque adeo celebrem, tametsi paucis notam, paucis attigero. Solis igitur Hispanis ab ipso Augusti Cæsaris principatu usque ad Ioannem I. Castellæ regem fuit peculiaris hæc designandorum temporum ratio, ut sumerent initium supputationis annorum a tricesimo octavo anno ante Christi servatoris nostri natalem, quam appellant *Aeram Cæsaris*, quare demtis ex numero annorum Aeræ Cæsaris triginta octo annis numerus annorum Christi nati agnoscebatur. Statuerunt autem veteres Hispani initium notandi annos Cæsaris Augusti illo anno potissimum, qui ante diem Christi natalem tricesimus octavus numeratur, ut Augusto principi suo blandirentur, sumto initio supptandi publico consensu ex eo tempore, quo illum Hispania coepit pro suo monarcha venerari. Nam in annum tricesimum octavum ante Christi natalem incidit ea partitio triumvirorum cum Augusto Cæsari Hispania obtigit. Et hæc sane de ipsa re: de voce autem illud est pro certo tenendum, *Aeram* vocem esse Latinam, quæ designat numeri notam, ut tantumdem sit *Aera*, quantum numerus, non modo annorum, sed etiam rei cuiusque. Sed hanc rem latissime atque elegantissime persequutus est vir omnibus numeris absolutissimus IOANNES VERGARA., canonicus Toletanus, apud doctorem BLASIVM

Quid sit *Aera*.

Io. Vergaræ laus.

ORTIZIVM cap. 3. *Descriptionis templi Toletani*, ut supervacaneum putem plura dicere de eadem.

Secundum. Secundum sub Felice papa, anno quinto regis Amalarici, Aera D. XXVI. itaque lapsi sunt a primo concilio ad secundum anni C. XXVI.

Tertium. Tertium sub Pelagio II. anno quarto regis Reccaredi Aera DC. XXVIII. & intercesserunt a secundo ad tertium concilium anni C. II. Hoc eodem tempore habitum est concilium I. Hispalense sub eodem pontifice, anno inquam V. Reccaredi, quo tempore Leander Hispalensem ecclesiam regebat. (I. concilium Hispalense.) At fortasse dices, non fuisse concilium tertium celebratum sub Pelagio, sed potius sub Gregorio: primum ea ratione persuasus, quia in concilio III. ut constat omnium opinione, conversus est ad fidem Reccaredus cum omni gente Gothorum & multis nobilibus Suevis; atqui Gregorius I. ad eum scribit, eidemque propter susceptam fidem catholicam gratias agit, quod habetur lib. VII. *Regist.* cap. 126. quare verisimile est sub eo pontifice id accidisse, non sub alio; alioqui Pelagius magnas illi gratias egisset pro tam illustri atque egregio facinore, iudicio meo. (Obiectio.) Propositæ dubitationi hac ratione optime fit satis. (Solvitur.) Pelagius II. sub quo istud concilium celebratum est, proxime Gregorium primum antecessit: potuit autem concilium fieri paullo ante quam Pelagius e vita decederet, cui quum non suppeteret vel facultas, vel tempus ad agendum gratias Reccaredo regi, Gregorius id sibi faciendum iure optimo curavit: atque ita initio sui pontificatus Reccaredo gratias egit pro conversione ad fidem. Non potuit autem id facere Pelagius, quoniam eo tempore Longobardi Romam obsidebant. (Cur non potuit gratias agere Reccaredo Pelagius.) Atque hæc ipsa caussa fuit, quod ex eius historia constat, cur ille primus contra morem & consuetudinem, sine Imperatoris facultate a clero pontifex creatus est, tametsi postea ad Imperatorem scripserit de ea re. Hic etiam Gregorius, ut ex-

exiſtimo, confirmavit concilium Toletanum tertium.

Quartum in pontificatu Honorii I. Siſenando Rege Hiſpaniarum & Galliciæ, anno tertio eiuſdem, Aera DC. XXXIV. IV.

Quintum, Severino pontifice, anno primo regis Suintilæ, Aera DC. XXXVI. V.

Sextum anno primo pontificatus Ioannis IV. rege eodem Suinthila, Aera DC. XXXVIII. VI.

Septimum, Theodoro pontifice, rege Chindaſvintho. Neque enim audiri poteſt is, qui ad marginem eiuſdem concilii adiecit: *anno V. Siſenandi regis*: non potuit enim teneri hoc concilium rege Siſenando, quum eo regnante celebratum proculdubio fuerit quartum concilium, ſic enim legimus cap. 12. concilii VIII. *Decreta concilii Toletani*, *quod divæ memoriæ Siſenandi regis aggregatum eſt tempore*, cet. Citantur autem cap. 56. 58. 59. 60. 61. Præſertim quum quintum & ſextum concilium celebratum fuerit rege Suinthila, qui Siſennandum eſt conſequutus. VII.

Octavum, pontifice Martino I. rege Reccesvintho. VIII.

Nonum ſub Vitelliano, adhuc Reccesvintho regnante, Aera DC. LVII. IX.

Decimum ſub eodem Vitelliano, licet Rodericus Toletanus cap. 22. lib. III. ſuæ hiſtoriæ, ſub Eugenio celebratum eſſe ferat, eodemque rege regnante, Aera DC. LVIII. X.

Vndecimum anno IV. regis Wambæ aut Bambæ, aut Vbambani, ut in concilio legimus, VII. Idus Novemb. quum gereret pontificatum Adeodatus, Aera DC. LXXII. XI.

Duodecimum circa tempora Leonis II. anno primo Ervigii, non Eringii, ut vulgo depravate legitur, V. Idus Ianuarii. XII.

Decimum tertium, pontificatum gerente Benedicto, eodem rege. Huius pontificis ſanctitate permotus Con- XIII.

Quando data facultas creandi pontificem sine Imperatore.

stantinus Imperator statuit, ut in posterum is pontifex haberetur, quem clerus, populus, exercitusque Romanus elegissent, nulla Imperatoris Constantinopolitani, aut eius exarchi in Italia spectata auctoritate: nam ante id tempus id erat ratum in pontifice creando, quod Imperator confirmasset, vel qui eius in Italia vices gerebat. *Exarchus* is dicebatur, & Ravennæ degebat.

XIV. Decimum quartum, Leone, aut Benedicto potius pontifice: quod constare videtur cap. 2. eiusdem concilii, Aera DCC. XXII.

XV. Decimum quintum anno primo Egicæ, Aera DCC. XXVII. sub die Iduum Maii, pontificatum gerente Benedicto, cap. 1. eiusdem concilii.

XVI. Decimum sextum anno sexto Egicæ, Aera DCC. XXXI. Nonis Maii.

XVII. Decimum septimum anno septimo Egicæ, Aera DCC. XXXII.

XVIII. Decimum octavum, cuius feci superius mentionem, habitum est sub Vitisa, Aera DCC. XL.

Quanto tempore durarent concilia Toletana.

Si quis me roget, quanto spatio temporis singula concilia Toletana peragi solerent, non possum certo quæstionem expedire, quoniam id tempus varium reperio in diversis synodis Toletanis pro copia & magnitudine negotiorum: illud tamen affirmare valeo, aliquando non plures quam sex dies actos fuisse in celebranda synodo Toletana: quod ex I. concilio colligi possit: præsertim ex illa fidei adsertione adversus Priscillianistas. Nonum præterea concilium, quum sit nationis totius, coeptum est Kalend. Novemb. anno septimo Reccesvinthi, & absolutum die VIII. Kalend. Novemb. anni eiusdem: quod ex actis eius constat.

CA-

CAPUT XXVII.

QUINAM SOLITI SINT CONCILIIS TOLETANIS SUBSCRIBERE, ET QUO ORDINE.

NON est difficile, quæstionem propositam expedire; uno igitur verbo dico, eosdem omnes conciliorum actis subscribere consuevisse, quos dixi superius sedere in synodo solitos esse. Subscribebat rex, metropolitæ, episcopi reliqui, abbates, episcoporum vicarii, illustres palatini. Interdum etiam archidiaconus Toletanus simul cum primicerio. Eius rei fides ea maxime ratione constabit, si concilia Toletana evolvamus atque inspiciamus diligenter: nam in his passim eius, quod diximus, exempla reperiuntur. In concilio VIII. & XI. subscribunt archidiaconus & primicerius ecclesiæ Toletanæ: in III. concilio Flavius Reccaredus rex. Quinam subscriberent.

Sed quis in subscribendo servatus ordo est, dicet aliquis. Huic ego paucis sine ulla mora respondeo. Quotiescumque actis conciliorum rex subscribit, quod tamen raro fit, primus omnium subscribit: statim subscribunt metropolitæ, proxime post hos episcopi reliqui: statim post episcopos abbates: post abbates vero archidiaconus & primicerius: post hos episcoporum vicarii: postremo illustres palatini. Ordo in subscribendo servatus.

Inter episcopos vero is ordo servari consuevit, qui in sedendo observabatur: quamobrem, quo quisque loco sedebat, eodem etiam subscribebat. Sedebant autem episcopi in concilio secundum tempus suæ ordinationis iuxta decretum concilii IV. Toletani cap. 3. ceterum in subscribendo semper metropolita ceteros antecedebat episcopos. Ordo inter episcopos. Metropolita.

Obiiciet aliquis, in VIII. concilio prius subscripsisse episcopum Calagurritanum, quam metropolitam Bracarensem. Quod ex eodem concilio constare facile possit.

Solvitur. sit. Solvitur tamen is nodus, si dicamus, ita sane in eo concilio scriptum reperiri, factum tamen id est scriptoris culpa, non ratione aliqua: nemo enim ignorat, pleraque in his conciliis esse perversa & depravata, eorum maxime, quæ ad apparatum pertinent conciliorum atque ordinem subscribendi. Sic etiam legimus aliquando in his synodis vicarii subscriptionem prius quam episcopi, quod est proculdubio contra rationem, & publicam atque probatam perpetuo formam & consuetudinem subscribendi. Constat id plane ex tertio & quarto concilio Toletano. Immo vero, quod potius mirandum est, reperitur interdum priori loco abbatis quam episcopi subscriptio.

Depravata in his conciliis.

Ordo inter vicarios episcoporum.

Inter vicarios episcoporum ego nullum ordinem in subscribendo in his synodis servatum video, quemadmodum neque in sedendo; sed ut quisque eum locum sedendo tenuit, quem occupasset primus, secretum tamen & separatum ab eo, in quo præsules considebant, ita quoque subscribebat, quum primum poterat. In hanc sententiam adducor ea ratione, quia in concilio Tridentino, cui nos interfuimus, nulla prorsus, quod ad sedendum & subscribendum attinet, vicariorum ratio habita est, &, si hæc omnia curare synodus deberet, vix eius labor invenire exitum posset, & magna quidem ex parte in his, quæ fere nullius momenti sunt, occuparetur.

Ordo inter abbates.

Neque modo inter vicarios episcoporum nullus ordo omnino servabatur, sed neque etiam inter vicarios & abbates, nam aliquando abbates antecedebant, ut in concilio IV. Toletano; aliquando subsequebantur, ut in concilio XI. accidit.

Inter metropolitas.

Inter metropolitas possit etiam aliquis dubitare, quis olim ordo in his synodis servatus sit tum in sedendo, tum etiam in subscribendo. Vtraque tamen dubitationis pars eadem ratione explicatur: ea videlicet, unumquemque

que

que metropolitarum eo loco subscribere solitum esse, quo loco sederet in concilio: & sane is ordo subscribendi, quem in concilio modo reperimus, sedendi quoque formam atque ordinem commonstrat.

Toletani archiepispi locus in concilio nationali.

Vulgo creditur, metropolitam Toletanum, ubi synodus nationalis teneretur, primum omnium sedere atque subscribere solitum esse, quod esset Hispaniarum primas, & caput reliquorum episcoporum. Ego vero quantum legendo consequi possum, hanc vulgi sententiam, falsam & cum ratione pugnantem esse existimo. Arbitror autem, inter metropolitas eumdem ordinem in subscribendo servatum, qui inter episcopos servaretur, ut inquam sederent, atque subscriberent secundum tempus suæ ordinationis. Huius rei illud est apertum argumentum, quod in pluribus conciliis Toletanis statim initio legamus, consedisse omnes episcopos secundum tempus suæ ordinationis, nec metropolitæ excipiuntur, sed simpliciter de omnibus episcopis id adseritur. Accedit ad hoc quod non semper eodem loco subscribere solitus sit Toletanus metropolita, neque ceteri primarum sedium episcopi; sed modo hic prius, modo ille, quod non alio quam ad tempus suæ ordinationis referri potest. Res exemplis convincitur, in III. enim concilio primus subscribit Emeritensis metropolita, deinde Toletanus, postea Narbonensis, postremo Bracarensis: in IV. primus subscribit Hispalensis, secundus Narbonensis, tertius Emeritensis, quartus Toletanus, quintus, Bracarensis, postremus Tarraconensis: in VI. concilio Narbonensis, Bracarensis, Toletanus, Hispalensis: pari quoque ratione ceterorum conciliorum exemplo uti possimus. Quamquam autem archiepiscopus Toletanus neque sedendo, neque subscribendo ceteros omnes metropolitas antecesserit, ego non dubito, quin ad eumdem, tamquam ad primatem Hispaniarum spectarit, convocare episcopos, & synodum moderari. Quare in concilio III. Toletano cap.

I. ratio.

Secunda.

Convocare episcopos cuius sit.

8.

8. definitum est, ut singulis annis mense Septembri Toletum ad primatem episcopi accedant. Toletanus præterea episcopus ceteros confirmabat & præficiebat ecclesiis, quos potestas regalis eligeret: quod est non obscurum argumentum primatus. Sed de ea re dicemus uberius paullo inferius, nunc vero ad alia sermonem referamus.

CAPVT XXVIII.

QVAE FORMA IN SVBSCRIBENDO SERVARETVR, ET VTRVM OMNES VTERENTVR EADEM.

Plures subscribendi formæ.

NON est una subscribendi forma in conciliis Toletanis usurpata: sed variæ potius atque diversæ, quod hinc constare maxime potest. Hæc enim forma in concilio III. servata est: *His constitutionibus adnuens subscripsi.* In V. simpliciter dicitur, *subscripsi*: in VII. *Hæc constituta definiens subscripsi*: in VIII. solum referuntur nomina episcoporum: in IX. neque nomina exstant: in X. solum reperitur subscriptio Eugenii, episcopi Toletani: in XI. *Hæc gesta synodica a nobis definita subscripsi*: in XII. *Hæc synodica a nobis instituta, edita subscripsi*: in XIII. *Hæc instituta a nobis definita subscripsi.* Tot igitur subscribendi formæ in conciliis Toletanis reperiuntur.

Vtrum omnes eadem forma uterentur.

Exsistit tamen hoc loco quæstio, quam explicare, operæ pretium fuerit, utrum omnes eadem forma in subscribendo uterentur, an diversa potius. Ea tamen facile expeditur, si dicamus, eadem omnino forma usum fuisse regem, metropolitas, episcopos ceteros, abbates, atque etiam vicarios episcoporum. Quum enim qui concilio præsentes adsunt, eius actis atque decretis bifariam subscribere possint, aut sicut consultores, & qui consentiant iis, quæ sunt in concilio definita, aut sicut definitores & iudices, qui de rebus propositis & tractatis in synodo sententiam ferant., non solum me-

tro-

tropolitæ, ceterique episcopi actis concilii subscribunt ut definitores & iudices, sed abbates quoque & vicarii episcoporum: quod plane constare possit ex concilio VII. XI. XII. XIII. Toletanis, in quibus omnibus hæc eadem aut similis forma subscribendi usurpatur: *Hæc gesta synodica a nobis definita subscripsi.* Huius rei ea ratio esse potuit, quia vicarii episcoporum in concilio, quod pertinet ad sententiam ferendam, pro suis episcopis reputantur. Abbates vero ea fortasse caussa ad definiendum admittebantur, quod ecclesiis præfecti essent, de quarum utilitate in concilio ageretur: & erant tunc temporis, quod historiæ testantur, monachi usque adeo subditi episcopis, ut neque prodire domo sine eorum copia possent: quare provincialis synodi decretis perinde monachi, atque ceteri omnes obligabantur. Hanc rationem, si quis parum efficacem putat, inficiari sane non possit, eam, quam dixi, consuetudinem in conciliis Toletanis olim esse servatam, quum plurima eius exempla facile suppetant.

Abbates & vicarii episcoporum subscribunt ut iudices.

Monachi episcopis subditi.

Obiiciet aliquis, vicarios episcoporum atque abbates interdum quidem non ut definitores & iudices, sed ut adnuentes & consentientes eis, quæ definirentur, subscripsisse, quemadmodum constat ex concilio III. Verum id est, sed hac eadem forma usi sunt etiam aliquando episcopi, quod ex ipsorum conciliorum monumentis constat: quos ob eam rem nemo cum ratione possit adserere, non ut definitores & iudices subscripsisse. Sunt enim episcopi omnium iudicio legitimi iudices rerum ecclesiasticarum. Immo vero, qui diligenter evolverit Toletana concilia, proculdubio reperiet, semper, aut magna ex parte eamdem in subscribendo formam omnes, qui præsentes in concilio aderant, tenuisse; episcopos, abbates & vicarios episcoporum intelligo. Addo aliud, quod ISIDORUS de conciliis disserens in libello a me sæpius citato, non solum ad abbates atque

Quinam presbyteri subscriberent olim.

que episcoporum vicarios pertinere, inquit, de rebus propositis iudicare, easdemque definire, sed etiam ad presbyteros quosdam. Ego vero eius hac parte sententiam sic accipio, ut vel illos presbyteros intelligam, qui sunt in synodo episcoporum vicarii, vel, si quos alios significare eo loco velit, eos haud dubie significet, quos concilium IV. Toletanum c. 3. refert ad synodum esse admittendos episcoporum iudicio. Horum enim de rebus propositis roganda sententia est, & requirendum consilium; non habent tamen definiendi & iudicandi facultatem. Hanc fuisse ISIDORI sententiam vel ex eo coniicio, quia ISIDORVS ait, id genus presbyteros debere cum episcopo definire, ita ut ex concilio presbyteri simul cum episcopo una atque eadem efficiatur episcopi sententia. Quamquam reperimus aliquando more episcoporum presbyteros quoque aliquot subscripsisse, qui vicarii non essent episcoporum, præsertim archidiaconum & primicerium ecclesiæ Tolatanæ, ad quos superiora ISIDORI verba fortasse referuntur. Sed hanc quæstionem multo accuratius explicuimus prima nostra *Disputatione adversus Protestantes pro concilio Tridentino*.

Quomodo accipienda Isidori sententia.

De forma, qua in subscribendo rex uteretur, dicamus modo. Ego sane semel dumtaxat reperio subscriptionem regis in conciliis Toletanis. In concilio videlicet tertio: eo tamen loco primus omnium subscribit rex, neque ut consentiens modo, sed etiam ut definiens: sic enim legimus: *Flavius Reccaredus rex hanc deliberationem, quam cum sancta definivimus synodo, confirmans subscripsi.*

Qua forma subscribat rex.

Rex ut definiens subscribit.

Atqui factum id esse, possit obiicere quispiam, primum contra rationem, quia rerum fidei definitio non ad regem, sed ad iudices ecclesiasticos pertinet: deinde contra morem & consuetudinem conciliorum oecumenicorum, quæ sunt veluti norma reliquorum. Nam, sicuti a me monstratum est *Disputatione I. contra prote-*

Obiectio.

testationem, Imperator Constantinus, qui Nicænæ synodo præsens interfuit, poſt episcopos omnes subſcripſit, & non ut definiens vel iudicans, ſed tantum ut confirmans, vel conſentiens iis, quæ a concilio iudicata fuerant ac definita. Verumtamen, ſi rem ipſam altius conſideremus, proculdubio comperiemus, non ſine magna ratione in concilio Toletano id accidiſſe. Immo vero quum hæc ipſa Toletana concilia non ſimpliciter concilia fuerint atque coetus eccleſiæ (nationalia intelligo) ſed ſimul regni comitia eccleſiaſticique conventus, quod expoſuimus ſuperius, cum ratione factum eſt, ut conciliorum Toletanorum actis rex intereſſet, & ſubſcriberet eisdem veluti iudex & maxima regni pars. Hinc, ut opinor, effectum eſt, ut in eodem concilio III. regni proceres atque illuſtres palatini ſubſcripſerint, quaſi hunc honorem regi deferentes. Vbi vero rex non ſubſcribit, ſubſcribunt palatini, quod accidit in VIII. concilio. Solvitur.

CAPVT XXIX.

VTRVM EPISCOPI TITVLARES HIS CONCILIIS INTERESSENT, ET QVO LOCO SEDERENT ATQVE SVBSCRIBERENT.

MAgna quidem antiquis temporibus, quod ex hiſtoriis accepimus, & monſtravimus copioſius *Diſputatione V. adverſus proteſtationem*, in rep. chriſtiana titularium episcoporum paucitas fuit: cuius rei ea in primis, ut opinor, cauſſa fuit, quod nondum ea ætate ſocordia & ignavia episcopi languerent, ſed ad munus atque officium ſuum admodum eſſent attenti. Ii enim ſolum procurabant olim, atque adiungebant ſibi titularem episcopum, qui vel longo morbo vel ætate confecti munus præſtare per ſe ipſos nequaquam poterant; & tunc ſane titulares episcopi vagari libere minime ſinebantur: at ubi & otio & voluptati coeperunt episco-

Pauci olim titulares episcopi.

Origo titularium episcoporum.

Multitudo unde orta. pi indulgere, officii immemores, omnem pæne curam & sollicitudinem tamquam quieti inimicam a se ipsis prorsus abiecerunt, & transtulerunt in alios: nam honore, dignitate atque opulentia contenti, propter quæ a multis ambitur episcopatus, prædicandi munus, quod proprium episcoporum esse testatur Tridentinum concilium, & ante hoc concilium Toletanum XI. cap. 2. per monachos expleverunt; lites & caussas plebis subiectæ sibi per vicarium, quem *œconomum* concilia vocant, egerunt. Audierunt secretas confessiones per parochos: visitandi officium, quod non nisi morbo impediti prætermittere debuerunt, cap. 38. concilii IV. Toletani, delegaverunt aliis. Postremo, quod unum illis restare videbatur, in quo merito occuparentur, per episcopos titulares præstiterunt. Per hos etenim sacerdotes creant, confirmant fideles, atque etiam chrisma conficiunt. Quanta vero ob eam rem in ecclesiam incommoda invecta sint, facile omnes testari possunt, modo velint. De his igitur titularibus episcopis quæstio est, utrum olim ad synodum Toletanam admitterentur. Sed quamquam aliqua exsistat quæstio, utrum in aliorum episcoporum locum subrogati in concilio sedere consueverint, obscurum sane non est, titulares hos episcopos per se ipsos neque ad concilia provincialia, neque nationis concilia, olim admissos fuisse: nulla etenim caussa est, cur in his synodis, quas dixi, sedere debuerint, quum ecclesiam nullam habeant, quam moderentur & regant; at vero per episcopos alios senecta aut morbo graves, aut qui quacumque alia legitima caussa impedirentur, quantum ego existimo, olim proculdubio ad concilium admittebantur. Neque enim est quidpiam, quod prohibere possit, quamobrem Domnelum episcopum, qui in concilio IV. Toletano inter episcoporum vicarios numeratur, arbitror fuisse episcopum titularem: si enim titularis non esset, non potuisset in eo concilio pro alio subscribere,

quum

quum sit illud generale totius nationis, ad quod ex universa Hispania episcopi confluerent. Praeterea ego non dubito, quin postremo loco ea caussa inter episcopos sederit, quod ex ipsa ratione subscribendi colligitur: ut enim admonui superius, quo quisque loco episcopus in concilio sedebat, eodem omnino subscribebat concilii actis. Subscribit autem post reliquos episcopos; existimandum ergo est, illum post ceteros omnes episcopos locum sedendo occupasse.

CAPVT XXX.

QVANTA FVERIT OLIM MAIETAS, AVCTORITAS ET POTENTIA CONCILIORVM TOLETANORVM.

HActenus quidem naturam atque ingenium Toletanorum conciliorum explicuimus, dum diceremus, quo genere ea continerentur: quae forma in eis servari solita esset: quibus patribus constarent: quae leges observarentur: tandem quinam in illis sederent atque eorum actis subscriberent. Nunc vero animus est ex earumdem synodorum monumentis nonnulla depromere, atque in medium producere, unde facile quivis agnoscat, quanta olim Toletanorum conciliorum vis atque maiestas fuerit: quod ad historiam eius temporis & rerum a Gothis gestarum haud dubie plurimum pertinet.

Primum autem omnium illud revocare in memoriam cupio, atque infigi mentibus episcoporum huius aetatis, tanta tamque admirabili puniendi facultate synodum Toletanam olim fuisse praeditam, atque illam huiusmodi castigandi potestatem sic agnovisse & exercuisse in alios, ut Potamium, metropolitam Bracarensem, archiepiscopatu deiecerit, in eiusque locum alium subrogaverit, quod cum femina quadam se contaminasset, eiusque amplexibus & concubitu sorduisset, post actam novem mensibus poenitentiam in ergastulo, ut ille

Potestas castigandi in synodis Toletanis.

le ait: post agnitum crimen, & patribus in concilio positis primum per litteras significatum, propria deinde voce & confessione patefactum: ut intelligamus, quanti facere episcopi debeant continentem & castam vitam, quum tam severe ac miseris modis in eius violatores olim a patribus animadverteretur. Potuit autem id facere concilium iure suo, ne quispiam eius severitatem reprehendat iuxta decretum concilii Toletani VIII. cap. 4. in quo in hunc modum legem latam reperio: *Si deinceps episcopi detecti fuerint, exsecrabilibus flagitiis cum quibuslibet feminis pollui, & familiari peculiaritate versari, noverint se irrevocabili sententia patrum ulcisci: id est, loci & ordinis dignitate privari.*

Potamius a concilio privatus est archiepiscopatu.

Quum autem deprehensus fuerit crimen admississe Potamius, aut potius crimen ipse palam agnoverit, & propria sit voce confessus, passus est legem, quam concilium tulerat. Neque de sumendo supplicio de Potamio pontificis sententia spectanda vel requirenda fuit, præsertim quum similis lex in concilio Valentiæ in Gallia cap. 4. de deiiciendis a dignitate episcopis incontinentibus lata fuisset prius, & pontificis maximi auctoritate corroborata atque munita.

Sisbertus deiectus archiepiscopatu Toletano.

Illud est longe admirabilius, ne quispiam tantopere miretur supplicium de Potamio sumtum a patribus in concilio provinciali, quod synodus XVI. Toletana cap. 9. episcopatu deiecerit, loco atque honore privarit Sisbertum episcopum Toletanum, Hispaniarum primatem, quod inferius monstrabo: eumdemque confiscatis bonis omnibus in perpetuum exsilium relegarit, quem excommunicatum declaraverat, neque usquam ad communionem admittendum, nisi quum mors instaret, atque appeteret. Sequuta est autem synodus, dum id facit, quod citato loco scriptum est, antiquorum canonum sanctionem, adversus quam Sisbertus Toletanus episcopus deliquerat dum attentat regem Egicam exturbare regno; cui se,

ut

ut ceteri episcopi Hispaniæ, dum in regem ungeretur, obsequuturum cum iuramento promiserat: quemadmodum ex verbis Reccesvinthi regis ad synodum octavam statim initio non obscure accipi potest, sic enim eo loco scriptum legimus: *Revolutis retro temporibus, ita vos omnemque populum iurasse recolimus, ut cuiuscumque ordinis vel honoris persona, quæ in necem regiam, excidiumque Gothorum gentis ac patriæ detecta fuisset, vel cogitasse noxia, vel egisse, irrevocabilis sententiæ mulctatus atrocitate, numquam mereretur veniæ remedium, vel alicuius temperantiæ perciperet qualecumque subsidium. Fides vero, quæ a sacerdotibus regi data est, proculdubio servari debet, præsertim si iuramento firmetur,* inquit concilium XVI. cap. citato superius. Erat autem iam de hac ipsa re lata lex cap. I. concilii VII. in hanc formam: *Placuit nunc concordi sententia definire, ut quisquis in ordine clericatus a maximo gradu usque minimum constitutus, in alienæ gentis regionem se quacumque occasione transduxerit, ut exinde superbiendo, vel reditum suum, vel quodcumque aliud videatur expetere, sive etiam, quo genti Gothorum, vel patriæ, vel regno specialiter sub hac occasione possit nocere, vel fieri disposuerit, vel aliquatenus fecerit*, cet. Subiungit: *Quisquis hoc fecisse dignoscitur, iste ita indubitanter omni honoris sui gradu privetur, ut locum eius, in quo ministraverat, alter continuo perpetim regendum accipiat: ipse vero transgessor sub pœnitentia constitutus, si reminiscens mali, quod fecerat, usque ad diem mortis suæ rectissime pœnituerit, in solo tantum fine communio ei danda est; ita ut antequam tempus finis eius adveniat, si quisquam sacerdotum, etiam ordinante principe, ei communicare consenserit, particeps criminis illius effectus, anathema fiat perpetuo, ac simili cum eo sententia condemnetur.*

De violatoribus regis decretum.

Hoc vero maxime admirabile exsistit, quod concilia

lia Toletana reges etiam ipsos canonum ab ecclesia conditorum transgressores anathemate percutiant, atque in eosdem eadem omnino congerant maledicta, dirasque imprecationes ac in ceteros homines. Cap. I. concilii VII. in hanc sententiam legimus: *Exsecrandum anathema fiat, & veluti praevaricator catholicae fidei semper apud Deum reus exsistat, quicumque regum deinceps huius canonis censuram, in quocumque crediderit, vel permiserit violandam.*

Reges anathemate feriuntur a concilio Toletano.

Praeterea ad calcem concilii IV. ita habetur: *Sane de futuris regibus hanc sententiam promulgamus, ut si quis ex eis contra reverentiam legum, superba dominatione & fastu regio in flagitiis & facinore, seu cupiditate crudelissimam cupiditatem in populis exercuerit, anathematis sententia a Christo domino condemnetur, & habeat a Deo separationem atque iudicium, quod praesumserit prava agere, & in perniciem regnum deducere.*

Castigatio regis Gothi, quod populum oppresserit vectigalibus.

De rege vero Simithilana, qui propria scelera metuens, se regni fascibus exuit, eodem loco sic statuitur: *Vt neque eum, vel uxorem eius, neque filios eorum, unitati nostrae umquam consociemus, neque eos ad honores, a quibus ob iniquitatem deiecti sunt, aliquando promoveamus: qui etiam sicut in fastigio regni habentur extranei, ita a possessione rerum, quas de miserorum sumtibus auxerant, habeantur alieni.*

Supplicium de Vamba sumtum.

Factum praeterea Vambae regis, qui in suburbio Toletano in ecclesia praetoriensi sanctorum Petri & Paulli, atque aliis etiam in locis, ubi prius episcopus non erat, neque per leges adesse debet, episcopum collocari iusserat, irritum atque infectum facit concilium XII. cap. 4. eiusque iussionem iniustam vocat, atque eumdem, dum id facit, concilio levitatis usum esse, synodus testatur. Anathema etiam regi dicitur cap. 3. concilii VI. qui permiserit in suo regno vivere aliquem infidelem.

CA-

CAPVT XXXI.

QVANTI FECERINT REGES GOTHI CONCILIA ATQVE EPISCOPOS.

IAM vero quanta auctoritate concilia Toletana prædita fuerint, quantique illa fecerint reges Gothi, licet multis variisque argumentis convinci poſſit, his monſtratur maxime, quæ ex eorumdem conciliorum monumentis eruuntur.

Vnum eſt, quod cap. 10. concilium VIII. legem tulerit ad reprimendam principum atque regum ſuorum cupiditatem; præterea etiam ad calcem concilii IV.

Lex lata a concilio VIII. ad reprimendam regum cupiditatem.

Alterum eſt, quod reges petere ſoliti ſint, ut leges a ſe latas ſynodus corrigat: facit hoc Ervigius rex in oratione, quam habet ad concilium XII. Toletanum his verbis: *Hoc generaliter obſecro, ut quidquid iuſtitiæ videatur contrarium, humanitatis veſtræ iudicio corrigatur.*

Leges ſuas petit rex a concilio ut corrigat.

Tertium ſumitur ex modo, quo ſe concilio reges inſinuare ſolebant, atque in medium eius prodire. Ervigius ad concilium XII. ita loquitur: *Venerabilem paternitatis veſtræ cœtum cum lacrimarum effuſione conveni.* Et paullo ante ait concilium: *Adfuit coram nobis clementiſſimus princeps humanitatis gratia plenus, qui noſtro ſe cœtui reclivem exhibens ac devotum, in primis omnium ſacerdotum ſe commiſit precibus adiuvandum.* Initio concilii VIII. quum unusquisque ſedes debitas occupaſſet, *adeſt ſereniſſimus princeps pia religione pleniſſimus, qui ſe noſtro cœtui reddens acclivem, ut eum omnipotenti Deo precibus commendaremus, adſtans dulcifluis nos ut filios cohortatus eſt verbis.* Initio concilii IV. *Rex coram ſacerdotibus Dei humi proſtratus, cum lacrimis & gemitibus pro ſe interveniendum domino poſtulavit.* In concilio XV. *Rex in medio*

Qua ratione reges concilio Toletano ſe ſubmitterent.

Hhh *pon-*

pontificum positus humique prostratus , sacerdotum Dei se commendavit orationibus. Egica rex in eodem concilio sic loquitur patribus : *Vobis coram positus , vestris precibus supernam mihi clementiam suffragari efflagitans, universitatem sanctitudinis vestræ christianæ mentis devotione convenio.* In concilio XVI. *Princeps nostro sese cœtui intulit , & gloriosi capitis verticem cernuo voto reclinans nostris se Domino precibus commendavit.* In oratione regis ad concilium XIII. *Sanctissimi & religiosa pietate excolendi pontifices , & divini cultus instantissimi sectatores.* In concilio XII. *Flavius Ervigius rex sanctissimis atque reverendissimis patribus.* In XV. *Sublimissimi patres , & cælesti iure mihi venerandi pontifices.* In concilio XVI. *Novit , beatissimi patres , serenitatis vestræ gloriosa sublimitas.* Hæc autem in medium produxi , ut intelligant omnes , quanti facere debeant patres , præsertim in concilio positos.

CAPVT XXXII.

DE RATIONE ELIGENDI REGES GOTHOS.

A Multis dubitari video , utrum successione , an electione potius regnum Gothorum olim traderetur : neque de ea re inter scriptores satis convenit , qui si accurate & diligenter Toletana concilia evolvissent, facile quidem hac dubitatione liberarentur. Illa etenim aperte testantur , Gothorum regnum non successione accipi , sed electione potius deferri consuevisse , præsertim concilium V. cap. 3. quum ita inquit : *Quoniam sunt inconsideratæ quorumdam mentes & se minime capientes, quos neque origo ornat , nec virtus decorat , qui passim putant licenterque ad regiæ maiestatis pervenire fastigia , huius rei caussa nostra omnium cum invocatione divina profertur sententia , ut si quis talia meditatus fuerit , neque electio omnium præficit , neque Gothorum gentis*

tis nobilitas ad hunc apicem trahit, sit consortio catholicorum privatus, & divino anathemate condemnatus.

Sed quid dicemus de Ervigio rege, rogabit fortasse Obiectio.
quispiam? hunc enim Vamba successorem fecit sibi capite I. concilii XII. his verbis: *Idem Vamba dum inevitabili necessitudinis teneretur eventu, suscepto religionis debito cultu*, cet. *hunc inclitum dominum nostrum Ervigium* (non *Eringium*, ut legitur in iis conciliis, quæ passim circumferuntur, & admonui superius) *post se prælegit regnaturum.* Et paullo inferius eodem capite inquit sancta synodus: *Hunc Ervigium divinum iudicium in regno prælegit, & decessor princeps sibi instituit successorum.* Solvitur.

Sic interroganti in hunc ego modum responderem: Vambam regem, dum viveret, pertæsum vitæ prioris regno se abdicasse, & religionis voto adstrinxisse, quod insinuatur his verbis cap. I. concilii XII. *Rex Vamba suscepto religionis debito cultu, & venerabili tonsuræ sacræ signaculo*, cet. atque optasse, ut Ervigius rex fieret, eumdemque nominasse regem Gothorum, sibique successorem ea lege & conditione, ut id factum ab his, quorum intererat regem creare, probaretur, confirmareturque. Huc enim spectat, quod loco citato patres in concilio positi testantur: *Vidimus & pariter patulo alternæ visionis intuitu prælucente prospeximus, huius præmissi ordinis scripturas, id est, notitiam manu seniorum palatii roboratam, coram quibus antecedens princeps & religionis cultum, & tonsuræ sacræ adeptus est venerabile signum: scripturam quoque definitionis ab eodem editam, ubi gloriosum dominum nostrum Ervigium post se fieri regem exoptat.* Subiungit concilium: *Quibus omnibus approbatis atque perlectis, dignum sane nostro cœtui visum est, ut prædictis definitionibus scripturarum nostrorum omnium confirmatio apponatur, ut qui ante tempora in occultis iudiciis præscitus est regnaturus.*

rus, nunc manifesto in tempore generaliter omnium sacerdotum habeatur definitionibus consecratus.

Constat igitur ex superioribus, reges Gothorum non successione solere, sed electione creari; Vambamque regem non simpliciter successorem sibi fecisse, sed ea tantum lege, modo ab illis probaretur, quorum ex officio intererat regem creare.

CAPVT XXXIII.

QVORVM CALCVLIS REGES GOTHORVM CREARENTVR.

A proceribus regni reges Gothi creabantur.

NON est obscurum, a quibus Gothorum reges olim crearentur, si eadem ipsa concilia consulamus. Eligebantur etenim a proceribus regni, sive illi ex ordine essent sacerdotali, quales ætate illa erant episcopi, sive ex sæcularibus profanisque hominibus. Nam episcopi eo tempore, & iure quidem, inter magnates principesque viros numerabantur, ad quos quia olim pertinebat creare reges, ne omnino eorum hac parte maiestas aboleretur, sed perstaret adhuc eius vestigium aliquod, ubi ex Saracenis recuperari coepit Hispania a Pelagio principe, qui genus ducebat ex Gothis, factum esse arbitror, ut episcopi omnes regum consiliarii efficerentur, & referrentur inter principes viros.

Los obispos son grandes.

Porque agora se llaman de el estado i consejo de los reies, i como grandes se hallan en las cortes, que se hacen de grandes, i como tales tienen otras preeminencias en la corte i fuera della.

Cap. 3. concilii V. severissima adversus eos profertur sententia, qui ad apicem regni adspirant, quum non fuerint omnium electione regno præfecti: dum autem *omnium* mentionem concilium facit, eos significat proculdubio, qui præsentes tunc temporis aderant in concilio, quum decretum huiusmodi conderetur: episcopos videlicet atque illustres viros.

Hæc

Hæc etiam sententia plane convincitur eo argumento, quia Ervigium, quem successorem sibi Vamba nominaverat, episcopi & palatini, nobilesque Gothi probaverunt, cap. 1. concilii XII. Sed id apertius constat cap. 10. concilii VIII. his verbis: *Abhinc ergo deinceps ita erunt in regni gloriam præficiendi rectores, ut aut in urbe regia, aut in loco, ubi princeps decesserit, cum pontificum maiorumque palatii omnimodo eligantur adsensu: non forinsecus cœtu aut conspiratione paucorum, aut rusticarum plebium seditioso tumultu.*

CAPVT XXXIV.

EX QVA GENTE REX GOTHORVM ACCIPERETVR.

QVamquam rex Gothorum principum virorum electione atque suffragiis regno præficeretur, non poterat profecto sine discrimine undecumque adsumi, atque evehi ad fastigium tantæ dignitatis: quin immo ex nobilibus gentis Gothicæ necessario adsumendus erat. Hinc proculdubio refelli possit publicus error adserentium, Vambam regem ex media fæce vulgi ad regni apicem fuisse evectum. Nullam etenim huius rei, quæ fide digna sit, historiam citare nobis vulgus possit; immo vero concilia ipsa Toletana *nobilem virum* appellant Vambam multo antequam rex crearetur: quem modo *Vambam*, modo *Vvambam*, modo etiam *Vvambanem* vocant.

Et huiusmodi electio Gothorum legibus de creando rege, quæ conciliis insertæ sunt, plane adversatur; capite namque 3. concilii V. catholicorum consortio privatur & divino anathemate condemnatur, qui contenderit ad apicem regni, nisi omnium electio eumdem præfecerit & nobilitas gentis Gothorum traxerit. Caput vero 17. concilii VI. id ipsum planius efficit, quum ait synodus: *Rege defuncto, nullus tyranica præ-*

sum-

sumtione regnum adsumat, nullus sub religionis habitu detonsus, aut turpiter decalvatus, aut servilem originem trahens, aut extraneæ gentis homo, nisi genere cognitus & moribus dignus promoveatur ad apicem regni.

Hinc ego factum puto, ut decerneretur in concilio, ne qui ex servili conditione originem trahunt, cum nobilibus gentis Gothicæ coniugio permiscerentur: alias enim accideret aliquando, ut qui ex servis originem ducit, Gothorum rex efficeretur. Legimus enim in hunc modum cap. 13. concilii IX. *Sicut legum reverenda sanctio censuit, ita servari totius generis nobilitas debet, ut in nullo aliena commixtio maculet, quod generositas propria decoravit. Vnde cunctis ecclesiarum libertis, tam viris, quam feminis, eorumque propagini interdicitur iudicio generali, ne deinceps connubii caussa Romanis ingenuis copulentur.* Addit concilium: *Quod si hoc factum, quandoque patuerit, permixtione tali genita proles numquam merebitur ius debitæ dignitatis.*

Ceterum, quæ diximus, omnia, atque insuper quo loco eligendus sit rex, apertissime decreta reperimus cap. 10. concilii VIII. his verbis, quæ etiam citavi proximo capite: *Abhinc ergo deinceps ita erunt in regni gloriam præficiendi rectores, ut aut in urbe regia* (regiam autem urbem appellat synodus *Toletum*, quoniam eam sibi rex ad vitam delegerat) *aut in loco, ubi princeps decesserit, cum pontificum maiorumque palatii omnimodo eligantur adsensu.* Subiungit: *Non forinsecus cœtu, aut conspiratione paucorum, aut rusticarum plebium seditioso tumultu.* Aliquando enim, par est credere, id fuisse a plebe tentatum per tumultum, ut, quem probaret, ad regni apicem evehere studeret. Quum enim concilium dicat, *non forinsecus*, cet. ex solis nobilibus gentis Gothicæ adsumendum esse regem significat.

CA-

CAPVT XXXV.

DE VNCTIONE REGVM GOTHORVM.

CReatus rex Gothorum pontificum iudicio, & nobilium virorum calculis, inungebatur ab episcopis, & consecrabatur Deo: ut intelligant omnes, antiquis temporibus reges Hiſpaniarum inungi solere, & posse id modo iure suo petere atque usurpare, si velint. Capite 1. concilii XII. Vamba Ervigium post se regnaturum praelegit, & sacerdotali benedictione ungendum curavit. Reges Gothi ungebantur.

Paullo inferius Vamba rex instruxit Iulianum, Toletanae sedis episcopum; illumque admonuit, ut ungeret Ervigium successorem in regno, atque omni diligentia unctionis celebritas fieret.

Adhuc paullo inferius: *Nostrorum omnium*, inquit synodus, *confirmatio apponatur*, cet. *ut generaliter omnium sacerdotum habeatur definitionibus consecratus*. Hinc colligo, neque sine ratione, ut mihi videtur, consecrationem atque unctionem regum Hiſpanorum ab episcopo Toletano tamquam a primate fieri consuevisse: sed adiuvabatur a ceteris episcopis, qui praesentes aderant: atque illi operam impendebant; alioqui neque Vamba commisisset hanc curam Iuliano episcopo Toletano, neque in eam rem ceteri episcopi incumberent, ut omnium esset Ervigius episcoporum manibus consecratus.

Quoniam vero rex Gothorum ungebatur, *Christum* eum appellat concilium, quasi *unctum domino* dixeris. Sic enim legimus in praefatione concilii VI. *Anno praedicti principis & triumphatoris Christi secundo.*

CA-

CAPVT XXXVI.

QVID REGES POPVLO CVM IVRAMENTO PROMITTERENT, QVID E CONTRARIO POPVLVS REGI: ET QVOT REGVM TOLETANA CONCILIA MENTIONEM INFERANT.

NON ante regnare incipiebat Gothus, quam in manu eorum, a quibus creatus fuerat rex, cum iuramento promitteret, se servaturum, quæ sunt decreta capite 10. concilii VIII. quod constat his verbis: *Non prius apicem regni quisquam percipiat, quam se illa per omnia suppleturum iuris iurandi taxatione definiat.*

Quid iurarent Gothi reges. Audi rex.

Sed quæ sunt illa, dicet fortasse quispiam? Profecto quæ eodem ipso capite hac serie verborum continentur: *Erunt catholicæ fidei adsertores, eamque ab hac, quæ imminet, Iudæorum perfidia, & cunctarum hæresum iniuria defendentes. Erunt actibus iudices, & vita modesti. Erunt in provisionibus rerum parci, plus quam extenti; ut nulla vi aut factione scripturarum, vel definitionum qualiumcumque contractus a subditis vel exigant, vel exigendos intendant. Erunt in conquisitis oblatione gratissima rebus non prospectantes proprii iura commodi, sed consulentes patriæ atque genti.* Hæc sunt, quæ iuraturos reges decernit concilium loco citato: quæ omnia dignissima sunt catholicis regibus. Iurabant insuper, se minime laturos, ut quispiam infidelium degeret in suo regno, quod cap. 3. concil. VI. testatur his verbis: *Quisquis succedentium temporum regni sortitus fuerit apicem, non ante conscendat regiam sedem, quam inter reliqua conditionum sacramenta pollicitus fuerit, nullum non catholicum permittere in suo regno degere.*

Iurabant etiam legem latam ad calcem concilii VIII. Toletani de bonis, quæ sine ordine reliquit rex mortuus,

tuus,

tatis; ut, inquam, cedant eius heredibus; neque poſſit ſucceſſor ea occupare: ſic enim legimus loco citato: *Non ante quiſpiam ſolium regale conſcendat, quam iuramenti fœdere hanc legem ſe implere promittat.*

Quid populus iuraret regi.

Quemadmodum autem futurus rex ea, quæ retulimus, cum iuramento pollicebatur populo, ita quoque populus regi pleraque iurabat: ſed illud maxime, quod in præfato concilio VIII. in hunc modum rex teſtatur: *Revolutis retro temporibus ita vos* (loquitur ad epiſcopos rex) *atque illuſtres palatinos, omnemque populum iuraſſe recolimus, ut cuiuſcumque ordinis vel honoris perſona, quæ in necem regum, excidiumque Gothorum gentis, ac patriæ detecta fuiſſet, vel cogitaſſe noxia, vel egiſſe, irrevocabilis ſententiæ mulctatus atrocitate nuſquam mereretur veniæ remedium.*

Nomina regum, quorum meminerunt concilia.

Ex monumentis autem conciliorum, ut hac quoque parte rudiores adiuvem, legendo accepi nonnullos Gothorum reges, quos referre ob eam, quam dixi, cauſſam operæ pretium putavi. Post Chriſti fidem ſuſceptam omnium primus FLAVIVS RECCAREDVS vocatus eſt, non *Ricaredus*, ut vulgo putatur. Eius vero uxor BADDA vocatur initio concilii III. Is primus ex Ariana ſecta ad eccleſiam catholicam & Romanam tranſiit, ſimul cum illuſtribus Gothis, & multis Suevis, qui eo tempore Galliciam, ut dixi alibi, occupabant, & reliqua Gothorum multitudine. Exſtat epiſtola quædam Gregorii I. ad Leandrum Hiſpalenſem epiſcopum de Reccaredo rege in *regiſtro* lib. I. cap. 41. Alia etiam eiuſdem ad Reccaredum regem, in cuius primo capite laudatur maxime Reccaredus, quod in cauſſa fuerit, ut ad fidem catholicam gens Gothorum converteretur. Exſtat hæc epiſtola lib. VII. *regiſt.* cap. 126.

Reccaredus.

Badda.

Siſenandus.

SISENANDVS, cuius mentio fit in concilio IV. tametſi a quibuſdam *Siſebutus* vocetur, quorum, ego in hac parte ſententiam probare non poſſum, quum Siſenandi,

non modo in concilio IV. sed in aliis quoque synodis, præsertim VIII. cap. 12. mentio inferatur, dum quartum concilium citatur ab eo coactum.

Chintila. CHINTILA vel SVINTHILA in concilio V. & VI.

Chindasvindus. CHINDASVINDVS in concilio VII.

Reccesvinthus. RECCESVINTHVS vel Reccesvindus in concilio VIII. IX. X.

Semithilana. SEMITHILANA ad calcem concilii IV. qui metu perculsus regno se abdicavit.

Vamba. VAMBA in concilio XI. qui etiam regnum Ervigio reliquit.

Ervigius. FLAVIVS ERVIGIVS in cocilio XII. XIII. XIV.

Egica. FLAVIVS EGICA in concilio XV. XVI. XVII.

Leubigottone. LEVBIGOTTONE regina, uxor Ervigii.

Sisebutus. SISEBVTVS, qui antecessit SISENANDVM, cuius meminit concilium IV. cap. 56.

Cixilo. CIXILO regina Egicæ uxor, cap. 7. concilii XVII.

Vitisa. VITISA rex in concilio XVIII.

CAPVT XXXVII.

QVOTIES FVERINT EX HISPANIIS PVLSI IVDAEI, ET QVO IVRE.

Neminem arbitror tam ignarum atque imperitum antiquitatis, qui non norit, Iudæos, numerosam gentem, perfidam, flecti nesciam duræque cervicis, Hispanias priscis temporibus incoluisse: quorum tam erat olim ibidem copia frequens, ut non defuerint, qui epistolam illam, quæ *ad Hæbreos* inscribitur, a Paullo Apostolo Hispanis Iudæis missam esse putent, testenturque. Ii igitur usque adeo importuni atque molesti Hispanis regibus populisque fuerunt, tum rituum & cærimoniarum suarum, quas adhuc mordicus tenent, observatione, etiam immodico compendii & quæstus studio, quem ex usuris faciebant more suo, fastu prætereca

Iudæorum ingenium & natura.

ea & ambitione intolerabili, quibus permiscere, perturbare atque evertere omnia conabantur, ut eosdem quum neque reges, neque populi ferre possent, optima ducti ratione non semel ex Hispaniis expulerint. Ex Galliis enim pulsos fuisse tempore fere eodem, ex Gallorum historiis constat. Quum autem neque quoties, neque quo tempore atque iure id acciderit, satis ex aliis historiis probari possit, quid ego de ea re ex Toletanis conciliis didicerim, paucis exponam.

Primum omnium, iudicio meo, Iudæos ex Hispaniis expulit Sisebutus rex, qui medius inter Reccaredum & Sisenandum Hispanias rexit, anno fere a Christo nato DC. XXX. Huius rei fidem facio ex cap. 56. concilii IV. Toletani, in quo scriptum reperio: *Qui autem* (de Iudæis loquitur) *iam pridem ad christianitatem venire coacti sunt, sicut factum est temporibus religiosissimi principis Sisebuti, quia iam constat eos sacramentis divinis sociatos, & baptismi gratiam suscepisse, & chrismate unctos esse, & coproris domini & sanguinis exstitisse participes, oportet, ut fidem etiam, quam vi, vel necessitate susceperunt, tenere cogantur.* Idem insinuatur cap. 58. eiusdem synodi his verbis: *Plerique, qui ex Iudæis modo ad christianam fidem promoti sunt, blasphemantes in Christum, non solum Iudaïcos ritus perpetrasse noscuntur, sed etiam abominandas circumcisiones exercere præsumserunt.*

Sisebutus I. ex Hispaniis Iudæos expulit.

Post Sisebutum videtur mihi rex Chintila Iudæos etiam expulisse ex Hispaniis, & quod factum fuerat a Sisebuto, confirmasse. Arbitror enim temporibus Sisebuti, quum esset vis illata Iudæis, quod docemur cap. 56. concilii IV. ubi adseritur, Iudæos fuisse coactos venire ad christianitatem, cuius rei gratia eodem capite definitum est, nemini in posterum ad credendum ullo pacto vim esse inferendam, de consilio sacerdotum, præsertim episcoporum in Hispaniam esse revocatos, atque

Chintila secundo illos expulit.

in eadem toleratos Iudæos, donec tandem Chintila rex, probe cognitis eorum improbis moribus, & ingenio atque natura ad unguem perspecta, censuit, non esse illos amplius in suo regno tolerandos. Expulsi sunt igitur secundo, eo ragnante: quod capite 3. concilii VI. innuitur, his verbis: *Inflexibilis Iudæorum perfidia deflexa tandem videtur pietate & potentia superna. Hic enim liquet, quod inspiramine summi Dei, excellentissimus & christianissimus princeps, cum regni sui sacerdotibus prævaricationes & superstitiones eorum eradicare elegit funditus: neque sinit degere in suo regno eum, qui non est catholicus.* Itaque rex Chintila nullam vim inferens Iudæis, sed lege tantum lata, qua caveretur, ne in posterum in suo regno agerent infideles, ne christiani eorumdem consuetudine & familiaritate contaminarentur, facile effecit, ut hi, quibus in Hispaniis vivere animus erat, impiis ritibus & iam mortifera abiecta circumcisione, christiani efficerentur. Ceteri vero ex Hispaniis fugam adriperent, alioque contenderent ad vivendum: quamobrem eodem ipso citato superius capite de consensu regis a concilio lata lex est, ut, quum primum rex regno inaugurаretur, cum iuramento promitteret, se minime laturum vivere in suo regno quempiam infidelem. Lex vero sic habet: *Sanctum concilium simul cum consensu christianissimi principis, suorumque optimatum, illustriumque virorum hanc promulgamus Deo placituram sententiam, ut quisquis succedentium temporum regni sortitus fuerit apicem, non ante conscendat regiam sedem, quam inter reliqua conditionum sacramenta pollicitus fuerit, nullum non catholicum permittere in suo regno degere. Si vero postquam ad regni gubernacula accesserit, ipse temerator huius exstiterit promissi, sit anathema maranatha in conspectu sempiterni Dei, & pabulum efficiatur ignis æterni.*

Lex de non ferendis Iudæis.

Pulsi sunt igitur, ut apparet, temporibus Chintilæ

læ regis Iudæi secundo ex Hispaniis: procedente vero ætate Ervigius rex, cupiditate pecuniæ fortasse illectus, ut quibusdam videtur, & præmiis corruptus, Iudæorum (his enim artibus semper reges aggressi sunt, nam etiam Carolum V. regem nostrum, adhuc puerum, magna pecuniæ vi oppugnare conati sunt: sed irritos eorum conatus fecit vir sanctissimus & prudentissimus XIMENIVS academiæ Complutensis conditor) eosdem, qui pulsi iam fuerant, in Hispanias rursum admisit.

Egica vero rex, quod constat cap. 11. concilii VI. ut Iudæos ad christianam fidem amplectendam sollicitaret atque adliceret, hanc legem tulit, quam etiam sacrum concilium confirmavit: *Quicumque Iudæorum ad Christum plena mentis intentione se converterint, & fidem catholicam absque aliquo infidelitatis fucco servaverint, immunes habeantur.* Lex in favorem Iudæorum.

Quum autem nihil hac via & ratione proficeret Egica; sed perfidi Iudæi in suis flagitiis adhuc perstarent, atque artibus suis improbis agerent usque adeo, ut ad defectionem populos hortarentur & sollicitarent, tandem hanc legem cum concilio rex tulit de Iudæis, quæ exstat cap. 8. concilii XVII. *Quoniam Iudæorum perfidia non solum tunicam sacri baptismatis christiani, quam susceperant, maculavit, sed etiam contra regem regnumque conspirare ausi sunt, suis omnibus rebus nudati, tam eorum perfidorum personæ, quam uxores eorum ac filiorum & reliquæ posteritatis per cunctas Hispaniarum provincias servituti subiaceant perpetuæ; maneantque usquequaque dispersæ. Illique, qui eosdem Iudæos in servitutem acceperint, in nullo permittant eos rituum suorum cærimonias celebrare, aut colere: filios vero eorum a septimo anno eorum nullam cum parentibus suis habitationem aut societatem habere permittant: sed fidelissimis christianis nutriendos tradant: filiosque eorum ac filias christianis tradant in matrimonium, ne infidelium patrum* Lex contra Iudæos.

suo-

suorum semitas iterare ullis occasionibus possint.

Dispersi sunt etiam Iudæi conversi ad fidem.

Ex hac ipsa lege nonnulla colligi possunt. Vnum est, quod non solum sunt dispersi & pulsi ex Hispaniis ab Egica Iudæi, qui nondum fidem christianam susceperant, sed etiam, qui fuerant conversi ad fidem, quum dicat concilium; *Quoniam perfidia Iudæorum non solum maculavit tunicam sacri baptismatis, quam susceperant*, cet. *omnibus suis rebus nudati, per cunctas Hispaniæ provincias servituti subiaceant, & maneant usquequaque dispersi.*

Conversi vocantur etiam Iudæi.

Alterum est, quod omnes sine discrimine ullo a concilio vocantur *Iudæi*, tam conversi ad fidem, quam qui minime conversi fuerant, fortasse, quod ex Iudæis orti sint, aut, quod ego verisimilius puto, quod adhuc Iudaice viverent.

Omnes eodem supplitio castigati.

Tertium est, quod omnes sunt eodem supplicio castigati, tametsi credibile sit, fuisse inter eos, qui ad Christi fidem conversi fuerant, nonnullos, qui susceptam per baptismum tunicam non maculassent, sed candidam & immaculatam adhuc servarent.

Ademti sunt Iudæis filii.

Postremo colligo ex superioribus, filios Iudæorum infidelium ademtos fuisse parentibus & baptizatos, eisdem repugnantibus, datosque fuisse nutriendos viris christianis. Id vero iure optimo fieri potuit, quia, quum Iudæi regiam læsissent maiestatem, dum ad defectionem conspirant, & regnum hostibus tradere student, tamquam hostes iudicati atque habiti sunt, & in servitutem redacti. Quemadmodum autem filii infidelium capti in bello, sine parentum consensu, immo vero repugnantibus etiam & contradicentibus eorum parentibus, baptizari possunt, quoniam iam non sunt amplius parentum, sed eorum potius, qui eos ceperunt in bello, ita quoque de Iudæis Egicæ tempore censendum est: nam propter admissum facimus merito in servitutem redacti sunt, & innocentes filii præda capientium sunt effecti, & iure ac ratione sine parentum consensu bapti-

za-

zati. Ne quispiam parum cordatus putet, posse ex hoc concilii decreto, & christianissimi regis Egicæ exemplo, ansam capi ad baptizandum filios infidelium, parentibus invitis. Nam qui iure servi sunt facti, non sunt amplius parentum suorum, sed eorum potius, qui iure illos in servitutem redegerunt. Alii vero parentum suorum sunt.

Occupata Hispania a Saracenis, redierunt in illam Iudæi, ibidemque vixerunt, donec tandem ætate patrum nostrorum non sine magna horum regnorum utilitate, præsertim quod pertinet ad religionem, Ferdinandus & Elisabetha catholici reges, recuperato regno Granatensi, quod fere septingentos annos Mauri tenuerant, & paccata universa Hispania, de consilio magnorum virorum Iudæos omnes Maurosque ex Hispaniis expulerunt, maxime vero prudentia clarissimi, ac pietate & religione insignis FRANCISCI XIMENII cardinalis, & archiepiscopi Toletani, qui inter cetera prudentiæ & sanctitatis suæ monumenta academiam Complutensem, opulentissimum omnium bonarum artium atque virtutis emporium, in qua ego a puero sum educatus, orbi terrarum reliquit; unde tamquam ex equo Troiano tanta hactenus doctorum virorum copia prodiit, quanta satis sit ad implendam universam Hispaniam; floreretque multo magis, si quos haberet Mæcenates, qui viros ingenio & litteris claros favore suo prosequerentur.

Ceterum qui id consilii catholicis regibus dederunt, concilii VI. Toletani decretum sequuti sunt, cuius paullo superius mentionem intulimus, ea Saracenis & Iudæis optione relicta, ut, quoniam statuerant catholici reges, nullum in suo regno infidelem pati vivere, aut discederent ex Hispania, aut christiani efficerentur. Sed nondum abolita perfidia eorum est, qui catholicam fidem susceperunt: nondum eorum plerique pristinos mores deseruerunt, neque obliti sunt veteris cultus sui, & anti-

ti-

tiquarum cærimoniarum. Orti ex Iudæis omnibus adhuc se negotiis immiscent: præferri ceteris student, & omnia susque deque trahere pro viribus laborant. Atque utinam huius rei non tam multa exempla passim cerneremus sanctissimi illius tribunalis beneficio, quod inquirendis, castigandis & coercedis id genus flagitiis a catholicis regibus excogitatum est, *inquisitionem* vulgo vocamus. Quod nisi divina quadam providentia, & prudentia catholicorum regum Hispania accepisset, fortasse non defuissent ex eis, qui res novas in eadem molirentur. Repressit tamen impiam hæreticorum audaciam summa celeritate hoc divinitus nobis concessum tribunal. Quamquam Saraceni, præsertim Granatenses, natali die C. I. proximo superiori anno M. D. LXVIII. communicata re multo prius tum inter se, tum etiam cum rege Turcarum, occupatis montibus Granatensibus (*Alpuxarras* appellant) in quos etiam olim secesserant, quum primum a nostris urbs Granata recuperata est; creato ex suis rege, factoque exercitu, sacerdotibus nostris & veteribus christianis, quotquot intra sua oppida reperire potuerunt, crudelissime prius interfectis, & novis ad eam rem tormentorum generibus excogitatis, a fide & Christo & regi data defecerunt, nostrorumque impetum adhuc sustinent: dignissimi qui perinde ac Iudæi, quos paullo superius ab Egica defecisse commemoravimus, in durissimam servitutem redigantur, spolientur rebus suis; atque etiam per Hispaniam universam dispergantur.

CA-

CAPUT XXXVIII.

VTRVM EX HIS CONCILIIS CONVINCI POSSIT, TOLETANVM EPISCOPVM FVISSE OLIM HISPANIARVM PRIMATEM.

VNiversa Hispania in quinque provincias ab antiquis hominibus divisa est, Carthaginiensem videlicet, Tarraconensem, Bæticam, Galliciæ, ac Lusitaniæ, quod constat tum ex concilio I. Toletano, tum etiam ex I. concilio Bracarensi, ubi regulæ fidei traduntur adversus Priscillianistas. Quamquam, ut arbitror, Gallicia in duas provincias divisa est, Bracarensem ac Lucensem: quum eius fuerint olim duo metropolitæ, Bracarensis & Lucensis. Provinciæ autem a Romanis in conventus distribuebantur. Hispaniæ vero citerioris, quæ olim erat provincia, septem conventus Plinius numerat libro III. *Conventum* vero appellat primariam civitatem, quo conveniebant iudicii accipiendi caussa multæ aliæ civitates, gentes & populi. Huiusmodi erant conventus Cluniensis, Cordubensis, Lucensis, cuius fit mentio in concilio I. ubi regulæ fidei traduntur. Habebant autem singulæ provinciæ singulos metropolitas. Nam Tarraconensis episcopus provinciæ Tarraconensi præficiebatur, Toletanus Carthaginiensi, Hispalensis Bæticæ, Emeritensis Lusitanæ. At vero provinciæ Galliciæ non unus tantum, sed duo potius erant metropolitæ, Bracarensis & Lucensis: quod constat ex I. & III. concilio Toletano, & I. concilio Bracarensi. Ratio est; quoniam hæc erat omnium maxima amplissimaque provincia, atque ideo per se quidem nominari solebat. Rex enim Gothorum Hispaniæ & Galliciæ rex appellabatur: & episcopi ex Hispania & Gallicia congregari dicebantur, cuius fines versus orientem usque ad flumen Iberum porrigebantur: versus meridiem ex fontibus Durii fluminis

Divisio Hispaniæ per provincias.

Cur fuerint olim duo metropolitæ Galliciæ.

Fines Galliciæ.

nis oriebantur, qui eamdem perpetuo dividebat a provincia Carthaginiensi & Lusitana, donec tandem in mare influeret. Ergo quum Gothorum temporibus tot fuerint in Hispania metropolitæ, nemini dubium esse possit, quin eorum aliquis primatum totius Hispaniæ tenuerit instar patriarchæ: & hunc sane existimo fuisse Toletanum. Eius primatus tria ego reperio non obscura argumenta atque indicia: unum quidem, quod Toletum urbs regia fuerit, atque appelletur; quæ ob eam caussam hoc insigni honore adfecta est, ut quemadmodum ea urbs ceteras omnes Hispaniæ civitates dignitate antecedebat, ita quoque eius urbis episcopus reliquos omnes. Hinc cap. 6. concilii VII. statutum atque decretum lego, ut singulis annis episcopi vicini & suffraganei Toletum irent, inter cetera, episcopum videndi caussa, quod privilegium nulli alteri metropolitæ scimus esse concessum. De Toletano vero episcopo sic legimus loco citato: *Placuit, ut pro reverentia principis ac regiæ sedis honore, vel metropolitani civitatis ipsius consolatione, convicini Toletanæ urbis episcopi, qui eiusdem pontificis admonitionem acceperint, singulis per annum mensibus in eadem urbe debeant commorari. Messivis ac vindemialibus feriis relaxatis.*

Archiepiscopus Toletanus primas Hispaniarum.

I. argum. Vicini episcopi singulis annis visitent Toletanum archiepiscopum.

II. argumentum primatis.

Alterum argumentum inde sumo, quod episcopo Toletano tamquam primati facta fuerit olim facultas ceteros omnes episcopos confirmandi, & præficiendi ecclesiis, etiamsi suffraganei non essent, modo eosdem rex nominasset prius. Sic enim legimus capite 6. concilii XII. Toletani: *Placuit omnibus pontificibus Hispaniæ atque Galliciæ, salvo privilegio uniuscuiusque provinciæ, ut licitum maneat deinceps Toletano pontifici, quoscumque regalis potestas elegerit, & iam dicti Toletani pontificis iudicium dignos esse probaverit, in quibuslibet provinciis, & in præcedentium sedibus præficere præsules, & decedentibus episcopis eligere successores.*

Ter-

Tertium denique argumentum inde accipi poſſit, quod, licet omnes epiſcopi unctioni regis intereſſent, Toletanus epiſcopus eam curam haberet maxime quaſi princeps & caput ceterorum: quod explicuimus, quum de regis unctione tractaremus paullo ſuperius. III. argum.

Ex tribus citatis locis tria, quæ diximus, argumenta capiuntur, quibus non obſcure effici videtur, primatum Hiſpaniarum penes epiſcopum Toletanum exſtitiſſe. Quo autem tempore primum id coeperit, non ſatis coniicere poſſum ex actis conciliorum Toletanorum. Arbitror tamen ab eo tempore coepiſſe hunc primatum, quo Toletum, urbs regia eſſe coepit. Atqui talis iam erat initio Reccaredi regis, quod conſtat ex præfatione concilii III. Toletani, ubi in hunc modum ſcriptum reperio: *Hæc ſancta ſynodus habita eſt in ſancta civitate regia Toletana.* Quamobrem cum chriſtianiſmo Gothorum, ut arbitror, coepit Toletum eſſe urbs regia, & eius epiſcopus primatum Hiſpaniarum obtinuit. Eo enim tempore illam ſedem ad vitam reges ſibi delegerunt: & ideo conati ſunt eamdem pro viribus nobilitate atque honore decorare.

Quo tempore cœperit eſſe primatus Toleti.

CAPVT XXXIX.

A QVIBVS ET QVO PACTO EPISCOPI IN HISPANIA ECCLESIIS PRAEFICERENTVR.

NEmini dubium eſſe arbitror, penes reges Hiſpaniarum eſſe hoc tempore facultatem eligendi & nominandi epiſcopos ad eccleſias, liberalitate ſummorum pontificum, & privilegio ab eiſdem collato. At vero utrum tantumdem acciderit temporibus Gothorum, dubitant multi, nec ſine ratione. Ego vero, quantum ex hiſtoriis conciliorum Toletanorum potui accipere, pro comperto habeo, hanc eamdem facultatem ab initio agnoviſſe & exercuiſſe reges Gothos in Hiſpania, ut epiſcopos eli-

Reges noſtri epiſcopum nominant.

Epiſcopos Gothi nominabant.

gerent atque nominarent ad ecclesias, nisi quod modo episcopos pontifex confirmat, olim minime. Hæc igitur forma in episcopis creandis in Hispania observabatur Gothorum ætate. Rex nominabat episcopos metropolitano; ille vero diligenter inquirebat, dignine, an indigni essent episcopatu, quos reges nominassent: & quidem quos dignos reperiebat, præficiebat ecclesiis, indignos autem improbabat; & renunciabat regi, ut pro eis alios, qui digni essent episcopatu, sufficeret. Neque, quod ego existimo, ad eam rem sententia pontificis spectabatur, sed ne requirebatur quidem. Id vero servatum est in Hispania ab initio regni Gothorum conversorum ad fidem, a tempore inquam Reccaredi; ac licet tempore Ervigii regis in concilio XII. Toletano, quod ostendimus superiore proximo capite, statutum ac definitum sit, ut episcopus Toletanus præficeret ecclesiis, quoscumque principis auctoritas nominasset, non ideo ademtum est suum ius ceteris metropolitis, quoniam id fiebat salvo privilegio uniuscuiusque provinciæ: hoc est aliorum metropolitarum; quorum singuli singulis provinciis præfecti erant. Et præficiebant ecclesiis, quos rex sibi suffraganeos episcopos nominasset. Etenim infra trium mensium spatium electus aditurus erat proprium metropolitam, ut ab eo, quæ pertinent ad officium, instrueretur. Intra id autem tempus præveniri poterat a Toletano episcopo, & præfici ecclesiæ, manente privilegio eius metropolitæ, quod itidem fiebat privilegio pontificis, ut is honos Toletano episcopo haberetur, adnuentibus etiam episcopis Hispaniæ. Hæc autem omnia, si intendamus tantisper animum, non difficile doceri possimus cap. 6. concilii XII. Toletani, in quo sic scriptum est: *Placuit omnibus episcopis Hispaniæ atque Galliciæ, salvo privilegio uniuscuiusque provinciæ, ut licitum maneat deinceps Toletano pontifici quoscumque regalis potestas elegerit, & iam dicti Toletani pontificis iudicium dignos esse*

Non adibatur pontifex quum episcopus creabatur.

Obiectio.

se

ſe probaverit, in quibuslibet provinciis, & in præcedentibus ſedibus præficere præſules, & decedentibus epiſcopis eligere ſucceſſores: ſic tamen, ut quiſquis fuerit ordinatus, poſt ordinationis ſuæ tempus intra trium menſium ſpatium proprii metropolitani præſentiam viſurus accedat; qualiter eius auctoritate vel diſciplina inſtructus condigne ſuſceptæ ſedis gubernacula teneat.

Quum enim dicat concilium, *quoſcumque regalis poteſtas elegerit*, haud dubie ſignificat, penes ipſum regem exſiſtere poteſtatem epiſcopos eligendi, neque tunc primum eos illa facultate potitos. Quum autem dicat, Toletanum epiſcopum poſſe eccleſiis quoſcumque præficere, *quos regalis poteſtas elegerit, ſalvo privilegio uniuſcuiuſque provinciæ*, certo ſignificat, quoslibet metropolitas facultatem habere eccleſiis præficiendi ſuos ſuffraganeos, cui nullo pacto vult concilium ut iniuria inferatur, tametſi illud privilegium epiſcopo Toletano conceſſum ſit præficiendi omnibus eccleſiis epiſcopos, & non modo ſuos ſuffraganeos, habuit enim hoc cum ceteris metropolitis ab initio commune privilegium a pontifice maximo conceſſum.

Rurſus, quum dicat, *ſalvo privilegio uniuſcuiuſque provinciæ*, plane teſtatur, ipſos metropolitas non habere per ſe ac ſuapte natura facultatem eccleſiis præficiendi epiſcopos, ſed potius beneficio & liberalitate pontificis maximi, unde illud privilegium ortum eſt: quod enim nobis ex privilegio ineſt, natura noſtrum non eſt.

Præterea, quum dicat concilium, *quoſcumque Toletani epiſcopi iudicium probaverit* dignos eſſe, manifeſtum eſt, non ſine diligenti examine præfici olim eccleſiis epiſcopos in Hiſpania conſuevisse. Quod initio huius capitis adſerueramus.

Poſtremo, quum epiſcopos nominare ad eccleſias, atque eoſdem eligere, probare & eccleſiis præficere, inquirereque, utrum digni, an indigni ſint epiſcopatu, partim

tim ad reges pertinuerit Gothorum temporibus, partim ad ipsos metropolitas, obscurum profecto non est, in electione episcoporum Hispanorum nihil omnino solitos esse agere pontifices summos Gothorum ætate, quod etiam superius attigeramus.

Obiectio. Sed possit aliquis nobis obiicere, quod diximus, de episcoporum in Hispania electione cum his aperto pugnare, quæ cap. 18. concilii Toletani IV. sunt definita: quo loco de electione episcoporum agitur, & ibi commemorantur ea, a quibus debet esse immunis, & quæ habere debet, qui ad episcopatum adscendit. *Sed neque ille*, inquit concilium, *deinceps sacerdos erit*: sacerdotem vero aperte hoc loco vocat concilium episcopum, quem neque clerus, nec populus propriæ civitatis elegit. Quibus verbis electio tribuitur, ut apparet, non regi aut metropolitæ, sed clero potius & populo eius civitatis, cui datur episcopus.

Solvitur. Hæc autem obiectio facile dilui possit: & simul infringitur hæreticis ansa, qua uti solent ad convincendum, electionem episcoporum & sacerdotum quorumcumque ad plebem, pro qua orare debent, & cuius stipendio aluntur, spectare. Etenim concilium Toletanum citatum & Nicænum, unde hoc decretum sumtum est, cupit atque statuit, ut qui sacris sunt ordinibus initiandi, sed maxime episcopi, bonum habeant tum a ceteris sacerdotibus testimonium, tum etiam ab ipsa plebe. Quod antiquitus in usu fuisse novimus, & ætate nostra eius consuetudinis non obscurum vestigium manet. Nam dum sacerdotes & episcopi ordinantur, plebs ipsa, quæ præsens adest, de eorum vita atque moribus rogatur, tametsi leviter quidem & perfunctorie, quum olim serio id ageretur: & renovatum est in concilio Tridentino, præsertim quod attinet ad eos, qui sacros sunt ordines suscepturi. Hoc autem est, quod concilium IV. Toletanum inquit, clerum & plebem eligere sacerdotem de-

Cur dicatur clerus & populus episcopum eligere.

debere: nuſquam enim legimus, a populo epiſcopos electos eſſe. Sed de ea re alio loco accuratius diſſeremus.

CAPVT XL.

QVIBVS ORNAMENTIS PRAEDITOS ESSE OPORTERET, QVI ERANT EPISCOPI CREANDI.

QVale periculum de iis, qui erant eccleſiis præficiendi, metropolitæ olim facerent, & quibus illi partibus præditi eſſe deberent, explicatum eſt capite 18. concilii IV. Toletani: quod ſane decretum, quoniam utile admodum eſſet, ſi in uſum his temporibus revocaretur, placet ſcrupuloſe referre. Ita enim habet: *Deinceps, qui non promoveantur ad ſacerdotium, ex regulis canonum neceſſario duximus inſerendum, id eſt, qui in aliquo crimine detenti ſunt. Qui infamiæ nota adſperſi ſunt. Qui ſcelera aliqua per publicam pœnitentiam ſe admiſiſſe confeſſi ſunt. Qui in hæreſim lapſi ſunt, vel qui in hæreſi baptizati, aut rebaptizati eſſe noſcuntur. Qui ſemet ipſos absciderunt, aut naturaliter defectum membrorum, aut deciſione aliquid minus habere noſcuntur. Qui ſecundæ uxoris coniunctionem ſortiti ſunt, aut numeroſa coniugia frequentaverunt. Qui viduam, vel a marito relictam duxerunt, aut corruptarum mariti fuerunt. Qui concubinas aut fornicarias habuerunt. Qui ſervili conditioni obnoxii ſunt. Qui ſæculari militiæ dediti. Qui ignoti ſunt. Qui neophyti, vel laici ſunt. Qui curiæ nexibus obligati ſunt. Qui inſcii litterarum ſunt. Qui nondum ad XXX. annos pervenerunt. Qui per gradus eccleſiaſticos non adſcenderunt. Qui ambitu honorem quærunt. Qui muneribus honorem obtinere moliuntur. Qui a deceſſoribus in ſacerdotium eliguntur. Sed neque ille deinceps ſacerdos erit, quem neque clerus, nec populus propriæ civitatis elegit.* Hæc in concilio IV. Toletano.

Capite vero 8. concilii VIII. ſtatuitur in hunc modum:

dum: *Sollicite constituitur atque decernitur, ut nulli cuiuscumque dignitatis ecclesiasticæ percipiant gradum, qui non totum psalterium, vel canticorum usualium & hymnorum, sive baptizandi perfecte noverint supplementum.*

Capite etiam 20. concilii IV. Toletani de re eadem condita lex est, quam consulto taceo. Atque utinam hæc inquisitionis forma non fuisset hactenus prætermissa, profecto non spectassemus, quod sine lacrimis dicere non possum, onustos hac dignitate quosdam stupidos & bardos, præterea vacuos omnis litteraturæ atque virtutis, plenos libidinum atque omnis spurcitiæ, pecuniæ servos, & beneficii accepti prorsus immemores.

Reges Gothi ex pontificis privilegio nominabant episcopos.

Quemadmodum vero metropolitis ex privilegio, ut ostendi, inerat, probare, & reprobare electos a rege, ecclesiisque præficire; ita quoque Gothorum reges liberalitate ac privilegio Pont. Max. non suo iure, episcopos nominabant atque eligebant. Hoc licet testimonio concilii Toletani non convincatur, a simili facile persuadetur, quoniam ceteris principibus, quibus inest ea facultas, inest ex privilegio. Guimerius præses senatus Parisiensis ad pragmaticam sanctionem capite *de Annatis* ad verbum *Regalis* scribit, in tabulario regiarum rationum adservari de his rebus pontificum diplomata, quibus tributum sit hoc privilegium regi Gallorum. Guillebandus Durandus in paragrapho III. titulo *de præbendis* narrat, se diplomata pontificis legisse, quibus Imperatori concessum sit, ut in singulis Alemaniæ ecclesiis unum canonicum designet. Eodem loco inquit Lambertinus, pontificum beneficio reges Neapolitanos habere ius nominandi in quadraginta primariis ecclesiis. Denique Baldus ad legem VII. Theodosii *de precibus Imperatori offerendis* auctor est, conferendorum eorum sacerdotiorum, quæ *præbendæ* vocantur, beneficio pontificis regi Angliæ atque Vngariæ ius & facultatem esse.

CA-

CAPVT XLI.

QVAE RATIO SERVARI SOLITA SIT IN HISPANIA IN APPELLATIONIBVS SACERDOTVM.

QVA ratione in cauſsis ſacerdotum appellatio fieri ſoleret in Hiſpania, quoniam hoc ipſum magna conſideratione dignum eſt, ex conciliis Toletanis paucis docebo. Ergo quum ſacerdos aut monachus contra proprium epiſcopum aut abbatem cauſſam habebat, quocumque nomine lis accideret, appellabat metropolitam. Prægravatus autem a ſuo metropolita, alterius provinciæ metropolitam appellabat, atque illi moleſtiam preſſuræ ſuæ agnoſcendam deferebat. Si vero ab his duobus non audiretur, tandem regem adibat, cauſſamque cognoſcendam ei deferebat. Et ſane ubi quiſpiam accuſatus appellabat a proprio epiſcopo ad metropolitam proprium, vel ab hoc ad metropolitam alterius provinciæ, neque a ſuo epiſcopo, neque a ſuo metropolita excommunicari poterat: neque ab alterutro, quum appellabat regem: at vero, ſi prius eſſet excommunicatus, quam appellaſſet, non abſolvebatur ab eo, cuius petebat iudicium, niſi agnoſceret prius, fuiſse iniuſte ac ſine ratione excommunicatum: & ſatisfeciſſet eius, qui eum excommunicaverat, obiectis. Hæc erat Gothorum temporibus appellandi ratio, hæc forma. Id conſtat capite 12. concilii XIII. quod placet ſcrupuloſe referre: *Quicumque ex clericis vel monachis cauſsam contra proprium epiſcopum habens, ad metropolitanum cauſsaturus acceſſerit, non ante debet a proprio epiſcopo excommunionis ſententia prædamnari, quam per iudicium metropolitani ſui, utrum excommunione dignus habeatur, poſsit agnoſci: quod ſi ante iudicium quis epiſcoporum in talium perſonas excommunionis ſententiam promſerit, illis penitus, quos ligaverit, abſolutis, in ſe illam noverint retor-*

Ratio appellationis.

Quæ forma ſervaretur.

tor queri sententiam : quod etiam & inter metropolitanos convenit observari, si prægravatus quis a proprio metropolitano ad alterius provinciæ metropolitanum molestiam pressuræ suæ agnoscendam detulerit : aut si inauditus a duobus metropolitanis, ad regum auditus negotia sua perlaturus accesserit, & ob hoc excommunionis iugulum a proprio episcopo illi videtur infigi. Hoc tamen est observandum, ut si prius unumquemque excommunionem contigerit suscepisse, quam a proprio episcopo ad alium pertransiret, tamdiu excommunicatus apud eum, cuius iudicium petiit, habeatur, quamdiu excommunicatoris sui obiectibus, utrum iuste an iniuste alligatus sit, agnoscatur: cap. etiam 19. concilii III. Toletani: *Clerici tam rurales, quam diœcesani, qui se ab episcopo gravari cognoverunt, querellas suas ad metropolitanum deferant, & metropolitanus non moretur huiusmodi præsumtiones avertere.*

CAPVT XLII.

CVR IN CONCILIO TOLETANO VNIVS ECCLESIAE DVO INTERDVM EPISCOPI NOMINENTVR.

REperio in concilio III. Toletano non semel unius ecclesiæ duos episcopos, e. g. Pantardum & Iulianum ecclesiæ Bracarensis, Nitigisium & Becillam Lucensis, Murilam & Celsinum Valentinæ. Vnde id, quæret aliquis, accidit? Hinc, ut opinor, quod quibusdam ecclesiis Leodegildus rex Suevorum hæreticus episcopos Arianos præfecisset, quum essent in eisdem etiam catholici. Sed hi Ariani episcopi simul cum reliqua gente Gothica ad ecclesiam catholicam redierunt, & subscripserunt simul cum veris & catholicis episcopis concilii actis. Hos autem & multos alios hæresim abiurasse Arii, plane colligitur ex præfatione concilii III. in quo episcopi Ariani anathematizant Arianam hæresim : & præterea libellum quemdam detestabilem de

in-

induſtria ab eis ipſis compoſitum anno XII. Leodegildi regis Suevorum, qui Galliciam incolebant, in quo, ut illi nugantur, continetur Romanorum ad Arianam hæreſim traductio.

CAPVT XLIII.

VTRVM LEGENDVM SIT, *EPISCOPI HISPANIAE ET GALLICIAE*, AN *HISPANIAE ET GALLIAE*, IN QVIBVSDAM CONCILIIS TOLETANIS.

POſtremo mihi ſcrupulus eximendus eſt, qui me male torſit aliquando. Is eſt, utrum in his conciliis legendum ſit, *epiſcopi totius Hiſpaniæ & Galliciæ*, an potius, *Hiſpaniæ & Galliæ*. Nam interdum hoc, interdum illo modo ſcriptum reperimus: capite I. concilii IV. *Per totam Hiſpaniam vel Galliam*; initio XV. *Omnes Hiſpaniæ Galliæque pontifices*: cap. I. concilii XVII. *Pleriſque Hiſpaniæ Galliæque epiſcopis*: cap. 6. eiuſdem: *Per cunctas Hiſpaniæ & Galliciæ provincias*. Sæpenumero etiam *Galliciæ* legimus: cap. 6. concilii XII. *Placuit omnibus pontificibus Hiſpaniæ atque Galliciæ*. In præfatione concilii III. *Hæc ſynodus habita eſt in ſancta civitate regia Toletana, epiſcopis totius Hiſpaniæ atque Galliciæ*. Ad lectionem variam accedit etiam ea ratio, quod his conciliis non modo intereſſent epiſcopi Galliciæ, ſed eius etiam partis Galliæ, quam tenebant eo tempore Gothi, & *Gothicam* appellabant eo nomine; *Narbonenſis* modo dicitur. Sæpe enim reperitur ſubſcriptio Narbonenſis metropolitæ & epiſcopi Carcaſſonenſis, qui ad hanc provinciam pertinent. Duobus igitur his nominibus dubium eſt, utrum *Galliæ*, an *Galliciæ* legere oporteat. Neque ex hiſtoriis quidpiam habui certi, quo dubitationem tollerem, & componerem controverſiam. Arbitror tamen non *Galliæ*, ſed *Galliciæ* legendum eſſe. In quam ſententiam; primum ea ratione

Galliciæ legendum, non *Galliæ*.

ne adducor, quod frequentiſſime in his conciliis hæc lectio adſit, illa raro: deinde, quia quum Gallicia tam ampla provincia ſit, quam diximus ſuperius, & illam Suevi non ante Gothos modo, ſed temporibus etiam Gothorum tenuerint, qui ſimul cum Reccaredo chriſtianam fidem ſuſceperunt, quum de Hiſpania mentio fieret, potuit recte per ſe Gallicia nominari. Tertio, reperio aliquot locis, præſertim in præfatione concilii IV. regem appellari *Hiſpaniæ atque Galliciæ*, non Galliæ: ergo epiſcopi etiam Hiſpaniæ & Galliciæ merito vocabuntur. Nam ex quo tempore Gallicia ad fidem rediit, regnum etiam illud a Suevis ad Gothos tranſlatum eſt, & vocati ſunt reges *Hiſpaniæ & Galliciæ*, ut merito epiſcopi dici debuerint Hiſpaniæ & Galliciæ. Huius rei teſtis eſt præfatio concilii III. Toletani, quum ait: *Neque enim ſola Gothorum converſio ad cumulum noſtræ mercedis acceſſit, ſed Suevorum gentis infinita multitudo, quam cæleſti præſidio noſtro regno ſubiecimus*: cap. enim 18. concilii IV. ſic legitur: *Quia hæc obſervatio per multarum loca terrarum, regioneſque Hiſpaniæ in eccleſiis commendatur, dignum eſt propter unitatem pacis, ut in Gallicianis eccleſiis conſervetur.* Ecce quo pacto eccleſias Hiſpaniæ a Gallicianis diſtinguit ſynodus: cap. etiam 10. *In omnibus conſervetur per Hiſpanas Galliciæque provincias*, cet. cap. 12. *Sicut enim orationes, ita & hymnos nullus noſtrum ulterius improbet, ſed pari modo in Gallicia Hiſpaniaque celebrent.*

Illud maxime confirmat noſtram ſententiam, quod poſt converſionem Gothorum & Suevorum in Gallicia, dicat rex in præfatione concilii III. *Ad roborandam novellam converſionem gentis noſtræ omnes Hiſpaniarum & Galliciæ eccleſiæ hanc regulam ſervent, ut ante communionem recitent ſymbolum fidei*: cap. 13. *Per omnes Hiſpaniæ eccleſias vel Galliciæ.*

In quibus locis iudicio meo pro *Galliciæ* legi non po-

potest *Gallia*. Specto quid alii sentiant, ego interim in hac sum opinione, a qua facile dimovebor, si in contrarium alicuius pretii suppetat ratio.

CAPVT XLIV.

Postremo veluti coronidem addere lubet. Ea est, colligi ex his, quæ sunt a me hactenus in commentarium relata, iudicio meo temporibus Gothorum nihil negotiorum ex Hispaniis Romam adire solere. Nam neque electio episcoporum Hispanorum Romæ fiebat, quum ea fuerit regum Hispaniæ; neque eorum confirmatio, siquidem a proprio metropolita ecclesiis præficiebantur illi, quos reges elegissent; vel ab episcopo Toletano, postquam probati essent. Cetera minora beneficia, ego non dubito, quin ab ipsis episcopis conferrentur, tametsi huius rei nullam in concilio Toletano mentionem factam reperio. Iam vero lites omnes, caussæ & controversiæ sacerdotum in Hispania proculdubio finiebantur: minores enim caussas sacerdotum & monachorum statim iudicabat proprius cuiusque episcopus: ab eo fiebat appellatio ad proprium metropolitam: ab hoc ad alterius provinciæ metropolitam: atque hinc tandem ad regem provocabatur, qui litem dirimebat. Graves autem caussæ, etiam maximæ, in conciliis agebantur & terminabantur. Quæ enim potest esse caussa maior, quam metropolitæ, addo etiam, quam primatis, præsertim ubi de eo exturbando a dignitate atque spoliando agitur: atqui scimus in concilio Toletano actam esse caussam Potamii Bracarensis, & Sisiberti Toletani, Hispaniarumque primatis, & utrumque honore ac dignitate deiectum esse, atque alios pro his a concilio ecclesiis præfectos. Sed habebant id Hispani tum episcopi, tum etiam reges ex privilegio, hoc est, beneficio & gratia summorum pontificum Romanorum, quemadmodum habet Siciliæ rex mo-

Nihil negotiorum ex Hipania Romam adibat Gothorum temporibus.

monarchiam in ea insula. Omnes enim ecclesiæ caussas tractat, omnia beneficia confert, perinde ac si pontifex summus esset, liberalitate tamen & privilegio, ut dixi, Romani pontificis, quod nos Tridenti legimus, quum in concilio ageremus, cui ex officio incumbit, universalem ecclesiam regere, & pascere omnes Christi oves, quam ille facultatem in Petro accepit a Christo. Iurabant tamen omnes Hispani sacerdotes, quum primum ordinibus sacris initiabantur, sed præsertim episcopi, capite 10. concilii Toletani XI. se obedientiam præstituros *præeminenti sibi*, id est, Romano pontifici, cui necesse est pareant omnes, qui volunt vivere christiane.

FINIS.

AD

AD CLARISSIMVM VIRVM HONORATVM IOANNIVM,

CAROLI PRINCIPIS NOSTRI PRAECEPTOREM DIGNISSIMVM,

GASPARI CARDILLI VILLALPANDEI IN ARISTOTELIS CATEGORIAS

PRAEFATIO.

INsignis tua virtus, prudentia summa, incredibilis humanitas cum generis nativitate coniuncta, clarissime atque doctissime HONORATE, tam ingentes animos faciunt probis omnibus, & bonarum litterarum studiosis hominibus, ut quum magno aliquo præsidio opus est, ad te protinus, tamquam ad communem omnium patronum confugiant, & tuam opem veluti virgulam divinam implorent. Quis est enim, a quo malorum, quibus studiosi premimur, sperare debeamus, nisi qui possit, quum velit, & prodesse semper cupiat? Iste ergo excelentes ingenii tui atque animi dotes partim Dei beneficio natura concessæ, partim vero diligentia atque studio aut comparatæ omnino, aut meliores effectæ, multos impulerunt, ut studerent diligenter te suis rebus veluti numen aliquod præsentem habere. Et ne exteris testibus, quorum numero facile obrueremur, fidem faciamus, hæc maximarum tuarum virtutum publica fama, alieno præsidio plurimum indigentem sollicita & veluti languentem excitat & cogit, ut me tibi insinuem, &, quacumque ratione possim, tuam gratiam promerear. Etenim si quis est bonarum litterarum in Hispania cupidus atque studiosus, Caroli principis nostri, hoc nomi-

minè felicissimi, quod te institutorem habet, patrocinio plurimum indigeat, is ego sum, cui adversus innumeras copias sophistarum pro aris & focis, id est, pro bonis litteris bellum susceptum est. Quamquam enim virtutes singulæ, quod tu optime nosti, parum valeant, certe clamore maledicendi, rabie, turba etiam valent plurimum, præsertim quum coniurati quempiam aggrediuntur.

Quantam superioribus temporibus sophistarum, hoc est, impostorum hominum culpa bonæ litteræ calamitatem pertulerint, quantumque a pristina illa sua dignitate istorum vitio exciderint, neque huius temporis ratio patitur dicere, neque, si maxime pateretur, expediret referre tibi, qui in optimis quibusque litteris, & præstantissimis disciplinis ab ineunte ætate versatus, maximos in eisdem progressus fecisti: neque tam aliena fama, quam proprio periculo didiscisti, quid distent æra lupinis.

Sordes illas, quas præclaræ artes & disciplinæ contraxerant, partim regum & principum virorum liberalitate, partim etiam doctorum hominum industria Germani, Galli, Flandri, atque Itali penitus abluerunt & tam strenue purgarunt, ut ne tenuis quidem macula fedæ atque horrendæ barbariei apud eos reliqua sit. Apud nos vero, ad quos sentina ista ex ceteris orbis partibus pulsa confluxisse visa est, pro dolor! tam altas radices egit urenda seges, ut non sine magno nostro malo atque incommodo sæva quadam tyrannide præstantissimas quasque Hispaniæ academias oppresserit atque adflixerit, easdemque apud ceteras nationes barbarie infames reddiderit.

Verum enim vero, ut grave admodum atque molestum sophistices iugum nostris humeris excuteremus, Deus bone, quo studio quantisque animi conatibus quidam ex Hispanis virtute, ingenio atque litteris clari con-

contenderunt meliores nobis litteras restituere, exploſis ex gymnasio perditis quibusdam nebulonibus, penes quos totius rei litterariæ, præsertim vero dialecticæ & philosophiæ summa erat. Hinc effectum est, ut in quibus locis minor copia sophistarum erat, qui Enzinas, Dulardos, Strodos, atque Naveros mordicus defenderent, & eorum somnia merasque nugas tuerentur, feliciter hic conatus successerit. Huius rei testes facio Conimbricam & Valentiam, nobiles academias, quæ per sophistas calcatos ad præstantes disciplinas confugerunt. In quibus quantum profecerint, qui ex utraque academia singulis diebus viri doctissimi prodeunt, plane testantur.

In amplioribus vero frequentioribusque gymnasiis usque adeo lentus atque periculosus iste morbus effectus est, ut difficile etiam ab Aesculapio curari possit. Sunt enim in his locis plurimi, qui præclara molientibus obstrepant, quid obstrepant, dico? immo vero qui, quum alia via non possint, coram imperita multitudine adversus eos, qui in libertatem adserere student bonas litteras, se ipsos ulciscantur, atque illum, qui deliramenta ista contemserint, sesqui hæreticum vocent: usque adeo istorum insania progressa est.

Hæc una ratio apud plerosque doctissimos viros tantum valuit, ut publici officii, communisque utilitatis immemores, satius esse duxerint, domi se continere, atque intra privatos parietes otii fructum capere, quam illud tentare, quod se adsequi haud facile posse confiderent, apud se illud reputantes, *Frustra niti*, ut comicus ait, *nihil aliud se fatigando, nisi odium quærere*, extremam esse dementiam.

Istorum hominum sententia, si quo pacto nobis probaretur, facile quidem potuissemus apud rude atque imperitum vulgus haberi in pretio. Verum quum intelligeremus, quod Plato ait, non solum nobis natos esse, sed etiam patriæ atque amicis, quidquid nobis ingenii

atque industriæ natura concessum est, & quamcumque litterarum supellectilem studio & diligentia nostra comparaveramus, decrevimus in communem studiosorum utilitatem conferre, non ignari quantum discrimen rei familiaris, cuius iactura facile ferri potest, quum ea nobis tenuis admodum contigerit, & nostri nominis subiremus. Consolabatur nos illud tamen, non fieri sine periculo facinus magnum & memorabile, atque in magnis præclarisque rebus sat esse voluisse. Quoniam vero nostra sententia, atque etiam magnorum virorum opinione studiorum dialecticæ & philosophiæ summa perversio est, hinc auspicari necessarium putavimus: in primis vero ut vanarum nugarum, quibus explicandis integer annus dabatur, ubertatem depasceremus, atque insuper *Summularum* nomine quosdam, qui istis næniis impensius favent, ad lectionem nostrorum scriptorum traheremus, summam quamdam summularum confecimus: summæ huic εἰσαγωγὴν adiecimus; unde illi inciperent, qui tricas istas, aut verius cruces ingeniorum aversarentur.

Hinc progressi sumus ad dialecticam Aristotelis, quæ quoniam barbare & inculte a Latinis hominibus commentariis explicata est, Latini cuiuspiam scriptoris diligentiam requirebat, nam Græcos enarratores magni isti dialectici ne ex nomine quidem noverunt. Itaque ut Complutensi academiæ, quæ me instituit, & suis stipendiis alit, in primis gratificarer, ac deinde aliis prodessem; in *quinque Porphyrii voces*, & partem quamdam librorum *de priori analysi* commentarios invulgavi. Ii ab improbis quibusdam atque imperitis hominibus, & alienæ gloriæ invidentibus, qui uno, aut altero, atque eo sordidissimo scriptore, quem tamquam Deum venerantur coluntque, in familiaribus colloquiis tanta animi contentione sperni & maledictis proscindi coeperunt (nam veris rationibus, quibus nostram

stram sententiam refellerent, omnino destituebantur) ut nisi me maior vis quam humana ad scribendum impulisset, destitissem statim ab incoepto. Verum qui mihi iussit hunc laborem suscipere, Deus Opt. Max. is quoque animum fecit excelsum ad calumnias perferendas, atque eam mentem inspiravit, ut patronum quærerem, qui ingenio, doctrina, generis splendore, auctoritate denique sua barbaros istos posset in officio continere, & mihi ad reliqua properanti adderet calcaria. Procul autem abfuit longæ inquisitionis labor: nam statim tu mihi occurristi, HONORATE clarissime, qui commemoratis natura, ingenii atque fortunæ dotibus ceteros omnes viros doctos longo intervallo superas. Nisi enim in te omnes, quas dixi, virtutes cumulate adessent, numquam te Philippus rex noster invictissimus Carolo filio unico regnorum heredi præceptorem magno consensu omnium virorum bonorum dedisset. Me igitur sub tuo patrocinio suscipe, HONORATE doctissime, & loci, in quo te virtus tua collocavit, maiestate, tuique nominis celebritate labores istos meos ita defende, ne quispiam impedimento sit, quominus Hispaniæ prosint, cuius iuvandæ caussa in animum induxi meum Aristotelem, quanta maxima possem diligentia, interpretari. Ea enim ratione, quantum ego intelligo, planior, expeditior, atque iucundior studiosis hominibus ad Aristotelem aditus patebit. Quod tu pro tua singulari eruditione, atque etiam erga bonas litteras & præclara ingenia animo vehementer exoptasti. Neque tamdiu Hispania nostra fecunda parens magnorum ingeniorum barbariei nomine apud exteras quasque nationes male audiet. Nihil enim efficacius est ad pervertendum iudicium animi, quam si triobolaribus his minutisque philosophis adsuescas, & fontes, unde bonæ litteræ ortæ sunt, prætermittas. Quod in Hispania plerique omnes, qui in academiis philosophati sunt hactenus, fecerunt. Nam quum opinioni sint

addicti eius scriptoris, quem enarrant, etiamsi plumbeus sit, veritatis studium deserunt, atque eamdem saepenumero clamoribus, contentionibus & pertinacia obruunt, ea siquidem, ut Mimus dixit, nimium altercando amittitur. Sed iam meam enarrationem in Aristotelis *categorias* audi. Hanc si tibi intellexero non displicuisse, aliquid me fecisse putabo, quod ad iuvandum communia studia bonarum artium conducat: insuper etiam incoeptam enarrationem dialecticae & philosophiae Aristoteleae absolvam. Compluti ex collegio & bibliotheca nostra. Kalendis Ianuariis.

IL-

ILLVSTRISSIMO VIRO ET VIRTVTIS ATQVE LITTERARVM ORNAMENTIS CLARISSIMO, DOMINO PETRO FAIARDO, MARCHIONIS DE LOS VELEZ FILIO, ATQVE VNICO HEREDI, GASPAR CARDILLVS VILLALPANDEVS SEGOBIENSIS, PLVRIMAM D. S.

QVVM ex Gonsalo Faiardo avunculo tuo, auditoreque meo, cuius ego memoriam propter summam eius viri integritatem, atque excellens ingenium non sine ingenti mei animi voluptate usurpo, & conspectu recreor: in familiaribus sermonibus, quos ego libenter cum eo conferre soleo, de insigni tua virtute, de prudentia in rebus gerendis, de optimarum artium studiis, quibus a teneris annis generosum istum animum colis, postremo de benevolentia & caritate, qua studiosos bonarum litterarum prosequi soles, multa quidem accepissem, mirabiles tui amores eius in me oratio excitavit, ac me subito te adeundi & colloquendi cupiditas corripuit, ut eum virum, de quo tam multa absens audieram, præsentem oculis contemplarer. Istam vero opinionem, quam ex sermone Gonsali de tuis virtutibus conceperam, constans vox atque etiam testimonium eorum omnium, qui isthinc ad nos singulis diebus veniunt, magis auxit, atque animum meum inflammavit tam impotenter, ut quum te neque adloqui, neque adire possem, mecum effecerit, ut istum mei animi sensum per litteras tibi significarem. Quamquam autem ad scribendum per candorem animi tui & singularem humanitatem facile mihi pateret aditus, indignum sane semper putavi, atque ab omni specie civilitatis alienum, me

inserere, & tuam gratiam per me ipsum ambire & petere. Patronum igitur mihi quaerendum esse censui, qui rusticanum istum mihi pudorem abstergeret, atque apud te meam istam caussam ageret. Quum ego de hac re nimium essem sollicitus, ecce adest Aristoteles philosophus satis urbanus, & cuius consuetudine, uti scis, plurimum olim reges utebantur, in primis vero Alexander ille magnus. Huius ego libros aliquot meis commentariis illustraveram, is mihi ait: *Bono animo esto: neque te ea cura sollicitet: ego mihi illam suscipio: atque ut accepti abs te beneficii partem aliquam referam, principem virum, eumdemque tibi devinctum reddam.* Rogo quibus conditionibus. Tum ille: *Modo commentarios tuos, quos in libros de interpretatione conscripsisti, mihi reddas, ut hos ego dicatos clarissimo viro in vulgus edam.* Recusavi tantisper conditionem, neque me Aristotelis summi philosophi precibus facile exorari passus sum. Nam neque commentarios meos tanti faciebam, ut dignos eos existimarem, qui viro praestantissimo dicarentur, neque tam culti atque elaborati mihi esse videbantur, ut, si in publicum prodirent, honorem meum, si quis est, sartum tectum servare possent. Quum ego magis ac magis repugnarem homini, qui cupiebat erga me officiosus videri atque esse: *Ne sis*, inquit ille, *sollicitus quid de tuis commentariis homines sentiant, quos ego non mediocriter probo, & doctis scio atque probis hominibus placituros. Sed patronum ambi, qui generis splendore, maiorum suorum rebus praeclare gestis illos exornet; propria deinde virtute & litterarum gloria claros reddat, quando tibi adversus sophistas seditiosos homines pro veritate dimicandum est: non facile autem (mihi crede) quempiam reperias, qui his, quas dixi, virtutibus tantum possit atque is, cuius tu gratiam expetis.* Te autem monstrabat, illustrissime FAIARDE, de cuius laudibus in praesentia dicere nihil audeo, ne easdem

dem referens ingenii culpa deteram. Erit fortasse locus aliquando de illis dicendi, ut te dignum est, hoc est, copiose atque uberrime. Interim tamen illud unum dixisse satis sit, quod tuam virtutem maxime commendat, te ad generis splendorem, & patris atque avi tui antiquam gloriam propriæ virtutis & disciplinarum ingentem cumulum addidisse. Ad quas quidem disciplinas te, si natura compositus non esses, satis superque inflammare potuisset optimus atque doctissimus socer tuus Vraniæ comes, qui, erecta a fundamentis Ossunæ academia, tardos quoque homines & parum ad litteras natos ad studium bonarum artium & præstantissimarum disciplinarum provocat atque incendit. Vicit me tandem, fateor, Aristoteles, & commentarios extorsit. Hos ad te mitto: illos excipe, vir clarissime, atque, ut de decet, defende: nam tametsi tanta ista maiestate indigni sint, certe testes locupletissimi esse poterunt eius benevolentiæ atque studii, quo ego libenter prosequor eximias ingenii tui atque animi dotes. Me quoque tuorum numero adscribe, generosissime PETRE, dabo enim operam sedulo, ne te mihi umquam pœniteat bene fecisse: insuper tuo patrocinio animatus durissimam istam provinciam, quam egomet mihi iniunxi, latine interpretandi *Aristotelem*, ut par est, sustinebo, & tua ope, meaque industria & diligentia, nisi me fallit animus, multis proderit. Vale. Ex collegio & bibliotheca nostra Nonis Martiis M. D. LVIII.

AD

AD ILLVSTREM ADMODVM VIRVM
D. IAÇOBVM ABVLAM
MARCH. NAVARVM FILIVM, ABBATEM ALCALAE REGIAE,
GASP. CARDILLI VILLALPANDEI SEGOB.
IN COMMENTARIOS QVINQVE VOCVM PORPHYRII
PRAEFATIO.

QVVM primam nostri ingenii feturam, hoc est, introductionem in artem disserendi sub tuo nomine in publicum ederemus, illustris admodum atque admodum generose IACOBE, quæ de dialectica & philosophia non exiguo olim labore commentaria confeceramus, promisimus tibi, brevi nos in lucem daturos. Hactenus tamen a me cessatum est, non tam quod admodum essem sollicitus, quo animo mea ista scripta essent excipienda, quam quod non satis intelligerem, qua ratione inter tot curas & tam varias occupationes otium mihi posset suppetere ad expoliendum atque edendum in lucem nostras lucubrationes. Scis enim, ornatissime IACOBE, quam sit exiguum illud tempus, quod superest nobis ab eo munere, quod sustinemus, publice interpretandi Aristotelem, a privatis sacrarum litterarum studiis, a publicis in theologia concertationibus, quas more atque solemni amplissimi huius gymnasii instituto habere frequenter cogimur, a concionibus præterea, quas nos habere interdum solemus, ne, dum per otium vacare summo huic negotio non licet, negligentia aut ignavia nostra lingua, theologo ad prædicandum evangelium potissimum concessa, torpeat, mens hebetetur, atque, ubi opus sit, non satis possit suum officium facere; rursus etiam a negotis curisque domesti-

sticis: postremo vero a colloquiis & familiaribus sermonibus amicorum, quos ego non tam alieno malo, quam meo didici perniciosissimos fures esse temporis. Ne tamen quispiam plura me tibi pollicitum putaret, quam præstare valeam, aut datam tibi fidem fregisse, quod ego sane acerbissime ferrem, dedi operam sedulo, ut modo commentarii in *quinque voces Porphyrii*, exigua admodum pars meorum laborum, in hominum conspectum prodirent, qui & studiosorum animos explorarent, atque eorumdem de nostris scriptis sententiam nobis referrent, meoque nomine, quæ restant, pollicerentur: nisi in hac re nostram diligentiam probi atque eruditi viri & bonarum artium studiosi adspernentur: nos enim horum iudicium requirimus, atque his tantum nostra scripta probari cupimus. Scio ego fore multos, qui laborem meum in scribendo inanem atque supervacaneum esse putent, & quæ æmulari non possunt, passim calumnientur & reprehendant, partim quod in scriptis meis horrendam illam linguæ barbariem, qua mirifice delectari consueverunt, ut sus luto, non offendant: partim quod in eisdem non tam densa copia insit sophisticarum nugarum, quam densa inest in quorumdam scriptorum libris, quos isti hactenus habuerunt in delitiis: partim quod methodum, id est viam & rationem tractandi singula non omnino videamur contemsisse: partim etiam quod, prætermissis noviciis scriptoribus, bonam partem harum rerum ab his auctoribus ceperimus, quos, qui nostra scripta insectantur, ne a limine quidem umquam salutarunt. Non ista fingimus, ornatissime IACOBE: vera sunt, quæ narro, ausculta tantisper infaustas voces sophistarum, plane comperies, ista de meis scriptis vulgo iactari. Sed quis est, obsecro, tam inops consilii, tam angusti animi, qui istorum hominum perditum iudicium reformidet? aut quem umquam horum hominum, qui ad-

fectu potius & levitate animi, quam ratione ducantur, tam aperta & vana calumnia ab incoepto revocavit? Ego sane quum istas de me atque scriptis meis egregias calumnias spargi video, magno opere me consolor, atque in eam erigor spem, dignum esse laborem meum aliqua parte veræ sinceræque laudis. Nos istis ingeniis non spiramus: habent suum coenum, in quo volutentur: habent suas nænias, in quibus integram vitam agant: habent denique suas delitias, barbarissimos atque admodum sordidos scriptores: illis oblectentur per me, nihil impedio, modo nos missos faciant. Quod si pergant maledicere, & nostra patientia diutius abuti velint, efficiam profecto, male facta ut noscant sua. Verum enimvero quamquam intelligam plane, istorum corruptum de litteris iudicium nihili faciendum esse, ubi apud me considero doctrinæ opinione, turba quoque plurimum id genus homines apud imperitam multitudinem posse, coactus sum patronum aliquem & defensorem mihi parare, qui nobilitate generis, litterarum ornamentis, postremo auctoritate sua plurimum valeret. Neque me multum ista cura sollicitum aut suspensum tenere potuit: subito enim occurristi tu mihi, illustris IACOBE, ad quem confugerem, cuius opem implorarem, cui meum istum laborem omni alioqui præsidio destitutum consecrarem & qui velut alter Hercules ἀλεξίκακος horrenda ista monstra mihi superares: nam in te uno cumulate atque copiose exsistunt, quæ in meorum scriptorum defensore semper optavi. Quis est enim, per Deum immortalem, non modo apud Hispanos, sed etiam apud exteras quasque nationes, qui Cordubensium atque Abulensium, unde tu ortus es, vetustissimam atque splendidissimam gentem non norit? aut cuius animo virorum tuæ gentis præclara gesta, illustria facta non tam alte insident, ut eorumdem memoria umquam oblivione deleri queat? De quorum egregia

at-

atque insigni laude virtutum, de amplitudine & maiestate rerum ab iis domi militiæque gestarum, nisi me temporis angustia premeret, multa sane dicturus eram. Iam vero hæc ipsa satis clara atque magnifica per se tu quidem virtute tua, ingenio, studio, litteris, multo clariora reddidisti, siquidem paucis annis Compluti tam strenuam operam liberalium artium studiis impendisti, ut magisterii lauream magno omnium applausu atque acclamatione sis consequutus, & cunctis, qui te Compluti noverunt, admirabile ingenii tui specimen præbueris. Istud tuum tam felix ingenium, tantam istam gloriam litterarum studiis partam, tam insignem prudentiam, præsulis officium liberalitate Cæsaris invictissimi susceptum magnopere exornat, facitque nobis ingentem spem multo amplioris dignitatis, qua tu strenue, ut coepisti, laborando dignissimus efficieris. His omnibus, quibus te Deus Opt. Max. insignibus ornamentis decoravit, proculdubio opus est, ornatissime IACOBE, ad conciliandam meis scriptis auctoritatem & gratiam, ad prohibendum barbarorum incursiones, ad repellendam sophistarum temeritatem atque insolentiam, ad reprimendum perditorum hominum nefarios conatus. Hanc si tu nobis opem præsentaneam attuleris, non tantum mihi, sed plurimis etiam aliis viris ingenio atque litteris claris ad scribendum calcaria addes: academia præterea nostra te auctore plurimum capiet adiumenti ad bonas litteras capessendas: ad quas nos nostris scriptis aditum patefacimus, levitate atque audacia sophistarum præclusum.

AD ILLVSTREM ADMODVM
AC REVERENDVM D. D. ANDREAM CVESTAM
EPISCOPVM LEGIONENSEM
GASPARVS CARDILLVS VILLALPANDEVS.

VIdebor fortasse parum prudenter facere, quod opus non omnino absolutum, commentarios inquam in septem priora capita prioris libri *de priori resolutione* episcopo numeris omnibus absoluto inscripserim; verum qui mei consilii rationem probe intellexerit, mirari sane desinet, & me imprudentiæ nota liberabit. Ego enim, gravissíme præsul, non alio animo exiguum hunc laborem meum tui nominis immortalitati dicare & consecrare studeo, quam ut tu unus ex amplissima tuarum litterarum supellectile adiicias, quod meis scriptis deesse non ignoro: obscurum opus illustres splendore virtutum, atque auctoritate tua repugnantes etiam & invitos, ut ita dicam, ad lectionem provoces atque trahas. Nam quis est, obsecro, nisi summæ tuæ gloriæ invideat, qui non libenter fateatur, te his annis, quibus Compluti adfuisti, partim audiendo summos viros, partim publice docendo, disciplinarum omnis generis cognitione, humanitate, prudentia, omni denique genere virtutis tantum profecisse, ut te non modo Complutenses tui magnopere sint admirati, atque coluerint, sed etiam qui in remotissimis Hispaniæ partibus aderant. Testis est locupletissimus omnium, quæ narro, Philippus rex noster, Caroli V. invictissimi atque sanctissimi Imperatoris filius: qui quum multa de insigni tua virtute, scientia rerum, prudentia denique & dexteritate ad negotia maxima conficienda constanti fama accepisset, magno omnium doctorum homi-

minum & bonorum virorum consensu atque acclamatione te ecclesiæ Legionensi episcopum dedit: ut rara ista, atque ingenti liberalitate non modo, te ad strenue laborandum, ut coepisti, hortaretur, sed ceteris quoque doctis hominibus atque probis spem maximam faceret fore, ut aliquando præmia virtuti atque optimis suis studiis debita consequantur. Quæ una res te vehementer hortari debet, dignissime præsul, ut magnis conatibus virtuti, litteris, atque in summa muneri suscepto incumbas, ne, quam opinionem de te Cæsar concepit, ulla ratione fallas, neve culpa tua sapientibus atque eximia virtute præditis hominibus viam ad similem dignitatem præcludas. Istos ergo commentarios, quos inchoatos tantum emittimus, ut, quam ocissime possimus, opem auditoribus dialecticæ feramus, & quid in ceteris nostra diligentia possit efficere, ex te intelligamus, hilari animo suscipe, atque illos episcopi dignitate & tui nominis amplitudine ita defende, ne paucorum hominum male de optimis studiis sentientium culpa præclara hæc academia illis instrumentis atque præsidiis destituatur, quæ sunt quidem necessaria ad instituenda recta studia & bonas litteras capessendas. Vale. Ex collegio & bibliotheca nostra XX. Kalen. August. M. D. LVI.

AD

AD ILLVSTREM VIRVM D. D.

FRANCISCVM MENDOZAM MARCH. CAÑETENSIS FILIVM, ECCLESIAE CONCHENSIS CANONICVM, ET PRIMARIVM AEDITIMVM, AVDITOREM SVVM,

GASPARIS CARDILLI VILLALPANDEI D. T. PRAEFATIO IN ARISTOTELIS TOPICA.

SAepe mecum reputare soleo, atque id in familiari sermone frequenter usurpo, illustris & magno ingenio prædite FRANCISCE, non minus fortunatum censendum esse bonarum artium præceptorem, qui, quum præstantes quasque disciplinas docere velit, auditores habet, qui ingenio, iudicio & diligentia valeant plurimum, quam is sit, qui quum cuperet optimis artibus animum informare, in eum doctorem incidit, a quo sine magno dispendio in perfectam bonarum artium cognitionem atque scientiam perduci possit. Fit enim, atque id magna cum ratione, ut quæ recte instituuntur nobilia ingenia, brevi adolescant, & suo tempore fructus uberes atque copiosos ferant: non minus quàm fertiles agri, qui periti agricolæ cura atque industria exculti, quod acceperunt, multo reddunt cum fenore. Contra vero si negligenter tractentur, aut depravata corruptaque semina suscipiant, in silvam abeunt urendam, lolium, urticam, similesque herbas aut noxias, aut omnino infrugiferas gignunt. Quod narramus, longo rerum usu & frequentibus tum externis, tum etiam domesticis exemplis didicimus. Si quis autem est eorum, qui ingenuas artes profitentur, qui gloriari iure possit iuventutem se ingenio præstantem erudiendam suscepisse, is ego sum, in cuius gymnasium veluti certatim concurrerunt plurimi adolescentes magna virtute prædi-

ti, excellentes ingenio, iudicio clari, insignes diligentia, plurimis denique animi ornamentis splendidi. Neque id sine admirabili atque divino consilio factum esse interpretari soleo, ut adversus multorum calumnias, qui fortasse per nos in Complutensi academia revocatum e tenebris in lucem Aristotelem dolent (absit invidia verbo) diligentiæ atque industriæ nostræ testes haberemus, quod divina mentis vi atque ingenii acumine planum possint efficere, nos in ea non omnino lusisse operam, atque insuper suo exemplo docerent alios, cognitionem doctrinæ Aristoteleæ ab omni barbariei fuco liberæ atque exemtæ multum operæ pretii adferre ad capessendas ceteras disciplinas, & tractandas pro dignitate bonas artes. Inter ceteros vero præclaros doctrinæ Aristoteleæ auditores atque testes animi mei, quos habere mihi contigit, quum publice Aristotelem enarrarem, te in primis numero, illustris FRANCISCE, qui, si ceteri deessent omnes, unus satis esse posses, cuius ingenio nullum acutius, iudicio nullum exactius, memoria nulla tenacior atque fidelior, industria denique nulla maior. Neque enim est quispiam, qui ardentius bonas litteras amplectatur, neque qui easdem, earumque peritos pluris, ut par est, faciat. Istarum maximarum virtutum tu hactenus tam illustria indicia præbuisti his, qui te familiariter noverunt, ut tantam istam naturæ felicitatem, quam tu laborando multo clariorem reddidisti, ceteri omnes, qui in eadem tecum palæstra decertant, non semel admirati sint, atque aliis publica voce prædicarint. Ad persequendum autem virtutem, & bonas litteras strenuissime colendas, tametsi nostra diligentia aliquantulum profuerit, vis etiam ingenii tui vividi atque actuosi, & ad optima quæque animus adspirans multum adiumenti attulerint: plurimum sane te incendit, & veluti subiectis facibus inflammavit cardinalis Mendozæ patruelis tui summa in omni re, præsertim litteraria, vir-

tus

tus atque præstantia, & admirabilis diligentia cum prudentia ingenti coniuncta: ad quam tu, si quo turpi otio langueres, aut torperes negligentia, facile quidem posses illam exacuere. Ille tamen te velut equum in planiciem provocavit, qui non Hispanos modo, quibus ingenti ornamento semper fuit, propter consummatam perfectamque virtutem, sed exteras quoque nationes in admirationem traxit. De cuius egregia atque insigni virtute & rebus præclare gestis, de optimarum artium studiis, in quibus cum summa laude semper versatus est, de prudentia in rebus agendis, dicent alii commodius: nos enim tantarum rerum copia & magnitudine prorsus obruimur. Atque utinam quum tuorum in Aristotelem studiorum publicum periculum exhibuisti baccam lauri suscepturus, valetudinem iniqua sors tibi non invidisset, plures profecto habuisses industriæ tuæ publicos præcones, & præceptorem hunc tuum longe maiore laude cumulasses. Non potuit tamen cæca fortuna tantum tibi nocere, ut, debilitato animo & attrito longo morbo, non aperta apparerent vestigia præstantissimi ingenii & iudicii plane perfecti. Hæc tua virtus, singularis humanitas, incredibilis prudentia, in ea præsertim ætate, in qua tu constitutus es, tam me tibi devinctum tenent, ut impulerint, rationem quærerem, qua eius animi, quem erga te gero, apertam cunctis hominibus significationem præberem. Verum quum nulla alia nobis commodior hoc tempore suppeteret, oblatam adripuimus. Commentarios igitur nostros in Aristotelis *Topica* tibi consecramus: illos tamen non omnino absolutos, neque enim potuimus per ocupationes varias, quibus perpetuo distringimur, sed inchoatos tantum, ut ceteris etiam nostris auditoribus in hac rerum occasione utcumque prodessemus: scis enim rationem ab eisdem exigi eorum, quæ Aristoteles scribit hoc primo libro. Illos, si tibi atque tui similibus non ingra-

tos

tos esse intellexerimus, modo facultates non desint, maturabimus reliquæ partis editionem: interim pignus accipe animi tibi devinctissimi, qui apud viros bonos pretiosi muneris instar esse solet. Vale, & nos mutuo, ut facis, ama. Ex collegio & bibliotheca nostra, Kalendis Maii M. D. LVIII.

ILLVSTRI ATQVE ORNATISSIMO VIRO DOMINO PETRO MENDOZAE, ARCHIDIACONO ET CANONICO CONCHENSI, GASPAR CARDILLVS VILLALPANDEVS, SEGOBIENSIS P. D. S.

COmmentarios meos in Aristotelis *Topica*, quos Francisco Mendozæ fratri tuo, auditorique meo magnæ spei adolescenti olim nuncupaveram, quum secundo mandare typis statuissem multis partibus locupletatos, non sum passus sine novo patrono in manus hominum prodire invidiæ metu, quæ nusquam tam libere atque impune grassata est, quam hoc tempore. Multos enim passim reperias, qui quum ipsi nihil laude dignum agant, sed supini potius atque otiosi totas noctes atque dies stertant, magno quodam supercilio tumidi egregiis aliorum conatibus obstrepunt: atque sine modo ullo in alienos labores, quantumvis illi exacti sint, temere debacchantur, insigniumque virorum industriam sugillant. Ceterum quum de patrono cogitarem, neminem inveni, cui potius librum hunc meum dicare possem ac deberem, quam te unum, vir ornatissime: atque id sane multis de caussis. Primum quidem, quod, quemadmodum, Francisco fratre vita functo, benevolentia atque amor erga illum meus veluti iure quodam he-

reditario ad te sunt devoluta, ita quoque liber dicatus fratri tibi debetur iudicio meo: deinde quod nobilitate atque præstantia generis tui facile, si velis, possis auctoritatem & gratiam meis his commentariis conciliare: postremo quod bonarum artium scientia, humaniorum litterarum notitia, atque insuper iuris prudentiæ cognitione, in quibus omnibus studiis magna cum laude plures annos versaris, nullo negotio valeas mea hæc scripta, aut tua verius, ab iniquis meis, qui pro virili parte sua ea insectantur atque dilacerant, sarta tecta tueri atque defendere: quod unum in patrono si adsit, tanti quidem faciendum est, ut non sit, cur ultra requiramus. Quos ergo commentarios fratri tuo optimo, optimarumque artium studiosissimo adolescenti olim dicaveram, iterum offero tibi, mi PETRE, quem ego fratris loco habeo, castigatiores tamen: semper enim *secunda manus doctior*, ut est in proverbio. Præterea, quem librum nondum meis commentariis absolveram, quum illi primum in lucem darentur, tuis auspiciis absolvi iam tandem, atque in lucem mitto. Adiunxi etiam alterum libellum *de ratione disputandi* ex octavo topicorum Aristotelis decerptum, qui si accurate ac diligenter evolvatur, plurimum, ut opinor, emolumenti sit adlaturus, non modo ad parandam dialecticæ cognitionem, atque ad usum disserendi, sed etiam ad quascumque disciplinas atque artes pro dignitate tractandas. Tu, mi PETRE, hoc testimonium amoris erga te mei eo animo suscipe, quo a me profectum est, facile quidem cetera feramus. Vale, & me mutuo ama. Ex bibliotheca nostra Kalend. Novemb. M. D. LXVIII.

AD

AD ILLVSTREM ET VIRTVTIS
AC LITTERARVM ORNAMENTIS CLARISSIMVM VIRVM
ANTONIVM PIRESIVM PHILIPPI
CATHOLICI REGIS NOSTRI A SECRETIS RERVM STATVS,
GASPARIS CARDILLI VILLALPANDEI
SEGOBIENSIS IN DVOS LIBROS ARISTOTELIS DE ORTV ATQVE INTERITV
PRAEFATIO.

Libros Aristotelis *de ortu & interitu* nostris commentariis illustratos, atque auctos quæstionibus de re eadem, quum in vulgus emittere, & communicare cum studiosis bonarum artium hominibus cuperemus, illustris ANTONI, tuo potissimum nomini consecrare, in animum induximus. Id ut faceremus, multæ nos gravissimæ caussæ rationesque compulerunt: quarum singulæ tantum per se valent iudicio meo, ut non modo me, quem ipsa natura rerum admodum potens tacitis quibusdam stimulis, veluti facibus iubiectis, ad obsequium tui ardentissime concitat & inflammat, sed alium quemvis, nisi tibi admodum repugnantem animum gerat, facile permovere possint, ut tantam istam virtutem tuam, tam insignem admirabilemque prudentiam cum bonarum artium cognitione atque scientia coniunctam plurimum admiretur laudetque.

Quanti tu facias eos viros, qui præclaris suis scriptis de hominum genere bene mereri student, ex familiaribus & litterariis sermonibus, quos ego tecum magna cum voluptate mea sæpenumero contuli, non obscure intellexi. Scio etiam quibus verbis, quanta orationis facundia, quæ tibi tum natura, tum arte pluri-

rima contigit, ad laborem perferendum eos homines hortari consueveris, qui vel difficultate perterriti, aut ipso rerum pondere oppressi in medio cursu virtutis animum despondent ac sese continuo victos fateri volunt. Scio tandem, quibus beneficiis studiosos bonarum artium prosequaris. Nec enim ita te comparasti, ut quorumdam hominum, qui plus iusto sibi adrogant, quum sint ignavissimi, sententiam probare usquam velles, aut posses, qui nescio qua insania correpti, & furore mentis agitati prorsus inutilem & supervacaneam esse ferunt illam operam, quam viri alioqui doctissimi his temporibus libris scribendis atque invulgandis impendunt. Quasi vero omnis generis scriptorum diligentia atque industria ullo tempore umquam tantopere nobis fuerit necessaria, quam hoc sit, quum quorumdam depravatorum hominum, & ambitioni atque gloriæ servientium culpa effectum est, ut omnes fere artes bonæ, & sanctissimæ disciplinæ vel omnino pessum ierint, vel contaminatæ conspurcatæque sint. Nec vident litterarum osores strenui, hoc enim nomine libenter eos appellabo, quamdiu in hoc perniciosissimo errore perstiterint, libros subinde editis, ut cetera commoda taceam, illud effici, quod est sane maximum, & ad comparandas purius atque expeditius disciplinas summopere necessarium, ut veteres disciplinæ atque artes late patentes in compendium redigantur, obscura splendorem accipiant, quæ videbantur extra chorum saltare, ut est in proverbio, in ordinem referantur, quæ barbari barbare scripta nobis reliquere, doceantur latine, id est suo convenientique sermone tradantur: denique ab aliis inventæ artes ingenuæ pro dignitate explicentur. Nemini enim obscurum esse potest, interdum sic accidere, ut ciborum bona pars eo solum nomine, quod bene condita sit, delicatis & fastidientibus stomachis probetur.

Tu vero proprio periculo comperisti, ANTONI claris-

riſsime, quam ingentes utilitates hominibus adferat bonarum disciplinarum atque artium cognitio, qui ut illam abſolutam atque perfectam a summis viris, quibus te optimus & sapientissimus pater tuus & in omni genere rerum maximus erudiendum dedit, perdocereris, ab ineunte ætate bonam Europæ partem discendi gratia peragrasti, plurimas noctes duxisti insomnes, dies plurimos magnorum virorum colloquiis tribuisti, variarum gentium, apud quas non sine summa laude atque incremento virtutis diu versatus es, accuratissime ingenium explorasti: tibique quod esset ex usu, ex eisdem periculum fecisti. Denique tempus, quod ista ætate plerique omnes ludis, iocis, confabulationibus, mollioribus etiam voluptatibus dare solent, libris evolvendis, atque audiendis viris excellentibus impendisti. Videbas enim, nullam esse maiorem voluptatem, aut quæ naturæ hominum magis accommodata sit, quam quæ ex studiis bonarum artium percipitur, ad quas natura ipsa compositi atque effecti sumus.

Ex huiusmodi autem studiis, quæ tu a teneris annis strenuissime coluisti isto ingenio & fortuna, in qua partim paterna virtus, quæ ad res omnes maxima semper habita est, præsertim vero ad obsequia regibus nostris in rebus maximis præstanda, partim tua, quæ tamquam fulgentissimum sidus emicat, te collocavit, digna oblectamenta cepisti: illa etiam tibi magnum emolumentum atque præsidium attulerunt ad secundas atque adversas res, quæ tibi in tenera ista ætate plurimæ contigerunt, æquo animo perferendum, ad tractandos animos hominum dextere ac pro dignitate, eosdemque in officio retinendum, sive publica, sive privata negotia agenda tibi sint, in quibus tu quidem non ex officio modo, sed quum est etiam alienis commodis prospiciendum, occupari libenter soles. Ergo quum te illis naturæ atque artis præsidiis & ornamentis præditum esse in-

intelligam, quibus de aliorum studiis optime atque incorrupte possis iudicare; atque is sis, qui propter summam, quam in his humanioribus disciplinis eruditionem es consequutus, atque etiam propter eam personam, quam rebus maximis præfectus apud regem nostrum sustines, possis atque velis, si res poscat, opem ferre: insuper me non vulgaribus beneficiis devinxeris: postremo hi libri peculiari ea ratione tibi debeantur, quod eosdem, dum Aristotelem interpretor, publicis & privatis prælectionibus ex me audieris: ut ergo quanti te faciam, pro virili mea portione apud omnes mortales testatum relinquam, statui commentarios meos in duos illos elegantissimos libros *de ortu atque interitu* tibi dicare. Hos tu, ANTONI optime, eo animo suscipe, quo traduntur a me, hoc est, hilari atque grato.

In his autem libris explicandis, ne te id lateat, illud consilium sequuti sumus, ut non satis putaremus nuda commentaria publicare, adiecimus disputationes illas, quæ in academiis bene institutis de his rebus haberi solent. Cuiusmodi scribendi ratio, tametsi numquam mihi non magnopere probata sit, certe hoc tempore probatur maxime, ut propositis exemplis discamus, qua ratione manus cum hoste nobis conserendæ sint, & dimicandum pro veritate, quæ quum sit in profundo demersa, ut aiebat Democritus, in conspectum hominum disputando convenientissime revocatur: hanc ipsam minori negotio reperimus, si iura prius, ut Aristoteles inquit, audiantur, id est, si rationes in contrariam partem in medium productæ examinentur diligenter. Quamquam in ea re modum tenere conati sumus, ne si pertinacius contendamus, aut plus iusto altercemur, quod sæpe fit, veritatem, quam quærimus, amittamus. Ceterum quum controversiam dirimimus, aut de quæstione proposita nostram sententiam pronuntiamus, raro citamus auctores, ne, quod accidit plerumque,

stu-

studio partium in luce poſitam quiſpiam veritatem contemnat. Quam rationem interpretandi ſequuti etiam ſumus, quum Ariſtotelis *Dialecticam* & octo illos libros admodum obſcuros *de phyſica auſcultatione* explicaremus, Eamdem quoque ſervamus in illis alteris, quos, volente Deo, brevi in lucem daturi ſumus, *de cœlo* atque *anima*: tametſi non ignorem, quot & quantæ moleſtiæ mihi devorandæ ſint, quantique ſumtus tolerandi, ſi præſtare velim, quod polliceor: leves tamen, ANTONI præſtantiſſime, moleſtias omnes ſumtuſque putabo, modo ſit unde illos facere poſſim, fretus ope tua & patrocinio animatus. Vale Compluti ex bibliotheca noſtra, octavo Kalend. Aprilis anno D. LXVIII.

AD ILLVSTRISSIMVM

ET CLARISSIMVM VIRVM D. PETRVM FAIARDVM

MARCHIONEM DE LOS VELEZ,

SVMMVM REGINAE OECONOMVM ET CONSIL. RERVM STATVS,

G. CARDILLI VILLALPANDEI SEG. D. T.

IN QVATVOR LIBROS ARISTOTLIS DE CAELO

PRAEFATIO.

INgenuas omnes & liberales disciplinas, maxime vero dialecticam & philosophiam, ab antiqua illa sua maiestate olim decidisse, notius sane est, quam ut ullis externis testibus id addiscere debeamus, præsertim apud te, illustrissime & sapientissime FAIARDE, qui non in his studiis modo, sed in omni etiam genere disciplinarum atque artium summa cum tua laude, & admiratione eorum, qui te familiariter noverunt, versatus es. Nemo etenim ignorat, post fedam barbariem in scholas invectam, quæ densæ caliginis atque erroris fecundissima mater est, confuse ac perturbate artes, quas dixi, nobiles alioqui & generosas traditas esse, dum pro Aristotele, summo harum artium magistro, sophisticissimi homines publice haberentur in pretio, qui ineptissimas nugas suas rudibus bonarum artium adolescentibus obtruderent, atque impune bonis ingeniis fucum facerent. Huius tantæ studiorum iacturæ nulla potior aut verior caussa mihi occurrit, quam supina eius ætatis hominum negligentia cum lucri studio & cupiditate coniuncta. Nam quod ingenti quadam subtilitate a quibusdam disputatur, & est ab Aristotele post Platonem scriptum, ut rerum aliarum omnium, ita

quo-

quoque naturales quasdam esse conversiones disciplinarum, quæ hanc ipsam, de qua loquimur, bonarum litterarum pestem attulerint. Neque prorsus adduci possum, ut existimem, verum esse, neque, si id verum sit, tam exiguo temporis spatio tanta fieri potuit disciplinarum immutatio atque perversio. Quæ vero a me commemorata sunt, quoniam meo iudicio ad eam rem efficiendam magnam profecto vim habent, facile quidem potuerunt artes omnes ingenuas & liberales pessumdare: quæ enim sunt ab hominibus excogitata & inventa omnia, quemadmodum industria hominum diligenter exculta uberrimos fructus ferunt, ita quoque hominum inertia atque desidia languescunt, & veluti quadam rubigine exesa in peius ruunt. Lucri quoque studium, quo plerique omnes mortales insigniter capiuntur, plurimum sane ad id præstandum momenti habet, quippe ubi divitiarum libido invasit, neque disciplina, neque artes bonæ, neque ingenium ullum satis pollet: ut interim taceam, curam rerum, quæ ad vitam necessariæ sunt, & qua maxima ex parte, qui studia persequuntur, premi solent, optimarum artium studiis maximo esse impedimento. Nam præterquam quod mens & ingenium, quæ natura homini minuta satis atque angusta contigere, sollicitudine huiusmodi ab egregiis præclarisque actionibus magnopere retardantur; qui ut habeant, unde vivant, cognitioni disciplinarum dant operam, ubi potissimum adnitendum est, ibi animi atque ingenii vires remittunt: atque ita demum fit, ut liberales atque honestæ disciplinæ, quæ propter se ipsas expeti debent, & ad bene atque beate vivendum plurimum conferunt, aut prorsus contemnantur, aut reddantur sordidæ atque abiectæ, dum eisdem tamdiu laborasse, pulchrum putamus, quamdiu illæ nostris servire commodis possint: hinc sophistice bonarum artium calamitas orta est, quam Aristoteles in pecuniarum au-

cupio inquit occupari. Quemadmodum autem ignavia atque inopia eorum hominum, qui litteras olim sunt persequuti, pessum iere bonæ artes liberalesque disciplinæ, ita quoque amor investigandi atque noscendi verum, nostris pectoribus insitus natura, cum honore atque gloria coniunctus, qua potissimum, ut Cicero inquit, omnes homines ad studia incenduntur, mentem atque ingenium magnorum virorum ad diligentiam exacuit, pestem istam late grassantem quam longissime submovit, iacentes prorsus bonas artes erexit, atque ex tenebris, in quibus magno cum detrimento rerum publicarum squallidæ ac veluti mærentes tot annos delituerant, in lucem revocavit, atque in nobiles academias introduxit. Et quidem in Italia, Gallia & Germania hæc tanta pestis litterarum ocius multo deprehensa, & procul a gymnasiis pulsa est, quod in illis provinciis ocius multo præstantibus artibus & disciplinis a viris principibus honor deferri coeperit: qui, ut ille gravissime testatur, artes alit. Vna Hispania apud exteras nationes, quæ barbariem expulerant, paullo ante ætatem nostram barbarie infamis habebatur, quod barbariem mordicus retineret: eamdemque non modo immunem, sed auctam quoque honore ac dignitate apud se regnare pateretur. Postquam vero catholicus rex noster Philippus, quem Deus Opt. Max. his calamitosis temporibus ecclesiæ suæ patronum dedit, atque utinam quam diutissime servet incolumem, habere coepit rationem eorum hominum, qui non umbram, sed veram potius virtutis & scientiæ imaginem persequerentur, quod abs te, clarissime ac sapientissime PETRE, atque ab aliis tui similibus, si qui sunt, facile quidem admoneri ac discere potuit, dici non potest quantum in Hispania brevi tempore bonæ litteræ incrementum acceperint, dum, qui ingenio & doctrina valent aliquid, veluti coniuratis animis connituntur, ut iure postliminii

in

in gymnaſia, hoc eſt in ſuum regnum revocentur, nunc quidem viva voce veteres & clariſſimos auctores explanando, Platonem atque Ariſtotelem dico, dialecticæ ac philoſophiæ omnium conſenſu principes & magiſtros: nunc vero ſuis ſcriptis, tamquam facibus quibuſdam ſubiectis, lucem atque ſplendorem ſummis his viris inferendo, quo minori negotio ad eorum libros patere aditus poſſet. Nos vero quum ad inſtauranda, quæ in Hiſpania iacebant, dialecticæ & philoſophiæ ſtudia hanc utramque rationem probaremus, utramque profecto, neque ſine fructu, ut arbitror, ſequuti ſumus: quod non fuit nobis facile præſtare in tanta turba ſophiſtarum, quanta, quum nos ad docendum atque ſcribendum aggrederemur, ubique locorum, ſed Compluti maxime, egregiis cuiusque conatibus perſtrepebat, præſertim quum nos mutos tantum præceptores habuerimus, quos in his ſtudiis ſequeremur, Philoponum, Alexandrum, Themiſtium, Ammonium, Porphyrium, Dexippum, Olympiodorum, Michaelem Epheſium, Aſpaſium, Nilum, Maguentinum. Horum igitur tantorum virorum inſtituti præceptis, atque doctrina imbuti, in quos quidem caſu potius, quam ratione ulla aut conſilio incideramus: degustaveramus enim, quum iuvenes eſſemus, aut potius devoraveramus magna animi contentione ad nauſeam usque ſophiſtarum portenta plures annos, tum privata; tum etiam publica mercede Ariſtotelem interpretati, profeſſique ſumus, plurimosque adoleſcentes magno ingenio has litteras docuimus, quorum plerique paullo poſt, quæ a nobis bonarum artium ſemina acceperant, multo cum foenore reddiderunt. Neque contenti ea re ſumus: præterea quæ viva voce alios docueramus, litteris commendata in lucem dare conati ſumus, ut iam non præſentibus modo, ſed futuris quoque hominibus, atque his etiam, qui longo a nobis terrarum ſpatio ſunt disiuncti, ea ratione prodeſſemus.

Et hactenus quidem eam partem Aristotelis, quæ in publicis ac bene institutis academiis prælegi atque explanari auditoribus solet, fere universam attigimus scribendo: nam post confectam atque editam in lucem dialecticæ ac philosophiæ utriusque Aristoteleæ quamdam summam, & summularum alteram, quam ea potius caussa emisimus, ut tempori serviremus, quam quod ad hæc studia necessariam illam putaremus, illustravimus commentariis nostris, atque edidimus *quinque Porphyrii voces*, Aristotelis *Categorias*, libros *de interpretatione*, *de priori*, & *posteriori resolutione*, bonamque partem *Topicorum*, præterea octo illos libros, longe impeditissimos atque etiam intelligentiæ difficillimæ, qui *de physica auscultatione* inscribuntur: *de ortu* quoque *& interitu* libros duos. Et sane quum in contrariam partem argumenta & rationes inducere, ubi de re dubia disputatur, ad investigandam atque eruendam veritatem plurimum emolumenti præsidiique adferat, & eos, qui discunt, ea ratio scribendi mirabiliter erudiat, quam nobis sequendam esse Aristoteles pluribus locis admonet, commentarios nostros multis gravissimis disputationibus ornare & locupletare adnixi sumus: in quibus excutiendis non tam dissentientium philosophorum sententias numeramus, quod passim fit nullo veterum scriptorum exemplo aut ratione, quam appendimus: nam qui nullis controversiis adhibitis Aristotelem interpretantur, hac præsertim ætate, a nobis probari numquam profecto potuerunt. Restabant quatuor libri *de cœlo*, qui nostris commentariis & disputationibus illustrati in lucem mandati typis prodirent: illos modo tuis, vir præstantissime, auspiciis in vulgus damus. Statueram apud me, clarissime FAIARDE, partem aliquam, eamque potissimam, mearum de philosophia lucubrationum tibi dicare, cui olim commentarios meos in libros Aristoteles *de interpretatione* nuncupaveram: divino tamen

con·

conſilio, ut puto, effectum eſt, ut hæc animi mei ſententia tantiſper impediretur, dum commentariorum *de cælo* editionem adorno: cuius quidem contemplatio ceteras omnes naturales ſpeculationes longo intervallo exſuperat & antecellit: cui enim, obſecro, clariſſima atque optima doctrina niſi viro clariſſimo, doctiſſimo atque optimo dicaretur? cur enim eum virum non appellem clariſſimum, qui in ea legatione, qua pro Philippo rege noſtro potentiſſimo apud Maximilianum Imperatorem primum, deinde apud Polonos, quo tempore de rege creando agerent, functus eſt, uſque adeo ſe geſſit dextere prudenterque, ut ob eam rem magnum ſibi nomen comparaverit, atque admodum clarus evaſerit? Cur non doctiſſimum eum vocem, qui ab ineunte ætate omnium magnarum artium ſtudiis deditus, ſummos etiam viros conſulens, quibus ſemper uſus eſt perquam familiariter, ad ſummum omnis doctrinæ, præſertim vero dialecticæ, philoſophiæ & mathematicarum artium faſtigium pervenerit: ut interim linguarum peritiam prætermittam, quam eſt uſque adeo accuratam conſequutus, ut earum præſidio non ſolum liberalium artium fontes Græcos atque Latinos, unde purius hauritur, feliciſſime ſit ingreſſus, ſed in principe etiam ac regina diſciplinarum theologia plurimum profecerit, cuius rei multos ille teſtes habet omni exceptione maiores, non ex Hiſpanis modo, ſed etiam ex Gallis, Italis, Germanis, atque Polonis, cum quibus ſæpenumero familiares & litteratos ſermones contulit ſumma cum laude ſua. Poſtremo cur non eum virum bonum, aut potius optimum dicam, qui vitam in mediis aulæ negotiis atque tumultibus ſic inſtituit, degitque, ut eius ampliſſima domus virtutis & religionis ſchola eſſe videatur? cuius actiones nihil præter Chriſtum ſapiant, cuius ſuaviſſimi mores nemini umquam moleſti ſint, cuius opes, ut audio, liberaliſſime in paupe-

res

res effundantur. Vnde proculdubio effectum est, ut in administrando reginæ oeconomatu (quod raro fit) miris modis omnibus placeat. Qua in re, ac præterea in tractandis regni negotiis etiam ex officio occupatus, dum se gerit ut par est, palam facit, litterarum cognitionem atque scientiam plurimum ad res omnes emolumenti adferre, contra quam a quibusdam bardis atque stultis hominibus putetur. Offero igitur tibi, clarissime, sapientissime atque optime FAIARDE, in quatuor libros *de cœlo* hos commentarios meos magnis vigiliis atque laboribus comparatos, non leve, ut arbitror, aut obscurum testimonium eius observantiæ & gratitudinis animi, quam tibi me ingenue debere fateor, non solum ob eam rem, quod bonis litteris magnopere oblecteris, atque earum studiosis impense faveas, deque eorum cogites ornamentis, sed etiam quod sophistas, genus hominum admodum importunum bonisque litteris infensum, vehementer oderis, atque insuper me iam olim non vulgaribus beneficiis devinxeris, quibus me plurimum tibi teneri fateor. Tu vero, FAIARDE clarissime, hos meos *Commentarios*, aut potius tuos, quum se tuæ fidei iam commiserint, ea auctoritate ac dignitate defende, quam tibi natura, studium, litteræ, legationes, ac postremo rex noster Philippus maximam contulit. Animum, mihi crede, plurimis feceris ad studia magnarum artium scriptis persequenda. Vale diutissime una cum carissima coniuge liberisque, ac me ama tui nominis admodum studiosum. Compluti ex bibliotheca nostra Nonis Octobris.

IL-

ILLVSTRISSIMO ATQVE DOCTISSIMO VIRO

D. D. BARTHOLOMAEO CARRANZAE MIRANDENSI,

ARCHIEPISCOPO TOLETANO,

GASPAR CARDILLVS VILLALPANDEVS

SEGOBIENSIS, ELOQVENTIAE ET PHILOSOPHIAE COMPLVTI PROFESSOR ATQVE IBIDEM COLLEGA D. ILLEPHONSI, PERP. F.

DVAE potiſſimum res sunt, quod tu optime noſti, sapientiſſime atque illuſtriſſime præſul, quibus quaſi momentis univerſa christiana reſpublica continetur, exacta, inquam, litterarum cognitio, atque integritas vitæ. Nam quum homo natura sua duabus partibus effectus sit, atque conſtet, ratione videlicet atque appetitu, quarum altera, hoc eſt, ratio bonarum litterarum ſtudio alitur, altera, id eſt, appetitus cultu virtutis adoleſcit, tunc maxime naturam quisque ſuam adſequutus fuiſſe putari debet, quum partem utramque optimarum artium, & præſtantiſſimarum virtutum ſtudio imbuerit. Hæc vero, quæ, niſi qui mentis atque iudicii eſt inops, ad beatam vitam parandam admodum neceſſaria omnes putabunt, uſque adeo inter ſe iuncta ſunt, & tam amice coniurant, ut qui alterum ab altero velit dirimere, ipſi naturæ vim intuliſſe putari iure optimo poſſit. Nam quemadmodum qui partes illas duas, quibus conſtare hominem diximus, appetitum ſcilicet & rationem, diſcreverit, hominem de medio tollet, ita quoque qui, prætermiſſa alterius partis cultura, alteram diligenter atque ſtrenue ornare ſtudet, non admodum feliciter laborat, neque umquam perfectam efficit vitam. Eſt enim mens in animo, ut in

in corpore oculus, qui nisi sincerus sit, facile universum corpus præceps aget. Quid autem profuerit ratione præditum esse te, quæ præstantissimis disciplinis infecta viam monstret, hortetur, ducat, nisi sit, qui oblatam vivendi recte occasionem adripiat, & qui a recta ratione imperata exsequatur statim ornatus virtute appetitus? Quod si bonis litteris institutus animus atque informatus sit, si infrenata libido virtute, si repressa cupiditas, nullo sane negotio ad extremum atque summum bonum christiani hominis vita perducetur, a quo hæc bene vivendi instrumenta Christus Iesus servator hominum maxime requirit. Hæc vero melioris vitæ adiumenta, litteras & virtutem dico, tametsi omnibus hominibus, qui per varios casus, varia rerum discrimina ad æthereas sedes contendimus, necessaria sint, ut dum in terris peregrinamur, illam vitæ puritatem, quæ mentium divinarum domicilio digna sit, comparemus, multo sane absolutissima adsint oportet illis viris, quibus ex officio incumbit ceteros instituere, atque eorum mores mentemque formare: tales illi proculdubio sunt, qui in excelso dignitatis gradu sunt collocati, episcopos intelligo. Hos Christus Iesus optimus vivendi magister, & quem nobis audiendum esse iubet cælestis pater voce demissa e coelo, similes esse vult lucernæ ardenti supra candelabrum positæ, ut doctrinæ splendore ceteros omnes e tenebris ignorantiæ in mediam extrahant lucem veritatis. Neque lucem doctrinæ satis esse putat, præcipit deinde, ut studeant sali esse persimiles, ut morum puritate, atque innocentia vitæ veluti condimento quodam vitam reliquorum hominum flagitiis & pravis facinoribus contaminatam purgent, purgatamque conservent. Tu vero, illustrissime præsul, divino huic consilio ab ineunte ætate tam indefesso studio vitam tuam conformasti, ac si sedem istam Toletanam, ad quam propter summam perfe-

ctam

ctamque virtutem christianissimi regis nostri Philippi liberalitate evectus es, nondum senectam ingresso, tibi gubernandam esse divinæ inspiratione accepisses. Non ignota loquor, adsunt plurimi in academia nostra Complutensi, qui te litteris simul & virtuti strenuissime incumbentem noverunt. Plures quoque sunt, qui te per calcatum patrem ad monachatum, hoc est, tranquillum & securum vitæ portum, ne te mundi fluctus obruerent, contendentem viderunt, quum existimares, hac via, qua nos ingredimur, lentius fortasse, quam cuperes, ad summum litterarum atque virtutis fastigium perveniri. Moratur enim properantem negotiorum tumultus, & variarum rerum cura, qua vehementer sollicitamur & premimur, dum procul absumus a religione, quæ ad cælestem patriam viam sternit atque mollit. Quantos autem in utroque vitæ genere brevi tempore progressus feceris liberatus molestis his curis, plurima sane testantur, quæ si nos omnia recensere pergeremus, & tempus nos deficeret, & pudorem tuum, præsul ornatissime, forsitan oneraremus. Sed patere, obsecro, me in præsentia, dum commodius tempus suppetit ad celebrandas egregias tuas virtutes, summa veluti capita excellentium laudum tuarum carptim attingere, ut ex hac brevi mea præfatione umbram saltim sumat lector hominis ad archiepiscopatum nati. Nam qui te propius fuerit contemplatus, & memoria præclaras tuas virtutes velit repetere, nihil mea rudi admodum & ieiuna oratione indigebit. Quid autem opus est labores atque vigilias, quas in litteris posuisti, narrare me aliis? Id ipsum melius atque nos tua scripta testari possunt, quæ præterquam quod veram eruditionem, & sanctarum scripturarum lectionem præ se ferunt, veluti quibusdam calcaribus admotis tardos etiam homines ad pietatis & religionis studium hortantur, inflammant atque stimulant. Quid enim eruditius fingi potest, aut pro-

ficuum magis, quam tui illi * *de doctrina christiana* commentarii? Rursum quid tam necessarium christianæ Reip. quam summam habere enchiridii vice, in qua conciliorum statuta omnia continerentur? Hanc tu nobis magna quadam atque insigni diligentia confecisti. Iam vero argumentum illud de necessaria residentia episcoporum tu quidem, præsul sapientissime, tam eleganter atque accurate tractasti, ut tuam sententiam bene institutis hominibus facile persuaseris, & contrariæ opinionis, quæ multorum caussa fuit, fibras omnes, etiam tenuissimas ex animis quorumdam evulseris. Sed quorsum commemoro magni istius ingenii tui monumenta, quorum locupletissimi testes sunt innumeri doctissimi viri, quos tu dum publice theologiam interpretareris, instituisti? Prudentiæ vero tuæ atque integritatis vitæ quum plurima argumenta habeamus, illa non exilia putari possunt, quod, nondum prætermisso docendi munere, multam operam gubernationi monachorum impendisti, atque id munus, quod raro fit, summa cum tua laude & utilitate tuorum peregisti. Hinc te christianissimus Philippus Tridentum abire iussit, ut concilio interesses, quod adversus Lutheranos coierat. Post tuum vero in Hispaniam reditum iterum te in Angliam abstraxit, quo loco exemplo vitæ & doctrinæ melioris splendore multos in officio religionis, & vitæ bene atque christiane institutæ retinuisti, & tam clara prudentiæ, doctrinæ & probitatis documenta dedisti, ut christianissimus rex minime cunctandum ratus, te nihil minus, quam de his dignitatibus cogitantem, quas non semel oblatas contemseras, ecclesiæ Toletanæ, summæ apud Hispanos dignitati, præfecerit. Neque enim æquum

* Loquitur hic Cardillus de Carranzæ Cathecismo, qui licet primum multorum calculis fuisset probatus, postea inter libros damnatos est relatus tum Romæ, tum in Hispania, qua de re copiosius agimus in *Commentario* nostro volumini huic adnexo.

quum putavit, eum virum, in quo a teneris annis summæ virtutis vestigia apparebant, uti plerosque alios per gradus quosdam ad archiepiscopatum Toletanum promovere. Hanc beneficentiam & liberalitatem, qua in te ornando admirabili consilio Cæsar noster usus est, tanto applausu excepit universa Hispania, ut interim exteras nationes taceam, apud quas fama atque egregiis factis notus es, ut propter in te collatum beneficium Deo optimo maximo publice gratias egerit. Tua vero ista academia Complutensis dici non potest, quanta animi alacritate perfusa est, quum primum faustum felicemque tuum ad ecclesiam Toletanam adventum intellexit. Cuius lætitiæ publica multa hactenus signa exhibuit, dabitque suo tempore multo clariora. Cur enim non summo gaudio perfundatur academia omni alioqui humano præsidio destituta, cernens divino beneficio ex suis liberis excitatum atque adsumtum ad summos honores eum virum, qui, qua est sapientia, prudentia, vitæ puritate, caritate denique erga omnes, FRANCISCI XIMENI huius academiæ erectoris rempublicam litterariam augere debeat, atque huic dulcissimæ eius parenti multam opem ferre, qua, qui in ea singulis annis litteris atque moribus viri clari gignuntur, quos hæc ætas habet plurimos, insigni beneficentia & liberalitate recreati habere otia possint cum dignitate? Hoc abs te petit supplex mater academia: hoc summis votis collegæ exoptant: hoc docti cupiunt obsecrantque: hoc ego, qui veluti publici legati officio fungor, & qui scholæ totius nomine gratulor tibi tantam dignitatem, gratulor ecclesiæ Toletanæ, gratulor denique Hispaniæ universæ, te iterum atque iterum oro. Habebis nos, si perhumane, ut soles, & peramanter tractaveris, admodum morigeros, honoris tui studiosissimos, cultores dignitatis, postremo ad observantiam atque obsequium paratissimos, ut liberos decet. Ego vero, qui fortasse præ ce-

teris omnibus tantam virtutis præstantiam, & tam insignem prudentiam, quantam in te cernunt omnes, & mirari & laudare sæpe soleo, æquum esse putavi, aliquo officii genere, tametsi illud exile admodum atque tenue sit, meum animum oratione testari coram te, ut dum ingenii nostri monumenta, commentarium videlicet nostrum in libros Aristotelis *de posteriori resolutione* tuo nomini consecramus, te ad benevolentiam provocaremus. Quem sane commentarium, ut eo te venientem exciperem, quam ocissime potui, adornavi, nam reliquam partem dialecticæ Aristoteleæ nostris commentariis illustratam paullo ante in lucem emiseramus. Accipe igitur, præsul illustrissime, hoc pignus observantiæ erga te meæ. Hoc si susceperis libenter, & benevolentia liberalitateque tua auctorem fueris prosequutus, additum ad maiora patefacies, ad quæ multarum rerum inopia viam præclusit. Vale, ex collegio nostro, decimo Kalendas Septembris. M. D. LVIII.

IO.

IO. BAPT. CARDONAE

EPISCOPI DERTOSANI

DE REGIA S. LAVRENTII

BIBLIOTHECA,

DE PONTIFICIA VATICANA,

DE EXPVNGENDIS HAERETICORVM

PROPRIIS NOMINIBVS,

DE DIPTYCHIS.

TARRACONE

APVD PHILIPPVM MEY. M. D. LXXXVII.

IO. BAPT. CARDONAE

DE BIBLIOTHECA REGIA

S. LAVRENTII.

EDITIO IV.

IO. BAPT. CARDONAE EPISCOPI DERTOSANI AD PHILIPPVM II.

EPISTOLA PRAEMISSA COMMENTARIO DE REGIA S. LAVRENTII BIBLIOTHECA.

AD PHILIPPVM REGEM CATHOLICVM.

QVod agricolam peritum facere videmus, ut malas prius herbas exstirpet, agrum deinde conserat: id tu, PHILIPPE regum omnium maxime & sapientissime, fecisti. Nam in tuo regno, quo nullum maius aut vidimus, aut legimus, id primum diligentissime curasti, ut nulli animis tuorum errores christianæ religionis insiderent, utque iam orti radicitus evellerentur. Hanc primam curam altera deinde excepit, ut, pulsis scilicet errorum nebulis, purissimam mentes imbibant doctrinam, & lumine divino illustrentur: quod ut consequi melius possis, libros undique conquiris & comparas, non ut eos quasi sepelias more multorum; sed ut sint usui omnibus studiosis. Quoniam autem ita iudicas, & iudicas sapientissime, nihil prius mortalibus esse debere, quam ut a nutu pendeant Dei Opt. Max. & eius pareant voluntati, tabulas eas pri-

mum omnium imprimendas curasti, quibus divina voluntas consignata esset, id est, vetus ac novum testamentum, tanto cum apparatu, ut nullum antea prodierit instructius. Hoc tuum studium reipub. christianæ iuvandæ atque amplificandæ qui non probat, impius, qui, quum possit, non adiuvat, improbus merito habendus. Itaque pro mea virili parte volui experiri, ecquid possem tibi in ea re utilis esse, & reipub. christianæ. Quare quantum otii dabatur ab operosis negotiis, a sacris concionibus & studiis sacrarum litterarum; id totum ad tuam contuli bibliothecam, deque ea cœpi mecum commentari: non de situ illius, deque aliis generis eiusdem; sed de libris, & necessariis ei ministris, deque officiis eorum. Atque utinam nactus plus otii essem; diutius certe in tua bibliotheca tamquam in tranquillissimo portu libentissime conquiessem: sed me partim provincia Ausetanorum populos mihi commissos visitandi, docendi, & ad omne pietatis munus instruendi & commonefaciendi; partim adsiduitas negotiorum, sollicitudo & cogitatio ecclesiarum, quæ nostrarum partium sunt, & cura rei familiaris & studiorum ita avocarunt, ut minus eo portu frui potuerim, quam cupiebam. Mihi certe accidere nihil potuisset iucundius, quam tuæ bibliothecæ, & uni tuæ maiestati vacare; præsertim nihil aliud quam publicam omnium utilitatem cogitanti: sed quod licuit, id certe non neglexi; & animi mei sensa brevissime exposui de bibliotheca, quam instruis: eaque hoc libello complexus ad te mitto, nihil dubitans fore, quin hoc tenue munus litterarium excipias libentissime, quaque soles studia litterarum, benignitate ipsum complectare. Atque utinam nostra hæc commentatio iis, quæ moliris, aliquam adferat utilitatem. Interim fruar

op-

optima spe, & animo meo concipiam regiam bibliothecam: ex qua, ut ex illa Alexandrina Ptolemæi Philadelphi, alii prodeant Clementes, alii Dionysii, alii Cyrilli, multique viri sanctitate & doctrina insignes, qui scriptis suis obviam eant hæreticorum furori, & insaniam comprimant. Quod faxit Deus Opt. Max. tuaque consilia diu bene fortunet.

EGO BARTHOMAEVS ROCHA doctor theologiæ, metropolitanæ Tarraconenſis eccleſiæ pœnitentiarius, & ſede vacante vicarius generalis, fidem facio, me diligenter legiſſe hos libellos clariſſimi & doctiſſimi viri IO. BAPT. CARDONAE epiſcopi Dertoſani, *De regia S. Laurentii bibliotheca*: *De pontificia Vaticana*: *De expungendis hæreticorum propriis nominibus*: *De diptychis*: in quibus nihil inveni, quod fidei catholicæ aut bonis moribus repugnet; ſed quæ in illis continentur, omnia chriſtianæ religioni & pietati eſſe conſentanea, pro argumenti qualitate præclare diſtributa, & accurate eleganterque explicata. Eoque illos probo, & dignos eſſe iudico, qui ad publicam utilitatem typis exprimantur. Tarracone pridie Idus Maii M. D. LXXXVII.

B. ROCHA.

V[t]. Reig vicarius generalis & officialis Tarraconenſis.

DE BIBLIOTHECA REGIAE S. LAVRENTII.

QVamquam non nego, bibliothecam, præsertim regiam, & multitudine & varietate librorum nobilem esse oportere: debet tamen illa bonitate eorumdem & raritate aliis omnibus præstare: itaque illam maxime librorum Hebræorum, Græcorum & Latinorum vetustas commendabit: sed & aliarum omnium linguarum libri in eam recipientur tam papyro, quam charta & membrana, quave alia in materia descripti.

Quum autem constet ex veterum auctorum, qui supersunt, lectione, alios præterea innumerabiles scripsisse, quorum libri intercidisse creduntur, nota habere eorum nomina oportet, ut si quid eorum ad bibliothecæ præfectum perferetur, minime negligatur.

Neque vero ii tantum libri colligi debent, qui numquam antea sint impressi; sed & qui iam excussi sunt, si qua sint eorum exempla vetustiora, præsertim manuscripta. Accidere enim sæpe videmus, & magno reip. litterariæ incommodo experimur, ut inter imprimendum quædam vel omittantur, vel addantur, vel in peius mutentur; librariorum vel incuria, vel audacia, vel malitia & animi perversitate. Hæc igitur peccata librariorum & fraudes diligenti veterum librorum collatione deprehendentur, & loco, quem male occuparant, pellentur, & suus illis nitor, sua mens restituetur. Quod nuper factum esse in scriptis D. HIERONYMI videmus MARIANI VICTORII opera & diligentia, cui sanctæ memoriæ Pius V. Pont. Max. eam provinciam mandarat. Similem quoque operam IACOBVS PAMELIVS in TERTVLLIANI & CYPRIANI libris navavit: sed & alii plerique auctores sacri & profani hac potissimum ratione adhi-

hi-

hibita quotidie emendantur. Et certe non est certior alia ratio emendandi. Quod ego quoque experiri volui in ss. HILARII & LEONIS papæ operibus, quorum octingentos amplius locos restitui in pristinum nitorem & dignitatem. Quanta autem hinc utilitas ad omne genus litterarum emanet, quamque uberes fructus inde capiantur, neminem ignorare arbitror, qui aliquem habeat gustum doctrinæ elegantioris: quæ contra, ea una re neglecta, detrimenta litteris importentur, nemini debet esse obscurum: nam si in contractibus civilibus unius nominis suppositio rationes privatorum ita perturbat, quid in studiis litterarum fiet, si non librorum depravationi occurratur? Si Hippocratis, si Galeni scripta ad medici manus veniant inemendata, &, exempli caussa, in locum unius drachmæ venerint plures, librarii errore, quove alio casu; periculum certe erit, ne medicus imperitior pro una plures iubeat sumi drachmas, & præscribat; atque ita ægrotum e medio tollat. Quid autem si in iure civili, si in pontificio, si denique in libris divinis idem committatur? Certe remp. omnem & religionem turbari erit necesse: præsertim quum hæretici id unum moliantur, & sua quotidie somnia typis mandent, confundantque ea, & inculcent libris veterum auctorum & sanctissimorum; quo & nobis ea fraude & posteris imponant. Quæ mala ut ne accidant in posterum, aut ut iam late serpentibus medeatur, est valde providendum, ab eo præsertim rege, cui & iure optimo, & omnium consensu CATHOLICI nomen defertur.

Iam vero librorum non pretium idem & æstimatio erit: certe enim quem auctor sua manu scripserit, omnibus aliis est præferendus. Quo etiam loco habendus is, quem non auctor quidem scripsit, verum scriptum tamen ab alio ipse emendavit. Secundo loco erunt illius exempla: & sic deinceps vel pluris, vel minoris

æsti-

æstimabuntur pro temporis prærogativa. Neque vero ideo velim reiici alios omnes a bibliothecæ regiæ præfecto, nam & multos libros videmus manu quidem recenti descriptos, multo tamen aliis puriores & integriores; quod sint exempla priorum & probatissimorum, unde quasi e fontibus emanarint. Pateat his igitur etiam aditus, sintque unius libri exempla plurima. Iam ut verum sit, ut certe est, libros describendo depravari; illud tamen negari non potest, plerisque in locis veram scripturam retineri, aut certe vestigia quædam illius adumbrari: quo fit, ut quum antiquiores sint pluribus locis meliores, tamen alicubi male adfecti quum sint, recentiorum ope sæpe adiuventur: præsertim si quæ eorum litteræ obsoleverunt, ut nisi lumine hinc accenso perpetuis tenebris damnentur.

In libris manuscriptis, qui recipientur, antequam in bibliothecæ vincula coniiciantur, additis principio eorum aliquot paginis, curabit bibliothecæ præfectus, ut nomen auctoris, si de eo constabit, adscribatur grandioribus & elegantioribus litteris Græcis, si Græci erunt; Latinis, si Latini: præterea argumentum, quo de agitur, quæ sæpe in manuscriptis desiderantur. Vtile etiam erit, lectorem admonere, si quid in volumine aut desit, aut supersit, loco diligenter notato. Quod si volumine eodem diversorum auctorum libri erunt, id quoque animadvertetur, etiamsi integri non sint, sed particula quædam eorum. Idem etiam observabitur, si eiusdem auctoris diversa opera eodem volumine continebuntur. Neque id fieri negligenter oportet, quasi parum referat, paginæ unius mentionem non fecisse, quum paucorum etiam versuum, atque adeo verborum animadversione uberes sæpe fructus percipiantur: atque id nonnumquam intelligatur, quod in magnificis & ingentibus aliorum voluminibus est nequidquam quæsitum.

Iam vero, intellecto animo regis librorum colligen-

dorum, & studio honestissimo reip. litterariæ iuvandæ, principes multi & Hispani & exteri, multique etiam homines eruditi gloriosum putabunt, libros rariores, quos nacti fuerint, ad regem mittere: quibus libris folia quædam præponentur, in quibus epistolæ describantur ad regem missæ: unde intelligi possit librorum raritas, auctor, unde sit, e qua regione & bibliotheca. Quoniam autem fieri poterit, id quod legimus Ptolemæo regi accidisse, ut gratiæ regiæ magis aucupandæ caussa homines mentiantur, & falso inscribant nobilissimis auctoribus quæ sunt aliorum, de ea quoque re iudicabitur a bibliothecario, adhibitis eruditis.

Ad codicum autem quod attinet vetustatem certius deprehendendam ratio hæc poterit iniri: mandabitur provincia studioso cuipiam & antiquario, qui adsidua membranarum, codicum, lapidum & nummorum veterum lectione & inspectione notatas habeat varias litterarum formas pro temporum varietate & usu earum dissimili: quique possit ætatem coniicere prudenter. Is librum conficiet eiusmodi characterum in ætates distinctum diligenter, & cuique ætati suos tribuet characteres: ut horum comparatione facta facilius in bibliotheca de cuiusque codicis ætate certius possit iudicari: sed & significationes litterarum & singularum, & complexarum eo in libro adscribentur: item notæ ponderum & numerorum: idque non Latine modo, verum etiam Græce, proque aliarum linguarum varietate. Qui etiam labor magnum adferet adiumentum legendis veterum monumentis. Quamquam hanc certe provinciam non uni, sed pluribus mandari velim.

Quoniam autem sunt homines quidam in Hispania eruditissimi in studiis litterarum adsidue occupati, quique aliquid semper vel commentantur, vel scribunt, neque tamen commentationes suas aut scriptiones umquam edant, quod vel eas poliendo superbissimo aurium iudi-

dicio numquam satisfaciant; vel pudore quodam & modestia impediti, quamquam probent, domi tamen contineant, vel, ut nihil horum impediat, non sunt iis facultatibus, quæ possint sufficere sumtibus librorum imprimendorum: horum igitur vigiliæ & lucubrationes ne pereant, valde est providendum & curandum, ut in regiam bibliothecam comportentur. Certe multa latere in angulis scimus, in quibus sunt MARTINI AIALAE archiepiscopi Valentini, ANTONII AVGVSTINI archiepiscopi Tarraconensis, DIDACI COVARRVVIAE episcopi Segobiensis, MICHAELIS THOMASII episcopi Ilerdensis, PETRI CIACONIS, ALVARI GOMEZII, ALFONSI SALMERONIS, ACHILLIS STATII, SEPVLVEDAE, ZVRITAE: sed & eorum, qui nunc vivunt, BENED. ARIAE MONTANI, PETRI IOANNIS NVNNESII, IO. BAPTISTAE PEREZII, IO. BAPTISTAE MONLORII, & aliorum, quorum corpora non tam cibis, quam studiis animi aluntur.

Mire autem & ad studia provehenda, & ad illustrandam bibliothecam conducet, si descriptionibus ea multis variisque ornabitur: quarum aliæ sint rerum cælestium, aliæ ventorum, aliæ orbis terrarum, aliæ provinciarum, aliæ urbium & oppidorum aliæ insularum, aliæ navigatiorum: præterea quædam vasorum, quædam vestium, quædam machinarum, quædam armorum, aliarumque rerum & instrumentorum. Erit autem in primis Hispania coloribus variis elegantissime descripta, sed & Romæ antiquæ, & Hierosolymorum suæ erunt descriptiones.

Neque vero alienum est a bibliotheca, præsertim regia, ut doctorum hominum imagines in ea collocentur, Hispanorum præcipue, qui olim floruerunt. Quoniam autem ea non regis cuiusvis est, sed PHILIPPI nationum omnium consensu catholici, principem sibi in ea locum vindicabunt Hispanorum eorum imagines, qui sunt insignes litteris & sanctitate.

Habeat præterea regia bibliotheca varia genera globorum tam cælestium, quam terrestrium, & omnia mathematica instrumenta, & sphæras tam communes, quam quæ confectæ sint ad Græcorum normam: neque in iis desit Aratea ad Arati *phænomena* intelligenda utilis & necessaria. Sint quoque clepsydræ, & alia genera horologiorum minus vulgaria in bibliothecæ atria divisa & distributa: quorum quidem nobilius sit primo in atrio usui toti bibliothecæ futurum.

Quoniam autem numismata & lapides antiqui ad historiam, cosmographiam, & emendatam scribendi rationem magnam adferunt utilitatem, iis quoque colligendis opera dabitur, ut in atrio bibliothecæ claro & illustri collocentur. Poterunt autem lapides intra atrii parietes ipsos locari, ut sint parietum partes: ita enim neque erunt impedimento, neque tam temporum iniuriæ obnoxii, multoque magis erunt usui & commoditati. Veteribus autem nummis armaria fabricari eodem in atrio oportet, & claves eorum & custodia antiquario earum rerum intelligenti committi: qua re fieret, ut multi eius generis multa ad bibliothecam comportarent ex tota Hispania: atque ita paullatim, quidquid est in ea antiquitatis, in bibliothecam regiam quasi in litterarum & antiquatis emporium conflueret.

De situ autem & forma, quæ convenit bibliothecæ, multos scripsisse puto: itaque scribere de iis supersedebo: neque solum ob hanc caussam, sed ideo quoque, quod S. Laurentii ædem lustrarim numquam, ac ne viderim quidem. Neque enim placet scribi ea, quæ sint minus explorata, præsertim ad regem. Verum illud tamen cogitandum puto, coniungine plane debeat cum æde S. Laurentii bibliotheca, an seiungii ac seorsim ædificari.

Porro quod ad librorum ordinem spectat & dispositionem, mihi quidem videtur talem esse oportere, ut

non

non doctrinæ confundantur & inter se permisceantur: sed rerum, quæ tractentur, habita ratione, ad idem argumentum qui pertineant libri, congregentur, ut uno quidem loco sint medici, alio mathematici, alio theologi, alio qui ad studia referuntur ea, quæ humaniora appellantur. Iam qui ad eamdem artem scientiamve pertinebunt, ita præterea distinguentur, ut principes quasi familiam ducant, interpretes sequantur. Exempli caussa: in medicina præferetur Hippocrates sua ipsius lingua: excipient illum Græci eius interpretes, temporum ordine servato. Neque vero illud displiceret, ut Græcis Latini supponerentur ordine inferiori ad studiosorum laborem levandum. Velim enim bibliothecam linguis ita distinctam esse, ut ea distinctio nullam exhibeat molestiam studiosis: quod in regia fieri commode poterit in tanta copia librorum. Quid enim prohibet, in ea bibliothecæ parte, quæ Latinis libris adsignetur, Hippocrates esse aliquot Latinos; ubi autem Græci serventur, Hippocrates Græcos aliquot, & totidem Latinos in ordine inferiore? Sic quoque in theologia Bibliis dabitur primus locus: Quis autem in bibliotheca regia eum locum invideat regiis? Itaque exemplum Bibliorum Antuerpiense regiæ typographiæ in regia bibliotheca iure primum locum tenebit membranis impressum. Postea sequentur commentarii eorum, qui temporibus apostolorum fuere propinquiores: tertio loco erunt ii, qui præcepta posteris ad intelligentiam sacrarum litterarum tradiderunt; qui genera loquutionum sacrarum observarunt, & linguarum proprietates, & alia generis eiusdem: ut est *Apparatus* BEN. ARIAE MONTANI. Quarto loco ponentur, qui historiam ecclesiasticam conscripserunt: quinto autem ii, qui adversus hæreticos disputarunt: deinde concilia omnis generis, sive generalia ea sint, sive propria nationum, sive provinciæ unius, sive quæ synodorum nomine pro-

prie intelliguntur. Hæc scholastici auctores consequentur: scholasticos proxime sequentur ii libri, qui cærimonias & ecclesiæ ritus observant. Neque vero omittentur ii, qui sanctorum res gestas & vitas perscripserunt.

Neque vero illud omittendum, atria quædam esse debere in interiore bibliotheca, intra quorum parietes armaria sint spatiosa, ubi libri magni pretii repositi diligentissime, litteris vetustate evanescentibus, ne adsidua contrectatione deterantur, planeque intercidant. Sed & serica quidem interponi utile erit, ne sese paginæ contingant & conterant contactu.

Vbi etiam custodire ea oportebit quæcumque iurisdictionem & ius Hispanum complectentur; seu sint ea Hispaniæ totius communia, seu provinciæ & partis propria alicuius. Sed & pontificum privilegia hic concludentur. Quæ quidem omnia non patebunt cuivis; sed iis, quibus permiserit bibliothecæ præfectus: quod Romæ fieri vidimus in Vaticana.

In primo autem atrio bibliothecæ, quod erit populare & frequentius, loco opportuniore & editiore mensa cum scamnis erit, quæ commode capere possit quatuor scriptores: & ante virgæ quædam ferreæ transversæ, quarum neque crassitudo, neque multitudo esse possit impedimento iis, qui erunt in atrio. Oportet enim eos, qui describent, expositos esse, & patere omnium oculis, quibus etiam conveniet custodem aliquem adsidere, ne qua fraus fiat, neve libris contrectatione damnum aliquod importetur.

Quod quidem caput postulat etiam illud, quod est summe diligentissimeque cavendum, ut scilicet nemini ulla ex caussa copia fiat extra bibliothecam librum aliquem exportandi. Nam si cui semel id detur, alii exemplum sequuti, erunt importuni ac molesti: sicque ipso tempore paullatim alii idem impetrabunt; & vel a libris ipsis paginas aliquot eximent, vel ipsos etiam aver-

avertent, custode vel corrupto, vel oblito.

Atrium unum quoque esse convenit libris recentiorum auctorum recipiendis, qui adhuc vivant, aut e vita paullo ante excesserint. Et certe sunt homines honoris & gloriæ ita appetentes, ut si quid ediderint, id in hoc atrio legi & haberi cupiant vehementer, & reponi curent ambitiose, hinc sibi & nominis immortalitatem, & libris auctoritatem quasi augurantes. Neque vero liceat eos in alia atria transferre: & ei, qui ausit contra facere, sive auctor ipse erit, sive custos, sive alius quispiam, poena certa constituatur. Neque vero video, cur libri huius atrii perpetuis tenebris debeant damnari, ut fit in Vaticana: pateat etiam illud studiosis, habeantque auctores hoc saltim præmium suarum vigiliarum.

Esse præterea aliud atrium oportet commodossime divisum, valdeque instructum mensis, armariis, ubi sit copia optimi atramenti, minii & humorum alterius coloris: item membranæ, papyri, & librariorum alia instrumenta: ut si qui libri sint compaginandi, si quid describendum, antequam vetustate plane evanescat, si formæ litterarum renovandæ, si quid adsuendum, id fiat non ab imperitis & temere, sed ab eruditis, & magna animi attentione arteque adhibita & moderatione, alioqui enim multo melius fuerit non attingi, quum una litterula in alterius locum succedente possit sententia auctoris in deterius commutari, atque ita corrumpi.

Sive autem scamna, quos pluteos appellant, in bibliotheca erunt, sive armaria, habebunt suos indices librorum quicumque in illis locati fuerint: & eos vel fixos ita, ut immobiles sint, utpote binis cuiusque plutei lateribus, & armariorum singulorum foribus adglutinatos; vel in tabellis mobilibus & appensis diligenter notatos: & quidem malim tabellas appendi, ut si qui libri priori numero vel accedunt, vel decedunt, pos-

sint

sint in indice & tabella commodius vel adscribi, vel deleri.

Iam vero in primo bibliothecæ ingressu indices quosdam esse oportet generales, Hebræos, Græcos & Latinos, & aliarum linguarum, qui libros omnes complectantur, quicumque in bibliotheca regia erunt, notato diligenter atrio, loculo, & numero cuiusque libri: aut certe librum aliquem litterarum ordine digestum, qui titulum præ se ferat librorum regiæ & catholicæ bibliothecæ S. Laurentii.

Sed & alios indices esse oportet, non, ut superiores, litterarum ordine distinctos; sed rerum, quæ quoque in libro tractantur, varietate. Exempli caussa, qui auctores sint in bibliotheca, qui scripserint de sanctissima Trinitate, & quo illi loco sint, diligentissime notetur: similiterque de aliis rebus. Præstat tamen librum componi ea de re, qui constet chartis pergamenis: futurum enim est, ut multorum manibus teratur. Erit autem hoc opus utilissimum & commodissimum etiam in primo statim ordine librorum bibliothecæ. Neque vero tantum totius alicuius operis mentio in eo fiet, sed & pagellæ unius, quæ sit eiusdem argumenti. Oportet autem bibliothecæ præfectum, atque adeo custodes ipsos sæpe hunc librum versare, habereque auctorum nomina in digitis tamquam in numerato, ut hominibus eruditis responderi possit, qui, ne longo itinere frustra tempus terant, per litteras prius quærent, sitne hic, an ille liber in bibliotheca.

Neque vero in bibliotheca tantum sint hi indices librorum regiorum, sed & aliorum, qui in aliis bibliothecis reperiuntur, ut in Veneta, Florentina, Romana, quæ est in Vaticano; item in regiis aliis bibliothecis, quæ sunt vel in Gallia, vel in Vngaria Matthiæ regis, vel alibi aliorum regum. Sed & privatarum propriarumque bibliothecarum indices colligendi, ut Augu-

gustanæ, quam mercatores quidam confecerunt; Siculæ, quæ fuit Archimandritæ; & aliarum, ut ANTONII AVGVSTINI archiepiscopi Tarraconensis, BEN. ARIE MONTANI, FRANCISCI TVRRIANI. Ex quibus omnibus indicibus componi unum quasi corpus oportet, ampliore margine relicto, ut commodissime adnotari possit e regione, qui eorum iam sint in bibliotheca regia, qui desiderentur. Atque hic quidem bibliothecarum commentarius proxime regiæ bibliothecæ commentarium collocabitur.

Pontificiam tamen privatam legem impetrari oportet, qua liceat regibus Hispaniæ habere in ea bibliotheca eos libros, quibus est aliis omnibus interdictum vel a pontificibus, vel ab inquisitoribus, dum loco in publico bibliothecæ ne sint, sed secreto; neque liceat eo cuiquam accedere, non prius facta potestate ab inquisitore generali propria & speciali.

Sanctione etiam opus est pontificia, quæ gravissima quæque interminetur iis, qui clam inde librum abstulerint, foliave exemerint corruperintve data opera. Accedat præterea regia constitutio, quæ eadem de re diligentissime severissimeque caveat. Quæ constitutiones in loco publico bibliothecæ proponantur in ipso statim ingressu.

Illud præterea regem pro maiestate sua providere convenit, ut sit habitationi locus, in quem se recipiant, & commode esse possint ii, qui ad bibliothecam se conferant libros veteres aut descripturi, aut cum impressis collaturi: neque enim honestum est, virum aliquem litteris & doctrina excellentem, quum eo venerit, tectum non habere, quo se recipiat, & ubi esse tam diu possit, quam diu descriptioni, aut emendationi operam dat adsiduam. Multi quidem sunt anni, ex quo Romæ *Decretis* Gratiani corrigendis opera navabatur, quod mire id corruptum fuerit: ad eam autem

tem rem miſſi ſunt a Gregorio pontifice Romano cum mandatis, qui inſpicerent concilia quædam antiqua bibliothecæ regiæ S. Laurentii: neque ſane ea opera vana fuit, tum quia in ea bibliotheca concilia eiuſmodi inventa ſunt, quæ nos Romæ minime habebamus; tum quia, quæ ibi erant manuſcripta, viſa ſunt melioris notæ & ſcripturæ purioris, quam quæ impreſſa habemus. Nunc quoque apud exteros antiqui patres maximo ſtudio & opera priſtinæ ſuæ ſcripturæ reſtituuntur: neque dubium eſt, quin ii, qui in hoc ſtudio honeſtiſſimo verſantur, poſtquam cum iis exemplaribus, quæ habent, impreſſos eorum auctorum libros contulerint, huc ſe ad regiam bibliothecam conferant ultimam manum laboribus ſuis impoſituri. Neque hi tantum, ſed & alii, qui his ſtudiis delectabuntur, ad hanc bibliothecam quaſi ad quoddam emporium antiquitatis & eruditionis confluent: pauci illi quidem, verum præſtantes doctrina viri. His igitur locus conſtitui debet, in quem ſe commode recipiant ſine ulla mercede: nam quod ad alia attinet victui neceſſaria, ſua eos pecunia comparare oporteret: aut ea de re paciſci cum iis, quibus domus eiuſmodi curæ erunt. Atque hos quidem inquilinos oportet eſſe homines non avaros & ſordidos, quique artificio quodam hoſpitibus pecuniam emungant. Quoniam autem multi ſpecie quadam virtutis & ſtudiorum non tam famam aucupantur, quam victum quæritant, mandabit eam curam rex alicui: iſque eos viſet, deque laboribus eorum, ſtudiis & vitæ inſtituto cognoſcet.

Dubium autem non eſt, quin toti bibliothecæ præfici unus debeat, quem *bibliotecarium* inde appellant. Eum eruditum eſſe oportet & bonarum litterarum in primis ſtudioſum, & prudentia quadam ſingulari in ſcriptis veterum cognoſcendis & inter ſe diiudicandis: neque ſane parvi referre puto, quem rex ei muneri præfi-

ficiat : solent enim hi ut plurimum deinde præstantissimi evadere. Quum enim iam antea eruditione præstent, si accedat deinde adsiduitas quædam studiorum ; quod necesse est in tanta librorum copia & varietate, ac litterarum amore ; incredibilem quoque fieri eruditionis accessionem erit necesse. Id quod AVGVSTINO EVGVBINO nostra ætate accidisse scimus, qui quum multiplici iam antea eruditione esset, Vaticanæ deinde bibliothecæ præfectura tantos in litteris progressus fecit, quantos fecisse ex scriptis illius intelligunt eruditi. Sed & GVIL. SIRLETVS antequam in amplissimum cardinalium collegium cooptaretur, bibliothecarius apostolicus erat; eoque etiam munere usque ad extremum vitæ spiritum functus est. Oportet autem eum, quem rex suæ bibliothecæ præficiat, in honore esse ; & non in angulis, sed in luce hominum etiam versari, & ab ipso rege præmiis ad maiora etiam excitari, præsertim honorifice functum ea præfectura. Nam si is in ecclesia sua mansisset, eamque & concionando, & docendo ita iuvisset, ut non eum operæ suæ poenitere deberet, & a rege præterea præmium speraret ; quæ caussa est, cur præsentem operam rex ipse adspernetur, quæ sit illi navata ab eo, qui patriam, aut ecclesiam, aut utramque simul reliquit, ut illi inserviret? Quod non ideo dicitur a me, quasi in mentem veniat hoc de te, PHILIPPE, regum, qui sunt, quique umquam fuerunt, potentissime & liberalissime, subvereri : sed quia, quum hæc ad te scribantur, posteris etiam scribuntur. Quamquam enim a me tenui huic operi immortalitatem non possum polliceri, libet de tuo nomine, cui hoc inscribitur, eam augurari.

Convenit autem, ut huic bibliothecæ præfecto custodes omnes & alii ministri subiiciantur. Custodum partes erunt, in atriis bibliothecæ deambulare, quotquot horis studiosis ea patebit, & diligentissime cavere, ne

ullum umquam atrium sine custode sit; & inspicere eos, qui legent; multoque etiam magis illos, qui aliquid describent, ne quid damni codicibus adferatur, aut albe aliqua vitientur, aut quo alio modo fiant deteriores. Præterea curæ iis erit, bibliothecæ fenestras aperire & claudere pro diei & temporis ratione, ventique & solis: quæ sunt duæ librorum pestes, si negligantur.

Et quidem patere bibliothecam satis est tribus horis antemeridianis, nisi si, industriæ & eruditionis cuiuspiam habita ratione, ei privatim a bibliothecario concedatur, etiam ibi post meridiem esse, clausa tamen ianua, & præsentibus minimum duobus custodibus.

In hieme primo tantum in atrio loco commodo & editiore prunæ erunt: quæ extra bibliothecam, non in ea accendantur, appositis iis lignis, quæ nihil, aut parum edant fumi, qualia dicuntur a Græcis ἄκαπνα, quod fieri vidimus in pontificia bibliotheca Vaticana.

Iam vero e bibliothecæ ministris unum esse oportet Græce Latineque non mediocriter eruditum, qui bene cognitos habeat codices earum linguarum: nam quod ad libros Hebræos attinet, Chaldæos & Arabicos, poterunt Rabbini accersiri. Sunt autem Romæ quidam eorum, qui iam Dei Opt. Max. benignitate Christo nomen dederunt, pieque & honeste vivunt: ut est ANDREAS, IVLIVS, ut PAVLLVS, & alii Romæ notissimi. Accersendus etiam qui Persicam calleat & Turcicam, & alias peregrinas. Et certe est STEPHANVS quidam a pueritia apud Selymanum educatus, quique apud illum multum gratia valuit. Is in pugna navali, quum præfectus esset duabus triremibus, captus est, regioque stipendio nunc Neapoli sustentatur; qui esset huic muneri non ineptus, opinor: certe maiori usui, quam est Neapoli, apud regem esset propter peritiam, quam habet singularem rerum Turcicarum.

Hos bibliothecæ ministros multas ob caussas, quas,

quia

quia sunt in promtu, omitto, sacerdotes esse oportet; aut populares, quos *laicos* appellant. Vt autem sit unde honeste commodeque vivant, possent ecclesiæ reditus & fructus quidam bibliothecæ regiæ accrescere sine cuiusquam querella, obitu scilicet quorumdam, quorum sunt in Hispania & summæ & pinguissimæ dignitates. Quis enim queri de eo iure possit, quod quum decrescat dignitatibus nullo prope damno earum, tamen iis accrescat, qui sese totos regi suo, studiis litterarum, & ecclesiæ mancipant?

Bibliothecarium regium in urbe vivere oportet, & in luce hominum versari; ut & audire & intelligere multa possit, quæ ad incrementum & dignitatem pertineant bibliothecæ: præsertim si ea prudentia & sapientia est, ut possit ipsi regi sæpe usui esse. Visere eum tamen bibliothecam frequenter oportet, & minimum sexies aut septies quotannis, idque de improviso. Erat tanto huic muneri aptissimus ANTONIVS AVGVSTINVS archiepiscopus Tarraconensis, vir clarissimus & omni memoria dignus; qui superioribus diebus e vita excessit suo magis, quam studiosorum tempore. Vt quidem nunc est, aptiorem video nullum GARCIA LOISA, viro genere, litteris & vitæ gravitate atque integritate singulari; cuius felicissimis manibus in disciplinam Philippus rex noster filium heredem educandum instituendumque tradidit. Custodum autem ipsorum unum esse oportet, qui sit quasi bibliothecarii vicarius, cui alii pareant omnes, ut erat ante aliquot annos in Vaticana HIERONYMVS SIRLETVS, frater ipsius cardinalis; nunc autem FEDERICVS, qui eiusdem cardinalis fuerat domesticus & familiaris. Hic autem, ut ceteri custodes, non in urbe, sed in bibliotheca domicilium habebit.

Præter bibliothecarium & vicarium illius ceteros bibliothecæ ministros ac custodes nulla esse aut sacerdotii, aut qua alia dignitate necesse est; sed homines esse

satis est palliatos & vitæ laudatæ: etsi non ea prudentia sint, ut gravia iis committi negotia aut possint, aut debeant. Huiusmodi autem multos facile erit invenire, neque magnos fieri sumtus erit necesse, quum sint plerique eorum parvo contenti; & præterea huiusmodi tantum rebus utiles, ceteris autem fere inutiles & inepti, quales in scholis reperirentur non pauci, aut etiam in ecclesiis, adhibita diligentia & delectu. Et quosdam eorum melius erit iuvenes esse, ut, cum annis accedente, aut potius crescente vitæ ita invistitutæ studio & amore, fiant quotidie bonarum litterarum studiosiores, tanta librorum copia ad id eos invitante: atque ita evadant præstantes doctrina viri, & rebus etiam gravioribus aptiores.

Habeant vero omnes bibliothecæ regiæ ministri propinquum ei domicilium: vicarii tamen domicilium cum bibliotheca ipsa cohærebit. Vnde etiam in bibliotheca ostiolum aperietur, ut possit clam, sineque ullo strepitu introire in eam; aut ei aditum dare, qui facultatem a bibliothecæ præfecto habebit. Neque enim id ostiolum patere alii debet. Multæ autem caussæ sunt, ob quas id non utile modo, verum etiam necessarium esse videatur. Est autem eiusmodi ostiolum etiam in Vaticana.

Prius tamen quam bibliotheca regia instructa constitutaque sit, de ministris & operariis illius cogitandum. Ante igitur quam ultima manus bibliothecæ imponetur, cura ea suscipienda est a viris bonis & eruditis, quorum antistes quispiam sit quasi antesignanus; qui diligentissime conquirant, deque Hispanis potissimum deligant eos, quicumque sint ei rei accommodati: quorum omnium opera & concilio instructa iam ornataque bibliotheca se ad suos quisque recipiat. Sed antequam ii domum ad suos redeant, non inutile erit, quemquam eorum separatim sententiam suam scripto mandare, qua brevi complectatur ea, quæ illi in eo conci-

ci-

cilio viſa ſunt, quæque tum videntur. Atque ex hoc quidem eruditorum hominum congreſſu occaſio naſcetur bonos viros & eruditos, qui ſunt in Hiſpania, propius cognoſcendi: & dabitur etiam regi facultas de iis eligendi, qui ſint aptiſſimi bibliothecæ: quos iubeat iterum accerſi de antiſtitis & concilii ſententia. Neque hoc etiam erit inutile iis, qui in bibliothecam tum non recipientur: quum enim ad notitiam regis ea occaſione pervenerint, ſi erunt in poſterum vel bibliothecæ, vel aliis rebus neceſſarii, habebitur a rege ratio eorum.

Vbi autem de cuſtodum aliorumque miniſtrorum numero conſtiterit, convenire iuſſu regis homines eruditos oportebit, quique longa rerum experientia valeant & prudentia; ut leges bibliothecæ diligentiſſime ſapientiſſimeque conſcribant: quibus cuiusque miniſtri munera & partes deſcribantur, poenis in eos, qui contra eas quid fecerint, conſtitutis. Quaurm omnium codices duo conficientur: eorum unum præfectus, alterum vicarius habebit. Sed neque illud improbaverim, æneis eas tabulis, aut marmoreis, quave alia materia perſcribi; & publico ac patenti aliquo bibliothecæ loco collocari.

Inſtructa iam bibliotheca, indicem eius imprimere oportebit diligentiſſime; qualem etiam reges Galliæ, aliique ediderunt: cum quo una etiam privilegium regis imprimetur, per quod liceat omnibus libros inde, quos velint, deſcribere. Qui quidem indices in Italiam, Galliam & alias provincias mittantur.

Quoniam autem totum hoc, quod ad ordinem, incrementum ſtatutumque pertinet bibliothecæ, a præfecto eius & miniſtris proficiſcitur, & per eos futurum eſt, ut bibliotheca ſuam retineat dignitatem, ſunt ii ſapientiſſime deligendi; & ſtudia multorum & cupiditates maxime fugiendæ. In delectu autem non tam eorum ratio habebitur, qui unam aliquam ſcientiam callent, quam eorum, qui multiplici ſint eruditione in-

ructi, & moribus etiam elegantioribus perpoliti: quos ii, qui sunt in regia apud te viri iudicio acri & sapientia præstantes tibi poterunt indicare. Et certe in delectu habendo hominum eruditorum ANTONIVS AVGVSTINVS unus omnium maxime, si incolumis fuisset, iudicio suo, quo valebat, acerrimo, & multiplici eruditione tuæ poterat satisfacere voluntati.

Cuius viri mentio facit, ut locum de aliorum bibliothecis colligendis, quem supra attigi, latius nunc persequar: in quibus fortasse primum locum tenet huius tanti viri bibliotheca. Nullam equidem privatam vidi illa meliorem, sive copia librorum, sive præstantia eorum & raritas spectetur, tam Græcorum, quam Latinorum, de qua regiæ aggreganda agi esset nunc opportunum: postea enim libri in multas ac varias partes distracti vel peribunt, vel difficillime colligentur.

Quod verum esse intelligitur ex MICHAELIS THOMASII episcopi Ilerdensis bibliotheca, quæ post domini sui obitum fluctuavit, & in scopulos illisa misere fecit naufragium. Fuit is, dum viveret, eius colligendæ ac locupletandæ studiosissimus: itaque multos partim coemit, partim de optimis describi quam fidelissime curavit; habebatque iam ad duo millia voluminum impressorum & manuscriptorum Græcorum & Latinorum, quamquam Græcorum numerus multo erat minor; neque hanc colligere fuit illi admodum difficile; nam præterquam quod industria valebat, multos sibi plurimis officiis (fuit enim officiosissimus) obstrinxerat, & a multis propter animi dotes ac virtutes ambatur: & in urbe Roma multo tempore fuerat. Hanc ego bibliothecam tam Romæ cognitam habebam, quam dominus illius: quæ una cum hereditate iacuit, controversiam de facultate testandi nuntio pontificis movente. Vtile quidem esset, codices manuscriptos conquirere diligenter, & in regia bibliotheca collocare. Posset eadem diligentia in aliis biblio-

the-

thecis regiæ aggregandis adhiberi ; ut in ea , quæ fuit HIERONYMI ZVRITAE historici diligentiſſimi, quam ille dum viveret, cuidam monaſterio reliquit , unde non invitis monachis in regiam transferetur : neque id erit præter ſpem & voluntatem defuncti domini , cuius ex conſuetudine & ſermonibus quotidianis is animus non obſcure intelligebatur. Habuit & PAEZ iuriſconſultus bibliothecam bene inſtructam , & libris veteribus refertam : quæ an diſtracta ſit adhuc & diſſipata , videndum.

Sed & GVLIELMI SIRLETI cardinalis bibliotheca non ſolum numero librorum , ſed & bonitate excellit , non Latinorum modo , verum etiam Græcorum manuſcriptorum : in qua colligenda diu multumque laboravit. Neque ſane multi anni ſunt , ex quo XII. arcas librorum veterum & manuſcriptorum in eam coniecit , qui Marcelli patroni illius & pontificis fuerant : neque ad id uſque tempus vendi duobus aureorum millibus potuere. Poſſet autem a rege legatis ea cura committi , ut ſi quæ cardinalium , aut aliorum bibliothecæ, morte dominorum conſequuta , diſtrahendæ eſſent , eas coemerent. Quoniam autem in tot libris cogendis , niſi id iudicio fiat , erit opera & labor inanis , dabitur id negotii ALFONSO CIACONI homini erudito & diligenti , ut antequam libri comparentur , videat eos diligenter ; & ita , habito delectu , emantur ; ſed & IOSEPHO STEPHANO Valentino , nunc Veſtano epiſcopo : qui ambo Romæ vivunt libentiſſime , non alio umquam migraturi.

Habet quoque bibliothecam nobilem SFORTIA CARDINALIS , cui regio beneficio & liberalitate Hiſpaniæ patrocinium commiſſum eſt. Ea non tam multitudine, quam bonitate librorum excellit ; quod multa in ea ſint autographa , aut certe antiqua Græcorum volumina. Sed huius emendæ ſpes nulla plane relinquitur , quod ea familiam Sfortiam & heredem ſequatur , magnaque cura & diligentia cuſtodiatur. Poſſent tamen inde libri

no-

nonnulli diligenter describi: index quoque confici, & ad regem mitti.

Libri etiam aliquot haberi poterunt e bibliotheca ACHILLIS STATII Lusitani, qui Romæ diu vixit, & ibi duobus abhinc annis mortuus est. In ea libri sunt de *Fide ac Trinitate* GREGORII BAETICI, antiquissimi scriptoris, & episcopi Granatensis, cuius meminit D. Hieronymus; quos ACHILLES ipse invenit in Ferrariensi pomposa bibliotheca, & iam in lucem dedit.

Item Neapoli in ecclesia S. Ioannis Carbonarii, quod est coenobium D. Augustini, est cardinalis SERIPANDI bibliotheca integra, ubi & exemplaria & monumenta quædam sunt antiqua, quæ fratres ipsi quodammodo videntur adspernari. Inde igitur non esset admodum difficile quædam deligere, data ab eo opera, qui pro rege Neapoli esset, adhibitoque aliquo eiusmodi rerum intelligente, qualis est PORCIVS quidam abbas, Simonis Porcii medici & philosophi nobilissimi filius, qui Petri Toleti floruit ætate. Quod negotium abbas susciperet libentissime cum aliis nominibus, tum illo, quod est a rege non ita pridem, ut intellexi, Monopilitano episcopatu in eo regno ornatus. Sed & alia quædam antiqua bibliotheca est Neapoli S. Severini, quæ in pulvere negligitur; unde sumi etiam possent aliquot volumina, & in regiam transferri.

Sunt denique in multis provinciis, præsertim in Italia, multæ bibliothecæ privatæ; ut VINCENTII PINELLI nobilis Genuensis, qui habet Patavii domicilium; ut PETRI VICTORII Florentini, ut FVLVII VRSINI Romani, ut M. ANTONII MVRETI Galli, qui diu vixit in urbe Roma, & paullo ante e vivis discessit; PETRI IOANNIS item NVNNESII Valentini, philosophi eximii, qui Barcinonensem iuventutem nunc instituit, relicta dulci patria Valentia, non sine magna bonarum litterarum iactura: quam hoc tempore, quo pristina digni-

tas & gloria misere in sordibus iacent, reliquisse, quodammodo prodere est; pro qua certe mori, & cui nos totos dedere, & in qua nostra omnia ponere & quasi consecrare debemus. Aliæ privatorum hominum bibliothecæ reperientur, quas non est necesse his commemorare, quum sint apud regem homines eruditi, quorum ad notitiam & hæ & aliæ quamplurimæ pervenerunt. Hæ igitur, si quando distrahendæ sint, curent regii ministri, ne intercidant.

Maximo etiam usui esset, bonum aliquem virum, & rei typographicæ bene peritum regiis sumtibus & liberalitate foveri, cum operariis eius rei intelligentibus & exercitatis, variaque illum & elegantia habere genera characterum Græcæ, Latinæ, & aliarum quoque linguarum: & preterea correctores eruditos, minimeque vanos & adrogantes: ex qua typographia & regia litterarum officina emendatissimi veterum libri in lucem ad communem omnium utilitatem ederentur regia insignia præferentes.

Sumtibus autem typographiæ valde consuleretur pistrino chartæ faciendæ ædificato loco opportuno. Neque valde de eo laborandum, si ea forte melioris notæ non esset: quum neque in Flandria, neque aliis plerisque in locis, ubi libri imprimuntur, optima ea sit. Quid? quod libros semel impressos statim alibi iterum ac sæpe imprimere solent papyro meliori: atque ita toto orbe terrarum e regia catholica S. Laurentii bibliotheca editi libri propagarentur. ANTONIVS AVGVSTINVS quum esset adhuc episcopus Ilerdensis, Complutensem typographiam Ilerdam transtulit, & chartæ faciendæ pistrinum erexit. Idem etiam Tarracone typographiam suis sumtibus non inelegantem sustentavit.

Vnum pæne omiseram libris colligendis aptissimum, quod Florentiæ diligentissime observatur. Nemini ea in urbe licet, qui librarius sit, librum ullum manuscriptum

cuiquam vendere, nisi prius illum homini cuidam erudito oſtendat, cui a duce Florentinorum id negotii datum eſt. Is librum videt; ſi eſt alicuius momenti, curat perſolvi pretium librario, & librum in bibliotheca publica reponi. Atque ita non pereunt monumenta veterum ſcriptorum; neque etiam in privatis bibliothecis quaſi ſepeliuntur. Eam curam in Hiſpania regem epiſcopis mandare utile eſſet, ut in ſua quiſque dioeceſi ea ratione curaret, ne veterum libri perirent; ſed colligerentur ab iis, & ad regiam bibliothecam mitterentur; ad eamque rem adhiberet quiſque eorum homines intelligentes.

Romae quum agerem, pontificiae bibliothecae, quae in Vaticano eſt, hiſtoriam colligavi, quibuſdam ONVPHRII PANVINII ſtudiis ac diligentia adiutus: quam etſi ad eum, quem mihi propoſueram exitum, non deduxerim; tamen quia iis, quae de regia bibliotheca diſſeruimus, magnam poteſt lucem adferre, libuit, non exſpectato maturiori tempore, neque ſuis partibus & numeris expleta narratione, eam huic libello ſubiicere. Sed prius, quae de bibliothecis in genere vir doctiſſimus FVLVIVS VRSINVS ſcripſit in libro *de imaginibus*, videamus.

A

A BIBLIOTHECIS
EX LIBRO DE IMAGINIBVS
FVLVII VRSINI.

Bibliothecas Romæ multas fuiſſe, cum Græcas, tum Latinas, ex veterum ſcriptorum, quos infra adducam, monumentis intelligere poſſumus. Qui autem iis præpoſiti erant, dicebantur *a bibliothecis*, forma eadem, qua *a ſtudiis*, *ab epiſtolis*, & alia eiusmodi antiquos dixiſſe obſervavimus. Prius autem bibliothecas ipſas, quarum mentio apud ſcriptores extſtat, colligamus; deinde nomina eorum, qui iis præfuerunt, ſubiungamus. *Romam primus librorum copiam*, inquit Iſidorus lib. VI. cap. 4. *advexit Aemilius Paullus*, *Perſe Macedonum rege devicto*. Sylla quoque multos libros ex Athenis Italiam vexit: Lucianus in libro *adverſus indoctum*: Lucullus deinde ex Pontica præda, ut idem Iſidorus ſcribit. Sed bibliothecæ Luculli meminit his verbis Plutarchus in eius vita: quæ ut ſunt a Leonardo Iuſtiniano in Latinum verſa, ita proferemus: *Nihil minus tamen diligentiæ ad ea ſibi comparanda adhibuit, quæ ſtudioſo ac litteratiſſimo homine digna eſſent. Etenim plurimos pulcherrimosque coegit libros, quorum profecto uſus maiorem ſibi, quam ipſa poſſeſſio gloriam vindicabat. Studioſo enim cuique & bibliothecæ, &, quæ circa erant, ſcholæ atque deambulacra libere perpetuoque patebant, quo ſe Græci, quum per otium licuiſſet, velut in amæniſſimum quoddam Muſarum diverſorium conferre ſolebant: ibi loquendo, legendo, diſputando diem iucunde terebant; & Lucullus ubi plerumque eruditiſſimos viros diſputare vidiſſet, eo ſe potiſſimum ingerebat*, cet. Bibliothecæ Iuliæ meminit Suetonius in Cæſa-

sare scribens: *Bibliothecas Græcas & Latinas, quas maxime posset, publicare parabat, data M. Varroni cura comparandarum ac dirigendarum.* Et Isidorus lib. VI. *Post hos Cæsar dedit M. Varroni negotium maximæ bibliothecæ construendæ.* Asinii Pollionis bibliothecæ facit mentionem Plinius lib. VII. cap. 3. his verbis: *M. Varronis in bibliotheca, quæ prima in orbe ab Asinio Pollione ex manubiis publicata Romæ est, unius viventis posita imago est*: & lib. XXXV. cap. 2. *Asinii Pollionis hoc Romæ inventum, qui primus bibliothecam dicando ingenia hominum rem publicam fecit.* Isidorus lib. VI. c. 4. *Primus autem Romæ bibliothecas publicavit Pollio, Græcas simul atque Latinas, additis auctorum imaginibus in atrio, quod de manubiis magnificentissimum instruxerat.* Bibliothecæ palatinæ, quæ in antiquis inscriptionibus sæpius nominatur, ita meminit Suetonius in Augusto: *Templum Apollinis in ea parte palatinæ domus excitavit, quam fulmine ictam desiderari a deo aruspices pronuntiarunt, addita porticus cum bibliotheca Latina Græcaque: quo loco iam senior sæpe etiam senatum habuit, decuriasque iudicum recognovit*, cet. Plinius lib. VII. cap. 58. *Veteres Græcas litteras fuisse easdem pæne, quæ nunc sunt Latinæ, indicio erit Delphica tabula antiqui æris, quæ est hodie in palatio, dono principum Minervæ dicata in bibliotheca*, cet. Et lib. XXXIV. cap. 7. *Videmus certe Apollinem in bibliotheca templi Augusti Tuscanicum quinquaginta pedum a pollice.* Huius bibliothecæ meminit Horatius lib. I. epist. 3. hoc versu:

Scripta palatinus quæcumque recipit Apollo.

Ovidius lib. III. de *Trist.* Propertius lib. II. Dion. lib. LIII. Suetonius de *illustr. grammaticis* in Hygino, Galenus lib. I. *de comp. medic.* Servius in VIII. *Aeneid.* Acro & Porphyrion in epist. 3. lib. I. Bibliothecæ porti-

ticus Octaviæ meminit Plutarchus in *Marcello*, eamque ab Octavia Augusti sorore in honorem Marcelli exstructam fuisse scribit. Dion tamen lib. XLIX. a sororis nomine *Octavianam bibliothecam* appellatam Augustum exstruxisse ex Dalmatum manubiis refert. Eius autem meminit & Suetonius in libro *de illustr. grammaticis* his verbis de Melisso scribens: *Quare cito manumissus Augusto, & insinuatus est, quod eleganter curam ordinandarum bibliothecarum in Octaviæ porticu suscepit*. P. Victor bibliothecam porticus Octaviæ nominat in libro *de regionibus*. Bibliothecæ, quæ erat in domo Tiberii Imp. facit mentionem Gellius lib. XIII. cap. 19. *Quum in domus Tiberianæ bibliotheca sederemus ego & Appollinaris Sulpitius*, cet. Vopiscus in Proba: *Ex bibliotheca Vlpia ætate mea in thermis Diocletianis. Item ex domo Tiberiana*, cet. Tiberii autem domus in ea palatini montis parte fuit, quæ viam sacram, & Pacis templum respicit, ut ex plumbea lamina aquæductus ibi nuper reperta in hortis Alex. Farnesii cardinalis cum inscriptione TIBERII CAES. IMP. coniicere licet. Bibliothecæ, quæ erat in templo Traiani, meminit idem Gellius his verbis lib. II. cap. 27. *Edicta veterum prætorum sedentibus forte nobis in bibliotheca templi Traiani*, cet. Hæc deinde in thermas Diocletiani, ut opinor, translata est, & Vlpia a scriptoribus nominata. Eius meminit P. Victor in *Reg*. VI. Vopiscus in Aureliano: *Et, si his contentus non fueris, lectites Græcos, linteos etiam libros requiras, quos Vlpia tibi bibliotheca, quum volueris, ministrabit*. Et paullo post: *Hæc ego a gravibus viris comperi, & in Vlpiæ bibliothecæ libris relegi*, cet. In Tacito: *Habet bibliotheca Vlpia in armario sexto librum elephantinum, in quo hoc S. C. perscriptum est*, cet. In Probo: *Vsus autem sum, ne in aliquo fallam carissimam mihi familiaritatem tuam, præcipue libris ex bibliotheca Vlpia, ætate mea in thermis Diocletianis*, cet. In

Nu-

Numeriano: *Vt illi statua non quasi Cæsari, sed quasi rhetori decerneretur ponenda in bibliotheca Vlpia.* Bibliothecæ, quæ erat in templo Pacis, meminit Galenus lib. I. *de comp. med.* & Gellius lib. XVI. cap. 8. his verbis: *Commentarium de proloquiis Lælii docti hominis, qui magister Varronis fuit, studiose quæsivimus, eumque in Pacis bibliotheca repertum legimus.* Bibliothecæ Capitolinæ facit mentionem Orosius lib. VII. cap. 16. *Anno ab V. C. DCCCCXXX.* cet. *nam fulmine Capitolium ictum, ex quo facta inflammatio bibliothecam illam maiorum cura studioque compositam, ædesque alias iuxta sitas rapaci turbine concremavit.* Tiburtinæ bibliothecæ meminit Gellius lib. IX. cap. 14. his verbis: *Meminimus etiam in Tiburti bibliotheca invenire nos in eodem Claudii libro scriptum utrumque*, facies, *&* facii, & lib. XIX. cap. 5. *Sed, quum bibendæ nivis pausa fieret nulla, promit e bibliotheca Tiburti, quæ tunc in Herculis templo satis commode instructa libris erat*, cet. Bibliothecæ Iulii Martialis facit mentionem Martialis lib. VII.

Ruris bibliotheca delicati,
Vicinam videt unde lector urbem,
Inter carmina sanctiora si quis
Lascivæ fuerit locus Thaliæ;
Hos nido licet inferas vel imo,
Septem quos tibi misimus libellos
Auctoris calamo sui notatos:
Hæc illis pretium facit litura.
At tu munere dedicata parvo,
Quæ cantaberis orbe nota toto,
Pignus pectoris hoc mei tuere,
IulI bibliotheca Martialis.

P. Victor, *Bibliothecæ*, inquit, *Romæ undetriginta publicæ: ex iis præcipuæ duæ, palatina & Vlpia.* Domitia-

tianum bibliothecas vetustate consumtas reparasse scribit Suetonius in eius vita. His igitur præfuerunt, Iuliæ M. Varro, ut Suetonius scribit: Palatinæ C. Iulius Hyginus, Augusti libertus, ut idem Suetonius in libro *de illustribus grammaticis*, & C. Iulius Falyx, & C. Iulius Phronimus, ut est in antiquis lapidibus: bibliothecæ porticus Octaviæ C. Melissus, Augusti libertus, ut est apud Suetonium in eodem *de illustr. Gram.* libro. Bibliothecas autem privatas, cuiusmodi illa P. Attici a Cicerone describitur, quia parum frequens earum mentio est apud veteres scriptores, omisimus colligere.

DIIS. MANIBVS
C. IVLIVS. FALYX
A. BYBLIOTHECA
GREACA. PALAT

C. IVLIVS. C. L. PHRONIMVS
A. BIBLIOTHECA. GRAECA

OSSA
VIBIAE. SVCCESSAE. LIVIAE. AVG. SER
AB. ARGENTO. POTORIO. ITEM. A. VESTE
L. VIBIVS. AVG. SER. PAMPHILVS. SCRIBA
LIB. ET. A. BIBLIOTHECA. LATINA
APOLLINIS. CONIVGI. FIDELISSIMAE
ET. PIISSIMAE. B. D. S. M.

SVLPICIAE
THALLVSAE
ANTIOCHVS. TI. CLAVDI
CAESARIS. A. BIBLIOTHECA
LATINA. APOLLINIS
CONIVGI. SVAE
BENE. MERITAE

ALEXIO
CAESARIS
AVG. AB
BIBLIOTHECA

DE

DE BIBLIOTHECA VATICANA

EX NON EDITIS PANVINII.

GEntiles suos libros in bibliothecis publicis & privatis consuevisse adservare, ex eorum monumentis, & ex his, quæ nuper scripsimus, facili coniectura possumus consequi, permultique tradiderunt. Ecclesiam vero catholicam iam inde a primo post Christum exordio in præcipuis quibusdam locis bibliothecas sacras habuisse, quibus studiosorum ingenia pascerentur, non est obscurum. Nam D. Athanasius in narratione de persequutione Arianorum in ecclesia Alexandrina tradit, bibliothecas in ecclesiis christianorum fuisse, librosque magna cura conservatos: & in eo Arianorum impietatem accusavit, quod libros ecclesiæ ereptos indignissime combusissent. Hieronymus earumdem meminit, quum ad Pammachium pro libris suis adversus Iovinianum scribens ait: *Ecclesiarum bibliothecis fruere.* Eusebius præterea lib. VIII, cap. 2, scribit, ecclesiam libros sacros in oratoriis, habuisse, eosque temporibus Diocletiani, excisis oratoriis ad delendam prorsus memoriam Christianorum exustos esse. Neque vero desunt in scriptura coniecturæ: quoniam Paullus ad Timotheum scribens, libros secum Romam apportare iubet, maxime vero membranas: atque idem libros propheticos in ecclesia Corinthiorum legi solitos, I. *ad Corinthios* testatur. Bartholomæum vero Indis verbum Dei prædicasse, ibique evangelium Matthæi Hebraice manu sua descriptum reliquisse, lib. V. cap. 10. *Historiæ ecclesiasticæ* prodidit Eusebius: quod exemplar in India repertum Origenes, teste Hieronymo, Alexandriam reportavit, quum ex Oriente libros canonicos veteris testamenti Melito, ut ait Eusebius, attulisset. Hebræi tandem libros sacros di-

diligentissime custodiebant, & in synagogis suis Moysen per singula sabbata legere solebant. Quare eosdem christianos factos in describendis & conservandis libris propheticis & apostolorum atque evangelistarum studium suum collocasse, merito est credendum.

Sed loca, ubi libri servabantur, non uno nomine fuerunt appellata; nam & *archivia*, & *scrinia*, & *bibliothecæ*, ut ex auctoribus citandis patebit, dicebantur. Bibliothecarius in vita Cælestini papæ inquit: *Hic fecit constitutum de omni ecclesia, maxime de regionibus; quod hodie in archivio ecclesiæ tenetur reconditum.* Et in vita Leonis papæ: *Multas epistolas scripsit papa Leo, quæ hodie in archivio ecclesiæ tenentur*: & in Gelasio papa: *Gelasius libros adversus Eutychem & Nestorium edidit, qui hodie in bibliothecæ ecclesiæ archivio reconditi tenentur.* Tandemque in vita Bonifacii papæ II. *Bonifacius papa chirographum damnationis Dioscori archivio ecclesiæ reclusit.* Anastasius præterea in vita Martini papæ, *Synodus*, inquit, *Lateranensis a Martino papa contra Syrum Alexandrinum, Pyrrhum, Sergium, & Paullum, Constantinopolitanos patriarchas, hæreticos Monothelitas celebrata, hodie archivio ecclesiæ continetur.* Et in Leone: *Hic fecit constitutum, quod in archivio ecclesiæ continetur, ut qui ordinatus fuerit archiepiscopus, nulla consuetudine pro usu pallii, aut diversis officiis ecclesiasticis quidquam persolvere debeat.* In Ioanne VI. inquit: *Ioannes papa, facto concilio sacerdotum, Novellum episcopum, qui ab archiepiscopo Ravennate ordinatus fuerat, sub ditione sedis apostolicæ redintegravit & confirmavit: cuius rei chirographum in S. R. E. archivio retinetur.* Vltimo in vita Stephani II. *Pipinus Rex Francorum, victo Astulfo rege Longobardorum, eidem multas civitates, quas vi occupaverat, abstulit; quas beato Petro, S. R. E. & Romanis pontificibus donavit, scriptisque suis donationem fecit, quæ hactenus*

in archivio S. eccleſiæ recondita tenetur. Hieronymus quoque in prologo Eſther inquit: *Quem librum ego de archivis Hebræorum elevans, verbum e verbo expreſſius tranſtuli*. Divus autem Gregorius papa in prologo XL. homiliarum ſuarum ad Secundinum epiſcopum Tauromilitanum refert, XL. homilias ſuas in ſcrinio S. R. E. detineri. Et Iulius papa, qui Marco Silveſtri ſucceſſori ſuffectus eſt, inſtituit, ut in eccleſiæ ſcriniis reponerentur cautiones, inſtrumenta, donationes, commutationes, traditiones, teſtimonia, adlegationes, ac manumiſſiones clericorum in eccleſia. Sed nominis bibliothecæ exempla & teſtimonia non eſt quod adferantur.

Ex his igitur facile cognoſcere liquet permulta eorum, quæ in bibliothecis reponebantur: verum non iſta ſolum, quin etiam & præcipue bibliorum libri conſervari ſolebant, ut ſatis ſuperque ex Euſebio & eccleſiarum uſu conſtat: in quibus quatuor evangeliſtarum libri, epiſtolæ Paulli, Petri, Iacobi, Ioannis & Iudæ, nec non *Acta apoſtolorum* & *Apocalypſis* Io anni legi fuerunt ſolita. Opera tandem ſacrorum doctorum in eiſdem bibliothecis ſervabantur, ut Ignatii, Martialis, Clementis Romani, Iuſtini, Egeſippi, Irenæi, Tertulliani, Origenis, Cypriani, & aliorum, quorum permulta ad noſtra uſque ſæcula pervenerunt. Quare dicendum eſt, bibliothecas propter librorum, bibliorum, memoriæ doctorum, & ſcriptorum eccleſiaſticorum, veræque eccleſiæ hiſtoriæ conſervationem, atque ad poſteros propagationem ſtructas & inſtitutas fuiſſe.

Ad ſtructuram autem & conſervationem bibliothecæ non mediocres ſumtus erant neceſſario faciendi librorum conquiſitoribus, luculentis ac peritis ſcriptoribus, totique veræ bibliothecæ. Hi partim fidelium divitum liberalitate, partim ex communi eccleſiæ ærario fiebant. In quo ſane Magni Conſtantini eximium & ſingulare prædicatur ſtudium; qui, ut tradit Euſebius lib. IIII.

de eius vita, imperatorios thesauros liberalissime effudit in colligendis scribendisque libris sacris, quos Gentiles temporibus persequutionum ab ecclesia fere excusserant. Verumtamen munus bibliothecæ condendæ, conservandæ ac curandæ episcoporum præcipuum fuit, nec non & presbyterorum: quoniam ad hos maxime spectabat & sacros evolvere ac custodire libros, & authenticos ab apocryphis, teste Eusebio, discernere. Quam ob rem notarios, librarios & puellas ad scribendum exercitatas, qui libros describerent, ut apparet ex Ambrosii Origenisque historia, alere & sustentare solebant. Inter hos Panthenius rector scholæ Alexandrinæ diligentissimus librorum conquisitor perhibetur. Pamphilus etiam presbyter & martyr Cæsariensis magno studio & industria, ut ait Eusebius, bibliothecam instituit, eamque tum Origenis, tum aliorum scriptorum voluminibus exornavit: cuius Cæsariensis bibliothecæ in apologia adversus Rufinum meminit Hieronymus. Alexander præterea celeberrimus Hierosolymorum antistes mirificam bibliothecam Hierosolymis construxit, eodem teste Eusebio; in qua libros Berilli, Hippolyti, Caii & aliorum scriptorum ecclesiasticorum reposuit, quibus se adiutum & instructum in scribenda historia ecclesiastica Eusebius testatur.

Sed ne diligentiam & studium nostrorum silentio prætereamus, Clemens primus post Petrum pontifex maximus, qui multas scripsit utiles epistolas in ecclesia Romana conservatas, ad posterosque transmissas; Romæ, ubi fons pietatis doctrinæque erat, septem notarios in singulas regiones distributos instituit, qui censibus ecclesiæ nutriti, gesta martyrum diligenter perquisita, & sigillatim indagata litteris & monumentis consignarent. Anterus papa res gestas martyrum a notariis descriptas requisivit, & in ecclesia recondidit. Fabianus Anteri successor ordinavit septem diaconos iis notariis immi-

ne-

niere, ut martyrum res gestas undique singulatim colligerent. Actiones praeterea synodi Romanae sub beato Silvestro celebratae eorumdem notariorum testimonium tribuunt. Ad haec Iulius papa, qui post Marcum Silvestri successorem praefectus est, constituit, ut cuncta, quae ad Christi fidem conservandam propagandamque pertinerent, per notarios S. R. E. colligerentur, atque ea omnia monumenta a primicerio notariorum approbata in ecclesia reconderentur. Hilarius autem papa, primus, quod legerim, bibliothecas duas Romae iuxta fontem Laterani aedificavit, in quibus ecclesiae Romanae scripta, & epistolas decretales Romanorum pontificum, conciliorum actiones, haereticorum palinodias & haereses, sanctorumque patrum libros publico usui christianorum conservaret, quum eo tempore libri ob paucitatem, & librariorum caritatem difficile admodum invenirentur.

Sed tamen praeter has (ut iam ad originem Vaticanae deveniamus) fuit etiam alia, fortasse omnium maxima, in ipso Lateranensi patriarchio structa bibliotheca optimis voluminibus referta: quae eo loci fere annis M. quamdiu Romani pontifices Lateranum incoluerunt, permansit. Postea vero quam Clemens V. in Galliis Romanam sedem constituit, pontificia bibliotheca fuit Avenionem translata, libris iussu pontificum ex Laterano advectis, atque Avinione in apostolico palatio fere spatio CXX. annorum retentis, quousque, Dei benignitate sublato schismate, post Martini V. creationem eius bibliothecae magna pars fuit iterum Romam perducta, & non Laterani, sed in Vaticano, ubi Romanus pontifex sedem fixerat, collocata, confusis tamen sparsisque libris, neque ullo certo aut digno loco interclusis. Quod indigne ferens Sixtus IV. pontifex maximus incredibilem librorum copiam a suis praedecessoribus relictam, qui partim vetustate, partim hominum iniuria consumebantur, certo & oportuno loco digessit

sit armariis, pluteis, ceterisque instructæ & bene cultæ bibliothecæ necessariis exornavit: atque bibliothecam Vaticanam multis additis voluminibus ecclesiæ decori, fidei catholicæ amplificationi, publicæ eruditorum hominum commoditati & honori consecravit. Hæc igitur Vaticana bibliotheca omnium, quæ in orbe terrarum sunt, instructissima est, optimisque & antiquissimis scriptis in membranis libris refertissima, quorum numerum sex millium excedit. Huic, ut facilius conservaretur & augeretur, Sixtus IV. strenam centum aureorum, quam Romanis pontificibus collegium scriptorum apostolicarum litterarum quotannis donari consuevit, in perpetuum addixit. Hanc summa industria & diligentia curant & administrant bibliothecarius, custodes, correctores, librarii, sarcinatores, & is, qui bibliothecam verrit: quæ omnia fere munera fuerunt a Sixto IV. instituta.

Qui ergo bibliothecæ præerat, iam olim *bibliothecarius*, & aliquando *cancellarius* vocabatur: huius munus erat, bibliothecam & omnia eius volumina scripta, membranas & similia accuratissime custodire; bullas sive diplomata, vel epistolas decretales pontificum scribere, &, si opus erat, dictare, acta conciliorum & synodalia exscribere ac conservare; tandemque apud Romanum pontificem ea omnia præstare, quæ sedis apostolicæ cancellarii nostro tempore faciunt. Conveniens etenim visum fuit, ut is potissimum esset papæ amanuensis, scilicet scribarum princeps, vel a secretis, qui etiam pontificiam bibliothecam, quæ tunc erat veluti cancellaria quædam, sive, ut nunc loquimur, *secretaria*, tractaret. Nostris vero temporibus hæc munera sunt divisa. Bibliothecæ autem Romanæ semper clarissimi & optimi viri probatæ doctrinæ & sanctitatis præfuerunt: nam Anastasius in vita Gregorii II. scribit, GREGORIVM, antequam pontifex crearetur, bibliothecæ

La-

Lateranensis curam suscepisse : *qui*, inquit, *est vir doctissimus, & Constantinopolim ad Imperatorem Iustinianum II. cum Constantino papa profectus, & ab eodem principe in multis difficilimis quaestionibus interrogatus, peritissime omnibus satisfecit*. Bibliothecarius præterea in eiusdem vita refert, Gregorium ab ineunte ætate in patriarchio Lateranensi nutritum fuisse, atque a papa Sergio subdiaconum & sacellarium creatum bibliothecæ Lateranensis curam suscepisse, postmodumque diaconum factum fuisse. Xystus vero IV. Idibus Iulii, pontificatus anno VI. & ab orbe redemto M. DC. LXXV. perpetuum custodem, & veluti bibliothecarium Vaticanæ bibliothecæ tunc a se erectæ bulla plumbea instituit BARTHOL. PLATINAM Cremonensem, scriptorem apostolicum, familiarem suum, stipendio menstruo decem aureorum decreto, additis victu pro se & tribus famulis, & equo uno, cunctisque regalibus, quæ palatinis papæ familiaribus dari consuescunt: lignis nimirum, sale, aceto, candelis, oleo, scopis, & similibus. Deinde, mortuo Platina, idem Xystus IV. Kal. Novemb. pontificatus sui anno XI. (is est annus domini M. CD. LXXXI.) BARTHOL. MANFREDVM clericum Britonnensis dioecesis, decretorum doctorem, familiarem sibi gratum, linguarum peritia insignem, scriptorem apostolicum, bibliothecarium creavit, atque ut huic muneri pristinum splendorem, dignitatem & amplitudinem restitueret, statuit, ut bibliothecarii deinceps futuri scutiferi primi Romani pontificis perpetuo essent, reciperentque stipendia, honores & emolumenta consueta, facta prius decem millium ducatorum cautione in camera apostolica, datoque de fideli ac diligenti bibliothecæ cura iureiurando. Post hos creati sunt temporibus suis qui sequuntur.

CHRISTOPHORVS PERSONA Romanus, prior sanctæ Balbinæ, creatus anno M. CD. LXXXIV.

IOANNES DE DIONYSIIS Venetus anno M. CD. LXXXVII.

N. Hispanus, archidiaconus Barcinonensis, anno M. CD. XCII. Hic est fortasse HIERONYMVS PAVLLVS Cathalanus, canonicus Barcinonensis, I. V. D. qui fuit Alexandri VI. cubicularius, inter cuius fragmenta inventa fuit *Practica cancellariæ* Romæ edita an. M. CD .XCIII. Pontificatus Alexandri VI. anno secundo.

IOANNES FONSALIDA, Hispanus, episcopus Interamnensis, anno M. CD. XCV.

FR. VOLATERRANVS, archiepiscopus Ragusinus, anno M. D. V.

THOMAS IVGERANNIS, alias PHAEDRVS, Volaterranus, anno M. D. X.

PHILIPPVS BEROALDVS iunior, Bononiensis, anno M. D. CXI.

FR. ZANOBIVS ACCAROLVS, Florentinus, ordinis prædicatorum, anno M. D. XVIII.

HIERONYMVS ALEANDER CARNVS, archiepiscopus Brundusinus, cardinalis, anno M. D. XXXVII.

AVGVSTINVS STEVCHVS, Eugubinus; episcopus Chisamensis, congregationis S. Salvatoris, Bononiensis, anno M. D. XXXVIII.

MARCELLVS CERVINVS, Politianus, presbyter cardinalis tit. S. Crucis in Hierusalem, anno M. D. XLVIII. creatus a Paullo III. Hic stipendium & quatuor sportulas bibliothecariis dari solitas recusavit: atque inter duos correctores Latinos, & eum, qui bibliothecam verreret, ut inferius dicetur, distribuit.

ROBERTVS DE NOBILIS, Politianus, diaconus cardinalis S. Mariæ in Dominica, anno domini M. D. LV. creatus a Paullo IV.

ALFONSVS CARAFA, Neapolitanus, diaconus cardinalis S. Mariæ in Dominica, anno M. D. LVIII. a Paullo IV. creatus.

MAR-

MARCVS ANTONIVS AMVLIVS, presbyter cardinalis, Venetus, anno M. D. LXV.

GVILIELMVS SIRLETVS, presbyter cardinalis, Calaber, die XVIII. Martii anno M. D. LXXII.

ANTONIVS CARAFA, Neapolitanus, presbyter cardinalis tit. SS. Ioannis & Paulli, die XV. Octobris anno M. D. LXXXV.

Quum autem unus vix, aut nulla ratione posset tot millium librorum conservationi vacare, & necessariis bibliothecæ rebus consulere; idem Xystus duos custodes perpetuos spectatæ fidei & diligentiæ, qui bibliothecarium iuvarent, instituit, dato unicuique trium aureorum stipendio menstruo, victuque & aliis necessariis, ut oleo, sale, aceto, lignis, faculis, pro se & famulo. Atque omnium primi fuerunt IOANNES CHADELLI, clericus Lugdunensis, IV. Kalend. Maii; & PETRVS DEMETRIVS, Lucensis, qui in tinello pontificis lector erat, Kalend. Maii pontificatus Xysti anno X. creati. Demetrio mortuo suffecit Iulius II. die VI. Iulii, pontificatus anno octavo LAVRENTIVM PARMENIVM de S. Genesio, presbyterum Camerinensem; & Ioanni Chadelli ROMVLVM MAMMACINVM BERNARDI, canonicum Aretinum, cubicularium & familiarem suum, Kalend. Septembris anno IX. Idemque Iulius, XXIII. Augusti, pontificatus anno primo in singulas hebdomades hiemali tempore *salmam* carbonum custodibus concesserat: sed nunc XXIV. *salmæ* dantur.

Prædictis succedunt M. D. XXXIV. FAVSTVS SABEVS & NICOLAVS MAIORANVS, Idrantinus: huic successit GVILIELMVS SIRLETVS Squillacensis, per promotionem ad episcopatum Monopolitanum.

HIERONYMVS SIRLETVS Gulielmi frater successit per promotionem ad protonotariatum.

FEDERICVS RANALDVS Valvensis successit Fausto Sabeo.

MARINVS RANALDVS, Valvensis, Federici frater, succeſſit Hieronymo Sirleto.

Addidit quoque Xyſtus, ut nihil ad ornamentum & decus palatinæ bibliothecæ deeſſet, librarios tres, Latinum, Græcum, & Hebræum; cum victu & menſtruo ſalario quatuor ſcutorum. Paullus vero IV. ſcriptori Græco portionem & ſtipendium duplicavit, aliosque tres librarios adiunxit, duos Græcos, & unum Latinum; illorumque uni duas ſportulas & quinque aureos menſtruos adſignavit; alteri vero ſportulas duas & aureos quatuor. Latino vero ſcriptori portionem duplicem & aureos quinque dari iuſſit: inſtituitque librorum ſarcinatorem & confectorem, cui IV. ſcutorum menſtruum ſalarium dedit.

Tandem MARCELLVS CERVINVS bibliothecarius prædictus inſtituit duos librorum correctores & reviſores Latinos; quibus emolumenta bibliothecariis dari ſolita, quæ ipſe, ut diximus, recuſavit, conceſſit, ſingulis tribuens binas ſportulas ex IV. quæ ſibi contigerant: uni vero menſtruum ſalarium V. ducatorum, & alteri IV. ducatorum tribuit. Eum autem, qui remanebat ex X. bibliothecario dari ſolitis, adſignavit, ut ſtipendium menſtruum ei, quem Paullus IV. inſtituerat, ut verreret bibliothecam, cui tamen regalia fuerunt negata. Primi correctores Latini fuere GABRIEL FAERNVS, Cremonenſis, & NICOLAVS MAIORANVS: quibus Pius IV. correctorem Græcorum librorum adiunxit, cui in ſingulos menſes X. aureos attribuit.

DE

DE EXPVNGENDIS
HAERETICORVM
PROPRIIS NOMINIBVS.

EDITIO III.

LECTORI.

QVVM superioribus annis Romæ inter graviſsimos & illuſtriſſimos viros orta fuiſſet dubitatio de damnatorum auctorum libris, qui quinta & octava *Indicis* regulis permittuntur; an nomine emendationis & expurgationis sint hæreticorum nomina propria expungenda, quæ in titulis & inscriptionibus librorum, qui de religione non tractant, continentur; an potius conſervari debeant, expunctis his, quæ catholicæ religioni sinceræque doctrinæ repugnant, eam docte & graviter pro utraque parte agitarunt. Sed quum non ex inſtituto ad eam quæſtionem tractandam conveniſsent, ſed caſu in eam incidiſſent; rei gravitas, ancepsque difficultas eos ad pronuntiandum tardiores fecit, & longiori conſideratione opus esse conſtituerunt, aliorumque primum sententias audiendas censuerunt, ut maturius & prudentius ea de re ferrent iudicium: non enim alienum eſt ad recte eligendum, quod dubitationem adfert, doctos uſuque peritos adhibere. Inter alios vero, quibus id oneris detulerunt, mihi plane nemini eorum neque ætate, neque eruditione conferendo, delatum etiam eſt: quod etsi longe maius, quam ut ferre poſſem, intellexi; ſuſtinui tamen, ne quod tanti viri iuſſerant, pudore quodam ſubruſtico viderer recuſare. Incepi itaque omnem curam & cogitationem in eam rem intendere, libroſque omnes, quos videre licuit, evolvere: ſed nihil tandem reperi, quod meam cauſſam iuvare poſſet. Nam etsi plerique omnes, qui de hæreticorum pœnis conſcripſerunt, quæſtionem illam de comburendis hæreticorum libris doctiſſime & diligentiſſime ſint per-

persequuti; eorum tamen rationes, si attente consideres, illud tantum probant, hæreticorum nempe libros, in quibus contra religionem, & sanam atque catholicam doctrinam de industria disputatur, prohibendos. Sed hanc nostram: *An scilicet hæreticorum nomina deleri omnino debeant in libris, qui nihil prorsus de religione tractant, qui in regulis* Indicis *permittuntur*, omnino intactam reliquerunt: quam Iesu Christi domini nostri divina ope aggressus, quum rationes hinc inde excogitare & conquirere cœpissem, tandem post lentam & fastidiosam meditationem ad eam partem inclinavi; quam veriorem, tutiorem, & magis ad Christi gloriam & honorem, atque ecclesiæ utilitatem pertinere arbitrabar: nempe, hæreticorum nomina tolli delerique omnino debere ex titulis eorum etiam librorum, in quibus nulla de suo apponunt, sed aliorum tantum dicta colligunt. Adducebar vero nonnullis rationibus, quæ simul collectæ & conglobatæ sententiam hanc meam videbantur confirmare. Argumenta enim, quæ rei, de qua agitur, natura imbecilla quodammodo facit, mutuo auxilio sustinentur; quæ si non possunt valere, quia magna; valebunt, quia multa sunt, quæ ad eiusdem rei probationem omnia spectant: singula siquidem etsi levia videantur, universa tamen aliter sentientibus nocent, etiam si non ut fulmine, tamen ut grandine, ut acute de argumentorum usu scripsit 1 Fabius. Quorum vis & robur ut magis magisque concipiatur & sentiatur ab iis, qui mihi hac in re obstiterunt, simpliciter & breviter eas proponere statui: ne si verborum ornamenta, & orationis lon-

gas

1 Fabius Quintilianus lib. 5. *Instit. Orator.* cap. 12.

gas periodos adhiberem, rebus ipsis quasi diffidenis ad verba confugere viderer; quæ satis ornata mihi quidem videri solent, si huiusmodi sunt, ut ea res ipsa peperisse videatur. Mihi enim res semper magis in studio fuerunt quam verba, quippe qui nullum umquam in ornate dicendi arte, quæ universam hominis ætatem occupare potest, me tempus posuisse sciam; sed in indagandis & perdiscendis rebus, quantum in me fuit, elaborarim. Sed iam ad rationes accedamus. Ceterum quum earum cognitio & iudicium ex duabus regulis *Indicis* quodammodo pendere videantur; recta docendi via & ratio postulat, eas ut præmittamus.

[illegible]

EX INDICE LIBRORVM PROHIBITORVM PER PP. A TRIDENTINA SYNODO DELECTOS CONFECTO REGVLAE, QVAE AD PROPOSITAM CAVSSAM FACIVNT.

REGVLA V.

„ Libri illi, qui hæreticorum auctorum opera „ interdum prodeunt, in quibus nulla, aut „ pauca de suo apponunt, sed aliorum dicta col- „ ligunt, cuiusmodi sunt *Lexica*, *Concordantiæ*, *A-* „ *pophthegmata*, *Similitudines*, *Indices*, & huius- „ modi; si quæ habeant admixta, quæ expurgatio- „ ne indigeant, illis episcopi & inquisitoris una cum „ theologorum catholicorum consilio sublatis, aut „ emendatis, permittantur. “

REGVLA VIII.

„ Libri, quorum principale argumentum bonum „ est, in quibus tamen obiter aliqua inser- „ ta sunt, quæ ad hæresim, seu ad impietatem, di- „ vinationem, seu superstitionem spectant; a ca- „ tholicis theologis, inquisitoris generalis auctori- „ tate expurgati, concedi possunt. Idem iudicium „ sit de *Prologis*, *Summariis*, seu *Adnotationibus*, „ quæ a damnatis auctoribus libris non damnatis „ appositæ sunt. Sed posthac non nisi emendati ex- „ cudantur. “

LI-

Librorum lectio lectorum fidem & benevolentiam conciliat; ex quo quum bona pars hominum iudicio minus valeat, fit, ut lectores plerumque de quibuscumque scriptoribus magnam concipiant existimationem: quod si viderint aliquando in eorum libris aliqua theologiæ, vel aliarum disciplinarum semina sparsa, facile credunt, eos in omnibus absolutos esse. Quam sane opinio, quum amicitiæ conciliatrix sit, perniciosa & periculosa est: ea enim decepti periculum est, ne lectores ad alia eiusdem auctoris opera & quærenda & legenda nimis curiose ferantur; quod omnino vitandum est. Quare, ut omnem bonam de hæreticis opinionem, amicitiam, amorem ab animis fidelium evellamus, nomina eorum omnino expungenda iudicarem. 1 Atticus episcopus Constantinopolitanus, qui ecclesiæ incrementis mirifice suam operam navavit, quum audisset, Sabbatium illum, qui propter Paschæ diem Iudaico more celebrandum a Novatianorum ecclesia secesserat, & gregem sibi suum coegerat, Rhodi, ubi exsulare iussus fuerat, vitam finisse; popularesque factionis eius, corpore illius inde translato, circa sepulcrum eius precationes peragere, & veluti viro sancto reverentiam cultumque præstare, noctu hominibus certis missis cadaver Sabbatii sepeliri in loco alio curavit. Porro sectatores illius ubi tumulum violatum repererunt, cærimonias, superstitionemque suam ad sepulcrum eius posthabuerunt, & deleto sepulcro etiam cærimoniæ & laudes oblivione fuerunt exstinctæ. Sic si ad sanctissimi viri præclarum & ad imitandum expositum exemplum hæreticorum nomina propria mutemus aut violemus, populares & simplices, atque ceteri imprudentes omnem reverentiam cultumque, quem superstitiose & aniliter hæreticorum nominibus tribuunt, paullatim longe retro-

1 Nicephorus lib. 14. *eccles. hist.* cap. 24.

que ponent; & nullo prorsus ad eorum nomina, ad quæ cum clamore & populari admiratione quasi ad sepulcrorum elogia convertuntur, relicto itinere, omnem eorum existimationem & opinionem perpetua obruet & delebit oblivio.

Si Imperatorum leges in criminibus maiestatis humanæ tyranni memoriam damnabant, multo magis qui divinam tentarunt lædere maiestatem, tale debent subire iudicium. Quid autem sit, alicuius memoriam damnare, constat ex 1 codice Theodosiano de infirmandis his, quæ sub tyrannis, aut barbaris gesta sunt.

IMPP. HONORIVS ET THEODOSIVS AA.

HADRIANO PP.

„Heracliani vocabulum nec privatim, nec publi„ce ulla memoria teneat: ideoque submovenda esse „censemus quæcumque," cet.

IMPP. ARCADIVS ET HONORIVS AA.

AVRELIANO PP.

2 „Omnes res Eutropii, erepto splendore eius, & „consulatu a tetra illuvie, & commemoratione nomi„nis eius, & coenosis sordibus vindicato, ut eiusdem „universis actibus antiquatis omnia mutescant tempo„ra, nec eius enumeratione sæculi nostri labes appa„reat." Et paullo inferius. „Omnes statuas, omnia „simulacra, tam ex ære, quam ex marmore, seu ex „fusis, quam ex quacumque materia, quæ apta est „effingendis, ab omnibus civitatibus, oppidis, locis„que privatis, ac publicis præcipimus aboleri, ne tam-

„quam

1 *Cod. Theodos.* lib. 15. tit. 14.
2 *De pœnis* lib. 9. tit. 40. Idem Nicephorus lib. 13. *Eccle. hist.* cap. 4.

„ quam nota nostri sæculi obtutus polluat intuentum.“

IMPP. THEODOSIVS ET VALENTINIANVS AA. LEONTIO P. V.

„ Damnato portentosæ superstitionis auctore Nesto„rio, nota congrui nominis eius inuratur gregalibus.“ Paullo inferius de libris Nestorii: „ Quos diligenti stu„dio requiri, ac publice comburi decernimus: ita ut „ nemo in disputationibus aliquam supra dicto nomine „ faciat mentionem.“

IMPP. ARCADIVS ET HONORIVS ASCREPIODOTO PP.

„ De hæreticis omnibus, quorum & errorem exse„cramur & nomen, hoc est, de Eunomianis, Arianis, „ Macedonianis, ceterisque omnibus, quorum nomina „ sanctioni tædet inserere.“

ALIVD EDICTVM.

„ Nemo Manichæum, nemo Donatistam, qui præ„cipue, ut comperimus, furere non desistunt, in me„moriam revocet.“

Perspicuum igitur ex his est, quum memoria damnabatur, a subscriptionibus & publicis tabulis nomina expungi. Quamvis enim eo tempore, quo recepit imperium Zeno, & constitutiones edidit, consul Basiliscus fuerit cum Armatio; attamen Basilisci nomen in constitutionum eo tempore editarum subscriptionibus ideo præteritur, quod eius memoriam Zeno damnaverat. Multo igitur minus hæreticorum nomina, quorum memoria damnata etiam est, sunt conservanda in titulis & inscriptionibus librorum, sed potius omnino ex-

pungenda: nam librorum inscriptiones *tituli* dicuntur, quasi *tutuli*, quod memoriam scilicet factumque auctoris tuentur; quomodo & Festus Pompeius ait, milites præsidiarios dictos esse titulos, quasi tutulos, quod rempublicam tueantur.

Hæretici, teste 1 Clemente Alexandrino, gloriam desiderantes, res novas magna vi persequuntur, adulterant veritatem, & ecclesiæ regulam furantur, propriæ cupiditati & gloriæ inservientes. Adiungit paullo post: *Gloriæ autem tenentur desiderio, qui ea, quæ ex sua natura conveniunt sermonibus divinitus inspiratis, tradita a beatis apostolis & magistris, sua sponte, fallaci sapientiæ simulatione corrumpunt per alias tractationes, ut hæresim constituant: quæstiones vero, quæ nimio sui amore laborant, & sunt ambitiosæ & cupidæ gloriæ, sunt hæreses eorum, qui non didicerunt quidem, neque vera acceperunt, sed sibi cognitionis sumsere persuasionem.* Quod 2 S. Augustinus confirmat: *Hæretici*, inquit, *alicuius temporalis commodi, & maxime gloriæ principatusque gratia falsas ac novas opiniones vel sequuntur.* Idem 3 S. Xystus: *Subtiliter eos per gloriæ cupiditatem diabolus ludit, & peccandi eis geminat occasionem, ut dum indebitam doctrinæ famam aucupantur, peccata defendant: in quibus ambitionis & gloriæ tanta est vis & amor, ut eam nec cælestis & perpetuæ beatitudinis labefactare spes queat, nec horribilis & infinita gehennæ valeat formido destruere.* 4 Optatus Milevitanus multa narrat de fastu & adrogantia Donati: *Exaltatum*, inquit, *est cor eius, ut sibi iam non homo, sed deus fuisse videretur: denique in ore populi raro est appellatus episcopus, sed Donatus Car-*

tha-

1 Clemens Alex. lib. 7. *Stromat.*
2 Augustinus lib. de *utilit. cred.* cap. 1.
3 Xystus *de mal. doct.*
4 Optat. lib 3. *ad Parmen.*

thaginis dicebatur, quasi plus esset ipse, quam ceteri. Quibus adiici potest, quod Donatistæ iactabant, Deum de cælo respondisse oranti Donato, ut scribit S. Augustinus, & angelum apparuisse, qui eius sectam commendaret, ut idem 1 S. Augustinus refert. Illud quoque adiiciendum videtur, Donatum sibi adrogasse principatum Carthaginis; quod 2 Hieronymus adnotat; & tandem Carthagine pulsum fuisse. Narrat 3 Sulpicius Severus, Priscillianistas per nomen sui Priscilliani iurasse. De adrogantia, ambitione & impudentia Paulli Samosateni multa referunt patres concilii Antiocheni in 4 epistola de eius damnatione. Atque ob hanc caussam sanctus 5 apostolus volens fidei unitatem Philippensibus persuadere, admonet eos, ab omni inani gloria abstinere, quod hanc plurimum fidei unitati nocere posse intelligebat: *Vnanimes*, inquit ille, *id ipsum sentientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam.* Qua in re adeo cum sophistis conveniunt, ut nihil sit unum uni tam simile, tam par, quam hæretici & sophistæ omnes inter se ipsos sunt: par est enim ostentationis & gloriæ cupiditas & admirabile studium; similis improbitas, & mirifica perversitas; eadem impudentia, atque callida & intoleranda audacia. Quod perspicuum fiet, si Platonem in *Prothagora* & *Sophista* attente consulas. Sophistas enim censet iactabundos, temerarios, ambitiosos & fallaces philosophorum æmulatores; qui veritatem minime quærunt, sed opinionem adfectant. *Sunt*, inquit, *quasi disciplinarum mercatores & caupones, undique opiniones varias absque delectu congregantes, ut deinde adolescentibus vendant, divitiarum & inanis gloriæ gratia: neque umquam*

ha-

1 Aug. *tract.* 13. *in Ioannem.* Idem *epis.* 165.
2 Hieron. in *Chron.*
3 Sulp Severus in *Histor.*
4 Euseb. lib. 7 *Hist. eccles.* cap. 26.
5 Ad *Philipp.* 2.

habent pensi, utrum vera, vel bona; an contra, aut ipsi discant, aut alios doceant: sed & confundunt, & passim errores effundunt quotidie plurimos, nulla prorsus recti verique habita ratione, modo & divitias cumulent, & vulgarem gloriam consequantur. Hippias vero Eliensis nobis exemplo esse potest, quem Plato graviter & suaviter, ut solet, exagitat. Idem docuit M. T. Cicero in *Academ. quaest.* lib. II. Quum igitur omnibus hæreticis insita sit inanis gloriæ temeraria effrenataque cupiditas, & propagandi nominis flagitiosa & perdita libido, qua misere exagitati non verentur omnia immutare, miscere, dissipare, longam ut sui memoriam conservent, qua etiam de caussa omni laborant conatu, infinita scriptorum & voluminum genera quotidie conficiunt, commentarios, opuscula, tractatus, collectanea, progymnasmata, bibliothecas, historias, chronica, paradoxa, apologias, epistolas, præfationes, argumenta, coronides, appendices, corollaria, paratitla, glossemata, adnotamenta, scholia, castigationes, observationes, censuras, antidotos, prolegomena, partitiones, sacrorum librorum translationes, impressiones, milleque alia impudentissimæ temeritatis opera, quibus suum nomen cum magnificis titulis, qui teste 1 Hesychio insignis sunt memoria vanitatis, inscribunt, ut alios in sui nominis admirationem trahant; sicque his fraudibus multi decepti in eorum nomine adquiescant. Propterea censerem eorum nomina delenda, ut videlicet illud, quod per librorum editiones tam impotenter nomen celebre concupiscunt, non adsequantur; sed eam, quam malis artibus laudem comparare student, nominum litura adimamus; tum etiam cæcam illorum & incensam scribendi cupiditatem comprimamus, ac debilitemus, & omnem occasionem edendi libros ab eorum ani-

1 Hesych. Levit. 26.

animis eripiamus. Nemo sane hæreticus homo erit, qui in ea re defatigetur, ex qua nullum nomen sit ad memoriam remansurum: horum enim natura, solatio quodam sui caduci & fragilis exitus excogitato, sui memoriam imaginum monumentis, picturis, librorum editionibus, nominum suorum egregiis inscriptionibus, præclarisque titulis, quasi litteris maiusculis in tabulis quadratis & columellis, ut olim, incisis, tamquam immortali honoris claritate nititur illustrare. 1 *Addat ergo eis dominus mala, addat mala gloriosis terræ, & gloriam eorum in pulverem deducat.*

In librorum expurgationibus id semper prudenter & religiose a viris catholicis servatum est, ut hæreticorum laudes & encomia deleantur: at ego non video maiorem laudem & commendationem hæretico homini tribui posse, quam quod ecclesia hæreticorum libros, qui de religione non disputant, permittens, eorum nomina in titulis conservet, & cum honore præclaro ad posteros transmittat: sic enim videbitur quodammodo tuba altius insonare famam celebritatemque nominum eorum, ut in oculis omnium eorum nomina vivant, & clarissima luce fruantur; quum tamen obscura & incognita in tenebris delitescere, & tamquam improbata abiecta sine honore misere in sordibus iacere, & crassa occultata & circumfusa caligine latere debeant. Ne igitur honorem aliquem in ecclesia domini, cui tam maledice & contumeliose detrahunt, habere videantur, neve eorum commemoratione catholicorum venerandi conventus offendantur, eorum nomina delenda putarem. Titulum autem habere in operibus publicis, quam honorificum sit & gloriosum, constat ex 2 Strabone, qui ex Artemidoro refert, post mulierum ornamenta, multasque opes ad templi Dianæ refectionem collatas post incendium ab Herostrato factum,

Ale-

1 Isai. 26. secundum 70. 2 Strabo lib. 14. Geograph.

Alexandrum & factas & futuras impensas ad perfectam templi structuram pollicitum, dummodo ipse titulum in eo haberet: & quum idem Alexander Thebanorum moenia diruisset; Phryne impudica mulier pollicita est, de suis impendiis reposituram, modo cives paterentur, hunc insculpi titulum: Ἀλέξανδρος μὲν κατέσκαφεν, ἀνέστησε δὲ Φρύνη: id est, *Alexander quidem subvertit, sed Phryne restituit*. Atque hinc factum esse existimo, ut titulus pro laude & dignitate ponatur: 1

At tua prosequimur studioso pectore, Cæsar,
Nomina, per titulos ingredimurque tuos.

Si nomina hæreticorum in libris, qui de religione non disputant, conservanda essent, vel id fieret, ne si incerto auctore prodirent, alio ex capite damnata censerentur, vel ut auctorum nomina his, quæ in libris docentur, auctoritatem fidemque tribuerent: at nihil horum obstare video. Nam in præfatione *Indicis* librorum R. P. Franciscus Forerius deputationis secretarius aperte testatur, non omnes libros, qui nomen auctoris non præferunt, damnandos, sed iudicio episcoporum & inquisitorum una cum theologorum catholicorum consilio id relinquendum. Vides igitur nihil esse incommodi, quod huiusmodi libri sine auctoris nomine publica auctoritate permittantur. Quod vero ad rerum, quæ in libris tractantur, fidem auctoritatemque spectat, quam ab scriptorum nominibus] sæpe habent, non est, quod immoremur, quum hæretici tam infames sint, ut fere nulla in re fidem facere possint, nullumque exercere munus, quod bonam fidem exigat: eorum siquidem nec testimonium, nec patrocinium admittendum est, quum testis adeo innocens integerque esse debeat, ut fide careat, si ei bona vita defuerit: 2 *Non enim potest iustitia cum scelerato homine habere commercium*. Hæreticus

1 Ovid. libro 2. *Fastor.* 2 Greg. IX. ex Isidoro.

cus igitur, qui falsum dedit de fide catholica testimonium, iuste præsumitur de quavis alia re falsum dicturus. *A mendace*, inquit 1 Ecclesiasticus, *quid verum dicetur?* quibus verbis aperte docet, non esse habendam fidem homini mendaci. Nulla igitur in re fides adhibenda hæretico, quia semel in gravissimo & perniciosissimo mendacio est deprehensus. Et vir catholicus a perfidioso hæretico, fideique violatore nefario veritatis testimonium sumere nec potest, nec debet: non enim veritas ita prostituenda est, ut sub spurcissimis nefandissimisque hæreticorum nominibus enuntietur, quasi ab his aliquid sibi ponderis & auctoritatis accedere possit. Si scire autem desideras, qui dicantur infames, audi 2 Stephanum Rom. Pont. gloriosissimum martyrem in epist. I. ad Hilarium episcopum: *Quod vero consuluisti sedem apostolicam, qui sunt infames, aut qui ad gradus ecclesiasticos non sunt admittendi; & nosse te credimus, & pro auctoritate sedis apostolicæ te informare non denegamus. Infames autem esse eas personas dicimus, quæ pro aliqua culpa notantur infamia, id est, omnes, qui christianæ legis normam abiiciunt, & statuta ecclesiastica contemnunt: similiter fures, sacrilegos, & omnes capitalibus criminibus irretitos: sepulcrorum quoque violatores: & apostolorum atque successorum eorum, reliquorumque patrum statuta libenter violantes: & omnes, qui adversus patres armantur*, cet. Idem Stephanus PP. epist. II. *Nullus anathematizatorum suscipiatur, nec a quoquam credantur, quæ ab eis dicuntur, vel conscribuntur: eos dico anathematizatos esse, quos episcopi suis scriptis anathematizaverunt; aut eorum statuta anathematizant*. Pius PP. epist. I. *Si quis vero a suo proposito retrorsum exorbitaverit, & iussum apostolicæ sedis libenter transgressus fuerit, infamis efficitur.*

1 Eccles. 34. tom. 1. *Concilior.*
2 Steph. Rom. Pont. epist. I.

IMPP. ARCADIVS ET HONORIVS AA.
IVLIANO PROC. AFRICAE.

„ Hæreticos competenti conſtituimus auctoritate per„ celli, quatenus evidenti præceptione ſe agnoſcant per„ petua inuſtos infamia, a coetibus honeſtis, & a con„ ventu publico ſegregandos." Quod etiam confirmant verba concilii 1 Toletani: „ Qui in fide Chriſti ſuſpe„ cti ſunt, in teſtimonio humano dubii habentur: in„ firmari oportet eorum teſtimonium, qui in fide fal„ ſi docentur: nec eis credendum, qui veritatis a ſe „ fidem abiecerunt." Et multis etiam legibus ſancitum eſt, infamis & inteſtabilis pacta, conventa, contractus, tabulas, codicillos, teſtamenta, ſine ulla iniuria infirmari, rumpi & reſcindi, ſtatuas deturbari, terra obrutos erui, monimenta everti debere, nullaque ratione in iudicio cum famoſo ſacramento contendendum, quia infami non defertur. Idem ſane ius, quod in aliis infamibus valet, hæreticis omnium ſcelerum maculis fediſſimis eſt conſtitutum. Quare abſque dubio non ſolum eorum codicilli reſcindendi ſunt, ſed etiam nomina ubicumque fuerint, expungenda, ne quis ex eorum nominibus teſtimonia ſumat; quod plane licere videretur, ſi id, quod dignitatis gratia doctores egregii ſuo iure ſibi vindicare ſolent, etiam modo hæreticis permittatur: etenim hic honos doctoribus bene de eccleſia meritis defertur, ut non ſolum nomina ſuſpiciamus, ſed etiam eiſdem noſtram ſententiam tueri poſſimus. Foveremus ergo hæreticorum ineptias, & genimina viperarum aleremus, ſi eorum nomina in ſcriptorum titulis conſervaremus. Item, hæreticorum libri ſtatim ſunt infames, quemadmodum & eorum filii ipſo iure etiam in-

1 Tolet. IV. cap. 68.

infames censentur; quia sicut parentum gloria & nobilitate filii gaudent, ita ratio postulat, ut ignobilitatem, dedecus & infamiam in se ipsis sentiant: *Gloria filiorum*, inquit [1] Salomon, *parentes eorum*. Nec tantum hæreticorum nomina nullam fidem dant libris, in quorum titulis collocantur; quin potius illam maxime minuunt: nam sicut dignitas viri plerumque dicto, quamlibet frigido & ieiuno, pondus addit & auctoritatem; ita bonas plerumque sententias, tantum quod auctorum sint non bonorum, reiici videmus. Sic Aeschines dixit, auctore [2] Gellio, in oratione, qua Timarchum de impudicitia accusavit; quod quum maxime ad rem nostram faciat, referre non pigebit: *Populus Lacedæmonius de summa Reip. suæ quidnam esset utile & honestum, deliberabat; tum exsurgit sententiæ dicendæ gratia homo quispiam turpitudine pristinæ vitæ defamatissimus, sed lingua tunc atque facundia nimium quanto præstabilis. Consilium, quod dabat, quodque oportere fieri suadebat, acceptum ab universis & complacitum est; futurumque erat ex eius sententia populi decretum. Ibi unus ex illo principum ordine, quos Lacedæmonii ætatis dignitatisque maiestate tamquam arbitros & magistros disciplinæ publicæ verebantur, commoto, iratoque animo exsilit: &* „Quænam, *inquit*, „Lacedæmonii ratio, aut quæ tandem spes erit, urbem hanc, & hanc Rempub. salvam inexpugnabilemque esse diutius posse, si huiusmodi anteactæ vitæ hominibus consiliariis utemur? Quod si proba isthæc & honesta sententia est; quæso vos, non sinamus eamdem dehonestari turpissimi auctoris contagione." *Atque ubi hoc dixit, elegit virum fortitudine atque iustitia præter alios præstantem, sed inopi lingua & infacundum: iussitque cum consensu petituque*

[1] Proverb. 17. [2] Aul. Gellius lib. 18. cap. 3.

omnium eamdem illam sententiam diserti viri cuiusmodi posset verbis dicere, ut nulla prioris mentione habita, scitum atque decretum populi ex eius unius nomine fieret, qui ipsum denuo dixerat. Atque ita, ut suaserat prudentissimus senex, factum est. Id ipsum scribit Plutarchus libro *Politic.* qui alio loco refert, legem apud Græcos exstitisse, per quam libri scelestorum hominum, etiam boni, iubebantur tolli e medio, ut auctorum memoria deleretur: tantum ubique auctoritatis & probitatis opinio habet momenti. Quare hæreticorum opera tamquam infamia non sunt citanda neque in synodis, neque in inquisitionibus, neque ubicumque iudicium fiat de iis, quæ ad religionem, pietatem, & scripturæ sanctæ doctrinam pertinent: sicque neque Eusebii, neque Origenis, neque magistri eius Clementis Alexandrini, neque Tertulliani liber ullus, quantumvis bonus, in synodis umquam sive Græcorum, sive Latinorum citatus reperitur; & eodem, ut existimo, consilio factum est, ut nulla Origenis homilia, quantumvis docta & pia, in *Breviario* reformato S. M. Pii V. legatur.

Si iustissime sanctissimæ leges censuerunt, ut filius propter parentis hæresin puniatur in bonis; quare libri, qui sunt veluti quidam hæreticorum partus tenere dilecti, & vivæ animorum imagines, in quibus prolem & speciem suam, ut ita dixerim, propagant, non punientur in titulis, in quibus hereditarium nomen & successionem suam conservant? Sua enim poemata, teste 1 Aristotele, supra modum amant poetæ, & adfectum in ea tamquam in liberos induunt paternum: amat enim suum quisque opus vehementer. Adde, quod, quum per crimen hæresis pater in filios dominium amittat, iusque patriæ potestatis solvatur, & sui iuris filii efficiantur, qui alioqui subditi essent; certe dum li-

1 *Ethic.* cap. 7.

libri suorum auctorum nomina præferunt, adhuc in eorum potestate se esse ostendunt: a qua tunc liberati omnino esse videbuntur, quum, deletis scriptorum nominibus, tantum earum rerum, quas tractant, inscriptionem habebunt.

1 Illa est poena peccati iustissima, ut in eo vitio unusquisque plectatur, in quo deliquit; atque ut amittat illud, quo bene uti noluit, quum sine ulla difficultate posset, si vellet: quod Salomon in libro illo *Sapientiæ*, cuius scopus est iudiciorum reformatio, ut magistratus suis subditis bene præsint, gravissimis verbis docuit: 2 *Quod quidam*, inquit, *errantes colebant mutos serpentes, & bestias supervacuas, immisisti illis multitudinem mutorum animalium in vindictam ut scirent, quia per quæ peccat quis, per hæc & torquetur*. Hinc, teste 3 sancto Cypriano, *quia dives ille peccator, qui de Lazaro in sinu Abrahæ posito, atque in refrigerio constituto implorat auxilium, quum in tormentis cruciabundus flammæ cremantis ardoribus aduratur; inter omnes corporis partes magis os eius & lingua pœnas dat: quia plus scilicet lingua sua & ore peccaverat*. Impii vero nostrorum temporum hæretici in titulis & librorum inscriptionibus maxime deliquerunt: quare iuste in iisdem puniri debent atque torqueri. Hi enim, ut ecclesiæ & doctrinæ catholicæ sanctum nomen obscurarent, aut quoquo modo exstinguerent; titulorum & inscriptionum omissione, mutatione, transformatione, detractione & fictione potissimum usi sunt, ut his machinis & fallaciis, quas eorum perversitas per vim comparaverat, ecclesiam Romanam, adversus quam nec portæ inferi prævalebunt, evertere conarentur: ut enim hæresibus suis fidem ex auctoritate insignium aucto-

1 Cicero lib. 3. *de nat. deor.*
2 *Sap.* cap. 11.
3 Epistola 3.

ctorum conciliarent, libris nefariæ doctrinæ ab exsecrandis sectarum suarum ministris editis, & ecclesiastica censura damnatis imposuerunt plausibiles catholicorum patrum inscriptiones & gratiosos titulos, nomina & cognomina; hoc nimirum imposturæ genere adlicientes ad se avidos & incautos lectores, quibus pro ambrosia & nectare fæces & excrementa, pro remediis & antidotis letifera venena melle prælita venditarent, & his illusa lectorum simplicitas hæreseon venena biberet sine ulla suspicione periculi. Sic proximis annis perniciosum Calvini opus emiserunt sub nomine *Alcuini* præceptoris Caroli Magni ad eumdem Carolum Augustum. Hunc in modum transformarunt Henrici Bullingeri librum contra visibilem ecclesiam in librum S. Athanasii *de vera & pura ecclesia*: Buceri opusculum mentita inscriptione Ioannis episcopi Roffensis *de misericordia Dei*. Consimili fraude conciones Italicas Bernardini Ochini apostatæ & hæretici verterunt in conciones Thomæ ordinis prædicatorum, episcopi Iustinopolitani. Eodem dolo epistola quædam hæretici hominis, & cælibatus hostis ad Nicolaum primum inter orthodoxographa Basileæ excussa prodiit, sanctissimo Hudalrico episcopo Augustano falso & impudenter adscripta, quam merum esse figmentum doctissime Faber Augustanus, [1] Frid. Staphylus, [2] Claudius Espencæus, & [3] Alanus Copus demonstrarunt, etiamsi auctor quinque librorum *de sacrorum hominum continentia* temere admiserit. Neque hoc novum est apud hæreticos fallendi genus, quum idem etiam olim sæpe fecerint. Ita Pneutomachi hæretici, ut Ruffinus [4] scribit, qui Spiritum sanctum blasphemabant, libellum Tertulliani *de fide Trinitatis* male sentientem sub Cypriani martyris nomine multis propagatum co-

di-

1 *Contra Illyricum.*
2 Claud. Spenc. in lib. *de cœlibatu.*
3 Dialogo v. M. M.
4 In *Apolog. pro Orig.*

dicibus vendiderunt parva æris summa, ut eum emtores & viri amplitudine & pretii exiguitate illecti, libentius emerent, & latentes errores amplecterentur ceu dogmata sacra auctoritate tanti martyris comprobata. Sic quondam, uti 1 Evagrius prodidit, Nestoriani & Eutychiani scripta Apollinarii, unde suarum deceptionum semina acceperant, sub Athanasii magni attitulatione ediderunt, quo facilius eo luminis splendore catholicorum oculos perstringerent. Tandem audi D. Hieronymum in apologia adversus Ruffinum: *Sex libros Eusebius Cæsariensis episcopus, Arianæ quondam signifer factionis pro Origene scripsit, latissimum & elaboratum opus, & multis testimoniis approbavit, Origenem iuxta se catholicum, id est, iuxta nos Arianum esse. Horum tu primum librum vertis sub nomine Pamphili martyris, & hoc agis totis viribus, ut cuius fidem martyr probat, ecclesia non refutet.* Constat igitur, in librorum titulis & propriorum nominum appellationibus hæreticos contra ecclesiam maxime peccare: in iisdem ergo puniantur, ut noxæ par similisque respondeat poena; & qui in titulis vincere sperabant, in titulis vincantur; & qui doloso & ementito inscriptionum nomine alios decipere intendebant, in titulis torqueantur; & in eos laqueos, quibus nos irretire & tenere conabantur, iusto iudicio incidant. 2 Lacum aperuerunt & effoderunt; foveam fecerunt, in eam cadant: convertaturque dolor in capita eorum, & in vertices ipsorum iniquitas eorum descendat. Iisdem machinis, quibus nos stantes primo perculerunt, eos labefactemus & evertamus; & qui titulorum mutationis, detractionis, & transformationis primi architecti exstiterunt, suo ipso invento pereant; & malum, quod in nos machinati sunt, idem in se, sicut merentur, experiri, ut Perillus Atheniensis, cogantur:

1 Hist. eccl. lib. 3. 2 Psal. 7.

tur: qui, teste 1 Plinio, ut Phalaridi Agrigentinorum tyranno post hominum memoriam crudelissimo placeret, ex ære taurum artificiosissimum fabricavit, cui ianuam in latere posuit, ut quum reus inclusus subiectis ignibus torqueretur, mugitum, non hominis vocem videretur emittere: pro quo opere, quum a tyranno pretium postulasset, in illo ipse includi omnium primus a Phalaride iussus, suppositis ignibus artificii sui verum experimentum præbuit: de quo 2 Ovidius ita cecinit:

Et Phalaris tauro violenti membra Perilli
Torruit, infelix imbuit auctor opus.
Iustus uterque fuit, neque enim lex æquior ulla est,
Quam necis artifices arte perire sua.

Qui suum nomen tanti fecit, tamque ardenter & impudenter amavit, ut ecclesiæ catholicæ Romanæ Iesu Christi sponsæ gravissimum & sanctissimum nomen deseruerit, iuste puniri debet sui nominis perpetua exstinctione. In hæreticos enim vere & vehementer eo supplicii genere vindicandum est, quo in caput nostrum temeraria ratione consulunt: nam quis non videt, eis hoc quammaxime esse propositum, ut ecclesiæ auctoritatem imminuant, & illius nomen vel deleant, vel obruant? Ergo pariter referenda gratia est, eorumque nomina, ubicumque fuerint, exsecranda & delenda sunt, ut posthac nulla usquam tantæ turpitudinis auctorum vigeat memoria.

Hæretici, ut testantur 3 SS. Cyprianus & Hieronymus, semper adrogantes & ecclesiæ contemtores exstiterunt, adversus sacerdotes Christi facientes, a cleri eius & plebis societate secernentes, arma contra ecclesiam portantes, contra Dei dispositionem repugnantes, hostes altaris, adversus Christi sacrificium rebelles, perfi-

1 Plin. lib. 34. cap. 8.
2 I. *de arte amandi.*
3 Cypr. *de unit. eccles. cath.*

fidi, sacrilegi, servi inobsequentes, filii impii, fratres inimici, dominicam veritatem profanantes. 1 Quis hæreticorum non in superbiam extollitur? omnes quidem tument, ecclesiæ simplicitatem parvi pendunt, & fidem imperitiam reputant. Tales in novissimis diebus ſuturos esse sanctus apostolus ad 2 Timotheum in spiritu scripsit, quum ait: 3 *Erunt homines se ipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine adfectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, protervi, tumidi, voluptatum amatores magis quam Dei, habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes.* Primo loco posuit apostolus φιλαύτους, *se ipsos amantes*; ut nimius sui amor ſons & origo ceterorum, quæ sequuntur, esse intelligatur: ex quo illa insignis & singularis insolentia, superbia & contumacia hæreticorum nata est, ut sua scripta nullius synodi & concilii sententiis atque decretis subiicere voluerint: sed quum omnibus christianis, id est, cum catholica ecclesia pugnare, cuius iudicio cetera deferenda sunt & committenda. *Iudicium enim synodorum*, ut inquit 4 Leontius, *solutio est dubitationis secundum canones ecclesiasticos utrique parti contendenti: cum quo iudicio qui pugnat, non iam*, inquit, *cum aliquibus personis pugnat, sed cum toto christianismo.* Quum igitur pessime & perniciose sint de ecclesia catholica meriti, non est rationi consentaneum, ut in ea honore, auctoritate, & doctorum dignitate potiantur. Quod quum eorum propria nomina in titulis conservamus, eos honoramus & suspicimus, & ea in re publico consensu magistros & doctores nostros profitemur: quod plane est, ecclesiæ sanctæ hostes enutrire ac fovere, ut insolentio-

1 Hier. super 1. cap. Abd.
2 Tertull. de *præscr.*
3 II. Tim. 3.
4 In libro *contra Acephal.*

res & improbiores insurgant: quare ad fidelium utilitatem & tutelam pertinere videbitur, si hos calamos phaĉtas hoc honore & dignitate privemus: sic enim digitorum nervos incidemus, ne amplius scribere valeant.

Docuit S. Ioannes in II. *Epistola catholica*, hæreticum hominem non esse salutandum, nec *Ave* ei dicendum; qui enim dicit ei *Ave*, communicat operibus eius malignis; idque ex eo, ut orthodoxi patres interpretati sunt, quia salutare venerari est: salutatio enim in scripturis honoris exhibitio, & dignitatis testimonium est, ut: 1 *Descendimus ad salutandos filios regis & filios reginæ*: &: 2 *Pharisæi & Scribæ salutationes in foro amare arguuntur*. Est etiam mutuæ pacis & amicitiæ signum, ut: 3 *Egressus Moyses in occursum cognati, adoravit & osculatus est eum; salutaveruntque se mutuo*: & 4 *Egressus est Saul obviam Samueli, ut salutaret eum.* 5 Didymus: *Communicat*, inquit, *operibus eius pravis: quia, qui recte confitentur & scribunt de fide, non tamen eos, qui male scribunt, reiiciunt ac devitant; se ipsos suspectos reddunt, quod illis adsentiantur.* Sic existimo intelligendum esse, quod hæreticos salutare est eos venerari & observare, id est, salutare hæreticos, suspectum reddit salutantem, quod eos veneretur & observet. 6 Clemens Alexandrinus, quem 7 Cassiodorus testatur in catholicas epistolas scripsisse, sic ait hunc locum interpretans: *Arbitror autem, quia & orare cum talibus non licet; quoniam in oratione, quæ fit in domo, & postquam ad orandum surgitur, salutatio est, quæ gaudium est & pacis indicium.* 8 Beatus Ignatius videtur etiam interpretari hunc locum in epistola ad Smyrnenses, quum loquens de hæreticis: *Decet*

1 IV. *Reg.* 10.
2 Matth. 23.
3 *Exod.* 18.
4 I. Reg. 13.
5 Didymus in *Conc. Græc.*
6 In con. M. S.
7 Cassiodor. lib. *de Instit. div. litt.*
8 In epistola ad Smyrnenses.

cet, inquit, *abstinere ab eis: & neque privatim, neque communiter de eis, sive pro eis loqui; sed attendere legem & prophetas, & præcipue evangelium*: ut iam communiter, vel privatim salutare hæreticum, nihil aliud videatur esse, quam de hæretico privatim, vel publice, loqui favendo ei: privatim enim & publice, sive communiter salutare aliquem, genus quoddam est approbandi illum. Vnde [1] Optatus Milevitanus *contra Donatistas*, qui præcipiebant suis, ne *Ave* dicerent non communicantibus cum ipsis: *Dixit*, inquit, *hoc apostolus de hæreticis, quorum cœperat illis temporibus vitiosa esse doctrina, qui subtili seductione verborum, morbis obscure serpentibus corrumperent fidei sanitatem, ut Marcion*, cet. Vsque in hodiernum diem hoc servatur, ut ab hæretico non liceat litteras accipere, neque ad eos dare: in litteris enim acceptis, vel redditis salutatio fit.

Dum vero hæreticorum nomina propria in titulis retinemus, eos quodam modo salutamus, amplectimur, osculamur, & hoc solo nomine maxime veneramur: quare quum omni prorsus veneratione & honore privari debeant, adeo ut in eorum singulos apte quadrare possit illud, quod in Pisonem dixerat M. Tullius: *Quis enim te aditu, quis ullo honore, quis denique communi salutatione dignum putet*? certe eorum nomina damnanda ex titulis statuerem. Iam, teste [2] Alexandro, apud Græcos si qui præcipua dignitate & honoribus fulgerent, illos propriis salutare nominibus decorum videbatur: & apud Romanos id longe præstantissimum fuit, suis nominibus quemque revereri & salutare, salutantibusque reddere salutem: ideo nomenclatorem, qui nomina suggereret, habuere; si autem nomen non succurreret, illum honoris caussa *Dominum* appellabant. Et Crassus infimi ordinis homines singulos nominibus semper propriis salutasse di-

[1] Lib. 4. *contra Donatistas.* [2] Alexan. ab Alex. lib. 2. cap. 19.

citur. Quod si apud veteres salutationes propriis nominibus fieri solebant, quid, obsecro, aliud fuit, salutationes hæreticis hominibus 1 sanctum evangelistam prohibuisse, quam propriorum nominum appellationes tamquam perniciosas & periculosas interdixisse?

Nomen, teste festo Pompeio, idem est ac *novimen*, eo quod notitiam faciat: ex eo *nobiles* dicuntur, quod omnibus noti, vel eorum nomen divulgatum est. Quod si hæreticorum nomina scriptis retinemus, hi equidem cum gravissimis viris fama certare & nobilitate contendere poterunt, quum pariter eorum omnium nomina scriptis præferantur. Quod si aliquis contendat, eos nobiles non esse, quum sint gravissimis criminibus obnoxii; profecto fateri is debet, eos nominandos non esse, quum a *nomine* nobilitas ducat originem: ut illorum comprimamus audaciam, tituli, quos honoris caussa adrogare solent, & nomina, quæ eorum induunt sectatores, expungenda & exstirpanda sunt spinarum more, quæ igne absumuntur, ut 2 David testatur: *Prævaricatores*, ait, *quasi spinæ evellendi*, *non manibus*, *non blanditiis*, *sed ferro*, *ligno lanceato*, *& igne succendendi*, *donec ad nihilum comburantur*, id est, ne ullum umquam tempus flagitii prodat auctorem. At ad nihilum alia ratione redigi non possunt, nisi ex hominum memoria aboleantur: quod alibi imprecatur idem 3 propheta: *In generatione una*, *in primis statim operibus deleatur & opprimatur nomen*, *ne latius eius venenum serpat*. Istud ipsum comminatur 4 Moyses eis, qui abominati sunt Deum, dum ait: *Cessare faciam memoriam eorum ex hominibus*. *Memoria iusti*, teste 5 Salomone, *cum laudibus prosequenda est*: impii vero & li-

1 Ioan. 2. epis. Orig. Clem. Hie. Aug. Conc.
2 II. Reg. 23.
3 Psalm. 108.
4 Deut. 23.
5 Prov. 10.

desertoris nomen vermibus absumendum. Et in quarto libro 1 Regum has gravissimas Iudæis poenas constituit: *Extendam super Hierusalem funiculum Samariæ, & delebo eam, sicut deleri solent tabulæ; & delens vertam, & ducam sæpius stilum super faciem eius.* Et I. Regum 15. præcepit dominus Sauli percuteret Amalechitas: *Dele*, inquit, *omnia*; id est, iuxta verborum vim, *vade, & percute Amalech, demolire universa eius; exscinde quæcumque habet, nec misericordia erga eum movearis, nihil omnino eorum supersit.* Addit rationem: *quia restitit, opposuitque se Israeli populo meo in via, quum adscenderet de Aegypto.* Nulli autem magis Dei populo resistunt, maiusque damnum & detrimentum adferunt, quam hæretici: hi, ut inquit 2 Clemens Romanus, populos ad interitum dirigunt, & ex hæreticorum malitiâ profluxit labes in universam terram; sunt enim seductores & corruptores, partes vulpium, devastatores, quorum opera & studio multorum caritas refrigescet. Præcepit etiam optimus Imperator Iosue de Ierichunte urbe: *Sitque civitas hæc anathema, & omnia, quæ in ea sunt, domino.* Vrbem autem esse anathema ex scripturæ phrasi est, eam prorsus deleri, perdi, destrui, ac omnino exterminari. Coritas & Rubenitas, atque principes quidem illius erroris & schismatis, qui dixerant contra Moysem: *Eligamus nobis principem ac ducem: terra dehiscens tum eos, tum eorum tabernacula ac supellectilem devoravit*, ut inquit 3 Clemens Romanus; *descenderuntque in infernum viventes, Coritas vero ignis consumsit.* Quare hæretici & eorum tabulæ quum divina & humana sacrilego scelere polluerint, erunt delenda, & nomina, quæ illorum memoriam continent, detestanda: qua poena Pisonem & Gabinium consules, si sa-

1 IV. Reg. 21.
2 Lib. 7. *Apostolic. constit.*
3 Lib. 6. *Apostol. constit.*

sacra profanis miscere fas est, 1 M. Tullius dignos esse iudicavit: *Quos nemo est*, inquit, *qui non modo ex memoria, sed etiam ex fastis evellendos non putet*. Maximianus, teste 2 Eusebio, quum a filio Maxentio in urbe Roma tyrannidem tenente fuisset expulsus, & ad Constantinum tamquam ad generum miserationis caussa confugiens, insidias ipsi, a quo religiose susceptus fuerat, moliretur, in ipsis turpiter deprehensus, turpius perit, ita ut post interitum statuæ eius atque imagines auferrentur, & in ædibus publicis vocabula eius nominis mutarentur. Quod in consuetudine fuisse, Sex. Aurelius Victor retulit in vita Domitiani; qui quum se *Deum ac dominum* dici coegisset, & in omne genus hominum more ferarum grassaretur, senatus radendum illius nomen decrevit, ne huius memoriam anni consequentes exciperent.

3 Hæretici iure omnibus bonis privantur: at in bonis quis dubitat præstantem locum obtinere bonum nomen? quod sane ex animi sententia consequuntur, quum eorum opera humanarum litterarum studiis ornata & perpolita, propria auctorum nomina ostentant, & in animis memoriaque hominum relinquuntur: est enim quodammodo permittere illis statuas pro rostris, ut ita dixerim, cum inscriptione præclara. Adde, quod eadem ratione hæretici omni potestate, iurisdictione & dominio, quod antea habuissent, spoliantur atque denudantur: nomina vero eorum conservata in libris sub ipsorum dominio positos adhuc, & quasi eorum possessionem esse ostendunt: a qua tunc deturbabimus, quum libros, qui iam ecclesiæ facti sunt possessio, ignominiosa dominatione & tyrannide liberabimus: libri enim

Stur-

1 Cicero pro P. Sestio.
2 Euseb. lib. 9. *Eccles. hist.* c. 16.
3 August. contra lit. Petil. lib. 2. cap. 59. & in evang. Ioan. tract. 6. Auth. Gazar. cap. de hæret.

Sturmii iam eius non sunt: quare igitur libri inscriptionibus & publicis titulis eorum esse dicentur, quum re vera non sint?

Ephesii, teste 1 Athanasio, quum credidissent in dominum nostrum Iesum Christum, genuinam habebant in ipsum fidem, & in omnes sanctos dilectionem, cupiebantque a S. Paullo confirmari: quod ubi cognovisset, scribit ad eos epistolam, in qua agit de laudibus constantiæ in retinenda vera fidei catholicæ doctrina: multaque salutaria tradit documenta, ut in ea, quam semel imbiberant, fide, domini dono perseverare possent. Inter multa vero illud prætereundum non est, quod cap. 5. scribit: 2 *Fornicatio autem & omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos; aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas*, cet. Turpe iudicabat sanctus apostolus, res malas, turpes & obscoenas inter christianos referre. Hæretici vero omnium maxime fornicantur, qui a Dei vera & sincera religione deficiunt: multis siquidem 3 prophetarum testimoniis constat, a divina fide defectionem *fornicationem* vocari: quod si fornicatio nominari non debet, neque etiam illi, qui nos ad fornicandum inducunt: quam ad rem hæretici conferunt, qui magno Reip. detrimento homines ad talia flagitia committenda urgent & instigant, in quos apte videtur quadrare illud 4 Ezechielis: *Multiplicasti fornicationem tuam, & fecisti omnia opera mulieris meretricis & procacis: fabricasti lupanar in medio omnis viæ, & excelsum tuum fecisti in omni platea: nec facta es quasi meretrix fastidio augens pretium, sed quasi mulier adultera, quæ super virum suum inducit alienos. Omnibus meretricibus dan-*

tur

1 In *synopsi*.
2 Ephes. 5.
3 Orig. Matth. 16. Hie. Ose. 2. Amos 7. Ezech. 16. Isai. 1. Ier. 3.
4 Ezech. 16.

tur mercedes, tu autem dedisti mercedes cunctis amatoribus tuis: & dona donabas eis, ut intrarent ad te undique ad fornicandum tecum. Dabo te in manus eorum, qui destruent lupanar tuum, & demolientur prostibulum tuum: & denudabunt te vestimentis tuis, & auferent vasa decoris tui: & derelinquent te nudam, plenamque ignominia: & adducent super te multitudinem, & lapidabunt te lapidibus, & trucidabunt te gladiis suis, & comburent domos tuas igni, cet. Vbi [1] Hieronymus: *Fornicamur, quando deserentes ecclesiam, hæreticis iungimur, & ædificamus lupanar nostrum in capite omnis viæ, quibus præcipit sermo divinus*: [2] „State in viis, & quærite semitas domini sempiternas; & videte, quæ sit via „bona, ambulate in ea:" *Moysi videlicet, Iesu, Iudicum, & Regum libris, Esaiaque & Hieremia, & aliis prophetis. In omnibus viarum principiis fabricatur lupanar suum, qui ad perversitatem doctrinæ testimoniis male abutitur scripturarum, & dicit: hæc ait Esaias, hæc dicit Osee, hæc loquutus est Moyses, hæc Daniel: & pulchre non in mediis viis, nec in viarum terminis ponit lupanar suum, sed in principio; si enim ad scientiam & profunda divinorum venerit librorum, errare non poterit. Excelsum quoque suum, sive basim facit in omni platea, ethnicorum se & impiorum lasciviæ vitiisque permittens, etiam inter ipsos hæreticos, quum ab eis fuerit deturpata, non habens gratiam, sed patens contemtui: quia facile præteritam fidei perdidit castitatem.* Hæc ille. Quare mirandum non est, si hæreticorum nomina delenda, & nulla prorsus ratione nominanda iudicemus. Romani adeo malarum & turpium rerum memoriam soliti erant detestari, ut ne mortem quidem, teste Plutarcho, nominare auderent, rati hac acerbissima recordatione animi curam molestiamque omni-

1 Ezech. 16. 2 Ierem. 6.

minibus exhibere. Hanc eamdem consuetudinem in dilapidandis hæreticorum nominibus observandam esse censerem, quum acerbissimum & deplorandum mortis genus in homines pretioso Iesu Christi sanguine redemtos intulerint. Ergo si nominari non debent hæ pestes, quæ nostris corporibus detrimentum pariunt, multo minus debent hæreticorum nomina scriptis exarata retineri, quorum vel nuda recitatio tentatio quædam est, adsensionis captatio, & fornicationis errorisque in fide quasi inductio.

Atticus ille episcopus, qui, teste 1 Nicephoro, summa prudentia ecclesiam Constantinopolitanam administravit, & continua doctrina populum ad studium virtutis excitavit, navale, quod ad angustias Euxini ponti non longe a transitu situm veteres φαρμακέα, id est, *veneficum*, appellarunt, quod ipse ibi conventus cogeret, ne locus is infamem obtineat appellationem, nomine mutato 2 Θεραπείαν, hoc est, *curam*, seu *culturam* vocavit. Quum igitur libri sint veluti loca quædam amænissima rerum gestarum vestigiis illustrata, præteritorum iucunda memoria, & futurorum circumspecta prudentia nobilitata, ad quæ ecclesiæ sapientissimi & religiosissimi quique sæpisssime summa cum honestate & utilitate conveniunt; cur patiemur infamem appellationem obtinere? quam certe obtinent, quum hæreticorum turpissima nomina conservant. Ea igitur aut mutemus, aut exstinguamus omnino ad pulchram tanti pontificis imitationem.

Laudantur Ephesii, quod severissimis edictis 3 caverint, ne quis umquam Herostratum nominaret, neque illius nomen in historias referret, quod Dianæ templum propterea suis manibus incenderat, ut ea ex re

Cccc no-

1 Lib. 14. *eccl. hist.* cap. 26.
2 Idem eodem lib. cap. 24.
3 Strabo lib. 14. *Geogr.*

nominis immortalitatem sibi compararet: cuius nominis memoria exstincta plane fuisset, nisi Theopompus id vulgasset; aut novitate rei adlectus, ut plus ceteris sapere videretur, nomen tale finxisset. Quum igitur hæretici ecclesiam sanctissimum Dei templum evertere & incendere totis viribus laborent, & seditionis funestas faces in Iesu Christi regnum immittant; videtur sane rationi quam maxime consentaneum, eorum nomina omnino delere.

Antiquorum religione institutum fuit, Gallos, eviratos quippe sacerdotes, deorum matri ministrare perpetuæ eius servituti addictos; quod qui patris, matrisve nomen violaverant, eo supplicio damnandi viderentur, ne possent ipsi umquam fieri parentes; in qua sententia fuisse [1] Lucretium, hæc eius carmina declarant:

Gallos attribuunt, quia numen qui violarint
Matris, & ingrati genitoribus inventi sint,
Significare volunt indignos esse putandos,
Vivam progeniem qui oras in luminis edant.

Quum igitur hæretici sanctissimæ matris ecclesiæ nomen violare voluerint, & peccati servi quum sint, libertatem promittentes effecerint, ut filii parentibus & maioribus disciplinam, quam ad cohibendam carnem acceperant, repudiaverint, factique fuerint ingrati & *ἀνόσιοι*, id est, *impii*; certe tales merito exsecandi & evirandi sunt, hoc est, exspunctis & castratis eorum nominibus, quibus viriliter exsultant, & quibus parentes fiunt, dum discipulos tamquam filios generant, & de suo nomine appellitant, perpetuæ ecclesiæ servituti damnandi sunt; ut ei suis scriptis & laboribus, si quid boni eorum industria & ingenio partum est, adiumentum & subsidium adferant.

Athe-

[1] Lucret. *de rerum nat.* lib. 2.

Athenienses, teste 1 Gellio, nomina iuvenum fortissimorum Harmodii & Aristogitonis, qui libertatis recuperandæ gratia Hyppiam tyrannum interficere adorsi erant, ne umquam servis indere liceret, decreto publico sanxerunt: quoniam nefas ducerent, nomina libertati patriæ devota servili contagio pollui. Simili exemplo ex contraria specie antiquos Romanos legimus, prænomina patriciorum quorumdam male de Rep. meritorum & ob eam caussam capite damnatorum censuisse, ne cum eiusdem gentis patricio inderentur; ut vocabula quoque eorum desamata atque demortua cum ipsis viderentur. Cur ergo nos patiemur, bonarum & ingenuarum artium illustrissimum nomen in deterrimorum hominum nominibus & inscriptionibus vilescere & exsordescere? cur hæreticorum nomina iam quasi demortua non sepeliemus? & de medio sublata æterna oblivione quasi humo non contegemus? ne ultra per hominum ora cum laude obambulent, & librorum inscriptionibus indantur: non enim doctorum & magistrorum nomen & auctoritas, quam librorum inscriptiones hæreticis scriptoribus adferunt, his deferenda est, ne omnia eorum nomine tamquam contagio polluantur.

2 Manlius Capitolinus, prænomine Marcus, quia in adfectati regni suspicionem venit, damnatus fuit, & de saxo Tarpeio præcipitatus, domus diruta, bona publicata. Gentilitas eius Manlii cognomine iuravit, ne quis postea ex Manlia gente Marcus diceretur. Quare nos non iurabimus, ne ullus in ecclesia liber amplius hæretici cognomine inquinatus vocetur? 3 Herodes Atticus dicebat, dolori sibi & ægritudini esse, quod animalia spurca atque probrosa nomen usurparent sanctissimum philosophiæ, quam in his teterrimis nominibus [illegible] Græc [illegible] philo-

1 Lib. 9. cap. 2. Alex. lib. 3. cap. 26.

2 Plin. *de viris illustr.*

3 Aul. Gell. loco citato.

philosophiæ dignitas nomenque sordesceret: cur ergò nos spurcissima & probrosa hæreticorum nomina, quæ ex titulis cum laude & dignitate pendent, in ecclesia & divina philosophia retinebimus?

Hunc vero antiquissimum in ecclesia morem fuisse, argumento esse potest; quod quum tot hæretici olim fuerint philosophi, medici, mathematici, & in omni humanarum disciplinarum genere exercitati; quumque semper hæretici de more habuerint, sese scriptis & libris ambitiose efferre, & inani ostentatione suas dilatare fimbrias & phylacteria, adeo ut apud doctos & pios in proverbio sit, *Hæreticus est, ergo scribit*; profecto non est dubium, multos libros non ad religionem, sed ad humaniora studia spectantes ipsos conscripsisse; quod quum paucissimi exstent, immo eorum dogmata prorsus nobis incognita essent, nisi sanctorum patrum ea ipsa confutantium cum auctorum nomibus ad nos usque detulissent, consequitur plane, id aliunde accidere non potuisse, nisi ex eo, quod eorum nomina fuerint deleta, & sic omnino exstincta. Ex tanta enim prætergressa hæreticorum multitudine, Manichæorum, Pelagianorum, Marcionistarum, Anabaptistarum, Novatianorum, Donatistarum, Arianorum, Waldensium, Wiclefitarum, Hussitarum, ne littera quidem scripta ad nos pervenit: ut intelligant hæretici, quam inutiliter ad suam ipsorum perditionem schismata & dissensiones seminare conati fuerint. Iuvat etiam meam hanc coniecturam [a] Constantini I. summi pontificis ante annos DCCC. LX. factum: is enim sanctissimus & piissimus pontifex, quem cælitus missum homines arbitrabantur, habita Romæ synodo, Græci Imperatoris Philippici, qui Bardianus dicebatur, & Ioan. Monachi hæresiarchæ errores contra sanctorum imagines & earum usum

[a] Platina *de vitis pont.* Fol. lib. 6. cap. 3.

usum non modo improbat, verum etiam decernit, ut sanctorum patrum imagines, qui sex conciliis ab omnibus probatis interfuerunt, in porticu B. Petri depingerentur: quod quum intellexisset, eas a Philippico e parietibus S. Sophiæ ignominiæ caussa abrasas fuisse, per litteras eum paterne reprehendit, & suaviter ad catholicam fidem revocare conatus est: sed postea quam monitus redire ad sanitatem neglexit, nulla in eo Imperatoriæ maiestatis ratione habita, ceu schismaticum extra catholicæ Romanæ ecclesiæ gremium esse declaravit, atque constituit, ne Imperatoris hæretici nomen publicis scriptis aut privatis in ære, argento, plumbove reciperetur, sed omnino eius memoriam ab omnibus publicis rebus detrahi iussit: ut eius, qui propter hæresim indignum se fecisset, qui aliis Imperatoribus adnumeraretur, nomen quoque in oblivione sepeliret: & quia de caussa fidei omnium gravissima agebatur, æque in eum invectus est, ac si nullo umquam insignitus Imperatorio honore, privati hominis statum non evasisset. Hinc probabile fit, poenam hanc, quam sanctus & prudens pontifex in Imperatorem est exsequutus, iam alias ab aliis pontificibus in privatas personas fuisse decretam; aut saltim eius exemplo simile quippiam sæpe in ecclesia factitatum. Quod si attente etiam Sophoniam prophetam perpendamus, inveniemus hanc eamdem poenam dominum prædixisse falsorum numinum superstitiosarumque sectarum ministris, quorum innumerabilem copiam illa etiam tempora, ventris & otii atque inertiæ caussa genuerunt: nam post impiorum ruinas, & iniquorum ablationes a facie terræ, ex persona domini subiungit propheta: 1 *Extendam manum meam super Iudam, & super omnes, qui habitant Hierusalem: & auferam de loco hoc nomina Baalim, & nomina sacerdotum cum sacer-*

1 Soph. 1. secundum 70. Ibi. Hier.

cerdotibus, *& eos*, cet. Eorum igitur nomina appellationesque varias, atque sectarum collegiorumque distinctiones penitus exstinctum iri, ait dominus. Sed quoniam de Baal fecimus mentionem, perpende attente locum in propheta [1] Osea, qui mirifice nostram hanc sententiam confirmat: ex quo, ut arbitror, nostrorum theologorum illud verissimum pronuntiatum emanavit: *Cum hæreticis nec nomina debemus habere communia.* Locus ita se habet: *Et erit in die illa, ait dominus, vocabit me vir meus, & non vocabit me ultra Baalim: & auferam nomina Baalim de ore eius, & non recordabitur ultra nominis eorum.* Vbi ita D. Hieronymus: *Tantum odi idolorum nomina, ut etiam, quod bene dici potest, propter ambiguitatem & verbi similitudinem nequaquam velim dici: vocabit me vir meus, & non vocabit me ultra Baali; quod significat etiam, vir meus: ne dum aliud loquitur, alterius recordetur; & virum nominans, idolum cogitet.*

Tandem his atque aliis rationibus diligenter attenteque consideratis de hac gravi quæstione sacra illustrissimorum cardinalium ad librorum expurgationem & indicem delectorum congregatio ita faciendum censuit, ut non modo ipsa ageret, sed eas ad S. D. N. Gregorium XIII. Pont. O. M. etiam referret: cuius sanctitas admirabili sua prudentia, parique iustitia & sollicitudine circumspectis rebus omnibus, quæ dubitationem habere videbantur, statuit, in expurgandis libris id diligentissime posthac servandum, ut hæreticorum nomina omnino expungantur: atque ita summo studio faciundum eadem illustrissima congregatio ex decreto sanctissimi nobis omnibus, quibus examinandorum expurgandorumque librorum munus detulit, stricte iniunxit.

Illud vero diligenter in hac disputatione consideran-

1 Cap. 2.

randum est, ne lector imprudens decipiatur; nos nequaquam contendere, hæreticorum propria nomina semper & ubique sine ullo discrimine delenda: immo quum a viris piis & doctis citantur, aut ut eorum dogmata confutentur, aut ut eorum perperam dicta factaque narrentur; aut alio quovis instituto, quod ad eorum ignominiam & vituperationem spectet; aut quod ad ecclesiæ utilitatem, pietatis religionisque incrementum pertineat; omnino volumus integra incorruptaque retineri: sed tunc tantum ea expungenda nostro studio conati sumus probare, quum eorum nominum appellationes ipsis laudem & gloriam deferre posse videbuntur; quales sunt, quæ in titulis suorum operum ponuntur, aut quæ ab scriptoribus cum commendatione & ipsorum encomio temere fiunt.

Sed obiiciunt nobis *Isagogem* Porphyrii, septem *Regulas* Tichonii, & quo magis videantur nos urgere, opera Origenis infinitis erroribus respersa.

Respondeo, huiusmodi opera cum auctorum inscriptionibus & nominibus, immo & erroribus quibusdam permissa, non ea ratione, quod multa alia habeant valde utilia & docta; neque quia iam sit consuetudo, ut legi permittantur: sed quia exstinctæ sunt iam olim hæreses illæ, ut iam neque tales hæreses, neque ipsarum auctorum nomina conservata probabiliter possint nocere ecclesiæ. Etenim nisi exstinctæ essent omnino, sed adhuc viverent, ut vivunt hæreses Lutheranorum; numquam ecclesia catholica legi permitteret, neque nomina conservaret, neque ulla consuetudinis præscriptio in his, quæ saluti nocent, valeret: ut libros quidem Origenis non permitteret ecclesia legi cum erroribus suis, nisi iam diu hæresis Origenistarum exstincta esset, sic enim olim futuris temporibus, quum Deo duce exstincta omnino erit hæresis Lutheranorum, ita ut nullum vestigium reliquum esse videatur, neque suspicio ulla

pe-

periculi, fueritque iam omnis memoria eius deleta, nihil prohibebit, quominus permittat tunc ecclesia, aliquos libros sub eorum nomine circumferri, etiamsi non omni ex parte sint incorrupti. Nunc vero quia hæresis Lutherana, & aliorum sectæ non solum non sunt exstinctæ, sed potius, nostris peccatis ita exigentibus, quotidie vires sumunt, comburendi omnes mali eorum libri; &, si qui sunt boni, suppressis eorum nominibus, permittendi sunt, ne cum laude & commendatione inter nos versari videantur.

Secundo respondeo, quod quum 1 scribendi libros nullus sit finis, infinitaque pæne tot sæculis fuerint scripta & in lucem emissa volumina; hæc, quæ obiiciuntur, & quæ obiici possunt, tam pauca sunt tamque rara, ut si cum iis conferantur, quæ conservari poterant, si permissa fuissent, certe nulla sint. Quare non multum in hac obiectione diluenda laborandum est, quum eorum ratio raritate & penuria exemplorum cadat. Adde, quod in tanta humanarum rerum & temporum varietate, & in tam multis hominum sæculis, annorumque centuriis, & in tam immensa librorum multitudine & copia, & in tanta animorum & ingeniorum adfectione & depravatione, & in obsequendis superiorum præceptis tanta repugnantia & contemtu, vix, ne vix quidem potuit tam accurata diligentia & sollicitudo adhiberi, quin nonnulli ex damnatis auctoribus libri aut malitia, aut ignorantia, aut oblivione, aut negligentia exciderint, & quasi e manibus elapsi fuerint, adeo ut non modo mirabile, sed prodigio simile mihi videatur, quod in tanta rerum perturbatione ex tam multis, immo infinitis, tam pauci supererint.

Tandem, etiamsi omnia admittamus ut obiecta sunt; respondeo cum 2 Innocentio pontifice, non debere re-

pre-

1 Eccles. 12. 2 *De sang. & affin.* cap. *non debet.*

prehenſibile iudicari, ſi ſecundum varietatem temporum ſtatuta quoque varientur humana, præſertim quum urgens neceſſitas, aut evidens utilitas id expoſcit. Idem Artaxerxes in epiſtola, quam pro Iudæis ad regni ſui provincias ſcripſit, quando ab iniqua in Dei populum ira animum revocavit: 1 *Nec putare*, inquit, *debetis, ſi diverſa iubeamus, ex animi noſtri venire levitate; ſed pro qualitate & neceſſitate temporum, ut Reip. poſcit utilitas, ferre ſententiam.* Sancta itaque eccleſia ob diverſas cauſſas, mutatamque rerum conditionem, nonnulla prius probe conſtituta abolet, aut provide permutat in aliud, quod magis aut ad ſanctitatem, aut ad morum honeſtatem pertineat. Experientia ſiquidem & ſaniori inſpectione iudicii didicimus, hæc maxime nocere poſſe catholicis, atque noſtra ætate conſultius aliter ſtatuendum: multa enim in dies ætas expolit, & in meliorem rationem mutat: namque humana ſollertia non omnia, quæ cogitat, illico perfecte videt ac ſentit; verum in dies hominum ingenia magis ac magis acuuntur atque illuſtrantur: & perſæpe quæpiam, quæ animis noſtris heri & nudius tertius non advertimus; hodie ſcire incipimus. Nam Reip. gubernatio paullatim nobis ſeſe detegit atque enudat; idcirco quotidie, prout tempus deſiderare videtur, novæ conduntur leges; atque ita principi ſenatuique licet, ſimul pro temporum opportunitate, quatenus expedit, diligenter leges rebus ipſis accommodare atque temporibus, &, ſi oportuerit, commutare. Videmus enim in bene conſtitutis Rebuſp. leges a maioribus acceptas poſteris tradi emendatiores; maxime quum emendationem, vel mutationem regiminis norma flagitat, poſtulatque incommodorum præſentium, & periculorum imminentium evitatio. Neque hoc eſt maiorum auctoritatem imminuere, aut eorum inſtituta

1 Eſth. cap. 16.

contemnere; quando hoc iustissime & æquissime, & summa necessitate urgente fit: immo magis hac ratione ipsorum existimationem & auctoritatem amplificamus. Qui vero nihil omnino immutandum sentiunt, nihil tollendum, aut imminuendum in iis, quæ ad rectam Reip. administrationem spectant, nihil etiam substituendum, aut adiiciendum, præsertim quum aliquid magna & prudenti consultatione statuitur; hi non minus inepte faciunt, quam illi, qui adolescentes humilibus quidem natos parentibus, sed liberaliter educatos, & boni ingenii, maiora sibi proponere; aut tenues facultates ab eis acceptas, labore, industria, honestisque exercitiis augere prohibent: propterea quod omnes eum vitæ statum retinere debent, quem a suis maioribus acceperunt, in eaque fortuna vivere, in qua nati sunt, aut nascendi initio constituti. Quare quum ratione & experientia didicerimus, catholicorum societatibus eorumque sanctæ institutioni ex hæreticorum nominum permissione multa incommoda & detrimenta posse propagari; non mirum, si modo mutata sententia, fuit autem eadem forte semper, aliud præcipiatur: prudentium enim est mutare sententiam. Et ne exempla ad responsionem hanc meam illustrandam aliunde petam, duobus tantum nostro instituto accomodatissimis, & ex uno eodemque S. Augustino petitis contentus ero. Sensit aliquando S. Augustinus, hæreticos non poenarum terroribus ad ecclesiam catholicam revocandos; sed verbo agendum, & disputatione pugnandum cum illis; re tamen postea diligentius considerata, & experimento edoctus sententiam mutavit, ut constat ex [a] epistola ad Vincentium, cuius verba subiiciam, quia nostro argumento magnam adferre possunt utilitatem: *Mea primitus sententia erat, neminem ad unitatem Christi esse cogendum, verbo esse agendum, disputatione pugnandum*

[a] Epist. 48. ad Vincent. lib. 2. *Retract.* cap. 5. epist. 50. ad Bonif.

dum, ratione vincendum, ne fictos catholicos haberemus, quos apertos hæreticos noveramus. Sed hæc opinio mea non contradicentium verbis, sed demonstrantium superabatur exemplis: nam primo mihi opponebatur civitas mea, quæ quum tota esset in parte Donati, ad unitatem catholicam timore legum Imperialium conversa est; quam nunc videmus ita huius nostræ animositatis perniciem detestari, ut in ea numquam fuisse credatur. Ita aliæ multæ, quæ mihi nominatim commemorabantur, ut ipsis rebus agnoscerem, etiam in hac caussa recte intelligi posse, quod scriptum est: 1 ,, Da sapienti occasionem, & sapientior erit.'' 2 *Quam multi enim, quod certo scimus, iam volebant esse catholici, manifestissima veritate commoti, & offensionem suorum reverendo quotidie differebant!* 3 *Quam multos non veritas, in qua numquam præsumsistis, sed obduratæ consuetudinis grave vinculum colligabat!* 4 *ut in eis compleretur divina illa sententia:* 5 ,, Verbis non emendabitur servus durus; si enim & intellexerit, non obediet.'' *Quam multi propterea putabant veram ecclesiam esse partem Donati, quia eos ad cognoscendam catholicam veritatem securitas* 6 *torpidos, fastidiosos pigrosque faciebat! Quam multis aditum intrandi obserabant rumores* 7 *maledicorum! qui nescio quid aliud nos in altare Dei ponere iactitabant. Quam multi nihil interesse credentes, in qua quisque parte* 8 *christianus sit; ideo permanebant in parte Donati, quia ibi nati erant, & eos inde discere, atque ad catholicam nemo transire cogebat! His omnibus harum legum terror, quibus promulgandis reges serviunt domino in timore, ita profuit, ut nunc alii dicant: Iam hoc volebamus; sed Deo gratias,*

qui

1 Prov. 9.
2 Quinque caussæ, quæ retinent homines in hæresi.
3 Timor offensionis suorum.
4 Obdurata consuetudo.
5 Prov. 29.
6 Torpor quærendæ catholicæ veritatis.
7 Maledicorum linguæ.
8 Falsa persuasio, quod nihil intersit, in qua quisque parte sit christianus.

qui nobis occasionem præbuit, iamque faciendi, & dilationum morulas amputavit. Alii dicant: Hoc esse verum iam sciebamus, sed nescio qua consuetudine tenebamur; gratias domino, qui [1] *vincula nostra disrupit, & nos ad pacis vinculum transtulit. Alii dicant: Nesciebamus, hic esse veritatem, nec eam discere volebamus; sed nos ad eam cognoscendam* [2] *metus fecit attentos, quo timuimus, ne forte sine ullis rerum æternarum lucris damno rerum temporalium feriremur; gratias domino, qui negligentiam nostram stimulo terroris excussit, ut saltim solliciti quæreremus, quod securi numquam nosse curavimus. Alii dicant: Nos falsis rumoribus terrebamur intrare, quos falsos esse nesciremus, nisi intraremus; nec intraremus, nisi cogeremur: gratias domino, qui trepidationem nostram flagello abstulit, expertos docuit, quam vana & inania de ecclesia sua mendax fama iactaverit. Hinc iam credimus & illa falsa esse, quæ auctores huius hæresis criminati sunt, quando posteri eorum tam falsa, & peiora finxerunt. Alii dicant: Putabamus quidem, nihil interesse, ubi fidem Christi teneremus: sed gratias domino, qui nos a divisione collegit, & hoc uni Deo congruere, ut in unitate colatur, ostendit.* Hæc ille ad Vincentium.

Audi iam & [3] eumdem ad Bonifacium respondentem hæreticorum obiectis, qui graviter conquerebantur, quod Imperatores gladium contra ipsos portarent, quum nihil tale umquam apostolos ab ipsis petiisse legeretur. *Quod enim dicunt, qui contra suas impietates leges iustas constitui nolunt, non petiisse a regibus terræ apostolos talia, non considerant aliud fuisse tunc tempus, & omnia suis temporibus agi: quis enim tunc in Christum crediderat Imperator, qui ei pro pietate contra* im-

1 Psalm. 2.

2 Metus quomodo facit attentos hæreticos ad veritatem quærendam.

3 Epist. 50. circa med.

impietatem leges ferendo serviret, quando adhuc illud propheticum complebatur: 1 „ Quare fremuerunt gentes, & „ populi mediati sunt inania? Adstiterunt reges terræ, & „ principes convenerunt in unum adversus dominnm, & „ adversus Christum eius.“ *Nondum autem agebatur, quod paullo post in eodem psalmo dicitur*: „ Et nunc reges intel- „ ligite, erudimini qui iudicatis terram; servite domino in „ timore, & exsultate ei cum tromere.“ *Quomodo ergo reges domino serviunt in timore, nisi ea, quæ contra iussa domini fiunt, religiosa severitate prohibendo atque plectendo? Aliter enim servit, quia homo est, aliter quia etiam rex est: quia homo est, ei servit vivendo fideliter; quia vero etiam rex est, servit, leges iusta præcipientes, & contra prohibentes convenienti vigore sanciendo, sicut servivit* 2 *Ezechias, lucos & templa idolorum, & illa excelsa, quæ contra præcepta Dei fuerant constructa, destruendo.* 3 *Iosias talia & ipse faciendo: sicut servivit* 4 *rex Ninivitarum, universam civitatem ad placandum dominum compellendo: sicut servivit* 5 *Darius, idolum frangendum in potestatem Danieli dando, & inimicos eius leonibus ingerendo: sicut servivit* 6 *Nabuchodonosor, de quo iam diximus, omnes in regno suo positos a blasphemando Deo lege terribili prohibendo. In hoc ergo serviunt domino reges, in quantum sunt reges, quum ea faciunt ad serviendum illi, quæ non possunt facere nisi reges*, cet. Vides igitur, novas leges condi ecclesiasticas pro temporum varietate licere, & rigore severitateque uti multum prodesse: summum enim pietatis genus in hac re esse censeo fuisse crudelem: atque his contrariæ opinionis obiectis satisfactum puto.

Eorum igitur nomina, quæ Deus non sumit per labia

1 Psalm. 2.
2 IV. Reg. 18.
3 IV. Reg. 24.
4 Ion. 3.
5 Dan. 6.
6 Dan. 3.

bia sua, neque ecclesia eius delicta sponsa sumat, quum ad sponsi sacramentum & fidem quodammodo pertinere videatur; sed omnino reiiciat, & inter ecclesiasticos piosque viros non vivant, neque nominentur, sed potius ut lutum platearum conculcanda emittantur, nec honorifice per catholicorum ora obambulent. De huiuscemodi hominibus dixit Salomon: 1 *Nomen impiorum putrescet.* Constat autem ex constitutione 2 apostolica, hæreticos magis impios esse quam Gentiles; quia Gentiles ex non Deo faciunt Deum, hæretici ex Deo non Deum, dum ei attribuunt quæ sunt ei contraria. Non igitur nos eorum nomina a putredine vindicemus, eorum nominum in titulis suorum operum retinentes, quod maximi honoris est. Davidis contra impios iustum sanctumque decretum impleamus: 3 *Deleantur de libro viventium, & cum iustis non scribantur.* 4 *Delere* autem in scripturis significat evertere, destruere, in nihilum redigere. Quum vero hæreticorum nomina in suorum auctorum libris non permittuntur, tunc maxime in nihilum rediguntur. 5 *Fiat habitatio eorum deserta; & in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet.* 6 *Delebo*, inquit dominus, *eos ut lutum platearum*; quod est in scripturis, 7 eorum reliquias tollere. Peccatoris enim nomen, teste 8 Arnobio, in generatione una tunc deletur, quando & dæmonum invocatio, & hæreticorum memoria exstinguitur. Non congregabit dominus conventicula impiorum, nec memor erit nominum eorum per labia sua: 9 hoc est, ad æterna supplicia condemnabit, & memoriam eorum sempiterna oblivione obruet, ita ut ipsa nomina penitus ignorentur.

Quem-

1 Prov. 10.
2 Clem. lib. 6. cap. 30.
3 Psal. 68.
4 Gen. 8. 19. a. Mac. 8.
5 Psal. 68.
6 Psalm. 17.
7 Arnob. *Apolog.* Dad.
8 Arnobius psalm. 108.
9 Theodor. psal. 35.

Quemadmodum catholici iustique viri memoria bonorum sanctorumque nomen perpetuo celebratur; ita hæretici impiique hominis memoria damnanda est & omnino exstinguenda. Ad quem modum Valentinianus & Martianus constituerunt, ut Eutychetis hæretici damnosa memoria aboleretur, Flaviani autem catholici episcopi, ut qui Eutychetis errorem pro viribus impugnaverat, laudabilis recordatio revelaretur: 1 *In memoria enim æterna erit iustus.*

QVA POENA ADFICIENDI HAERETICI.

Leo, ut 2 philosophi scribunt, quod ignem ingenitum, & in ipsis ossibus obstrusum gestet, propterea ignem præcipue formidat, adeo ut nihil æque vereatur atque prætentas faces, quibus ad ferociam eius domitandam nihil efficacius: quod & Homerus testatur eo carmine:

Καιόμεναι δὲ δεταὶ τάς τε τρεῖ ἐσσύμενός περ.

Ardentesque faces, quas quamvis sæviat, horret.

In cuius trepidationis admirationem adducti Aegyptii sacerdotes hominem super igne formidolose sollicitum, & quasi vesanientem ostendere si vellent, leonis simulacrum & faculam pingebant. Contra hæreticos ecclesiæ catholicæ adversarios, qui tamquam leones rugientes omnia circumeunt, nihilque intentatum relinquunt, quærentes quem fidelium devorent; superbiæ, invidiæ & ambitionis ignes in ipsis plane ossibus gestantes, sane igne agendum est, quem solum & vehementer formidant: sic enim animos, impetus & ferociam impotentem comprimere quoquo modo poterimus. 3 Succidenda est igni nominum eorum erectio, & reliquiæ memoriæ eorum igni

1 Psal. 111.
2 Arist. 9. *de hist. anim.* cap. 4.
3 Iob. 22.

igni devorandæ : ac proinde 1 S. Hieronymus eorum doctrinam *caudas titionum fumigantium* appellat, quia finis eorum exustio est. Igne nomina eorum pereant, 2 *Quoniam intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde*:

3 Tentis nocentes arcubus impii
Nervos sagittas addere tortiles
Numquam remittunt, ut latenti
Fraude viros feriant modestos.
Permixta & ignis sulfura funibus,
Et fulminanti spiritus impetu:
Hæc ultionis pars scelestos
Vase suo manet ebibenda.

Conterat ecclesia arcum, & confringat arma, libros nempe : & scuta, quæ ex ipsis pendent, hoc est, nomina eorum magnifice posita comburat igni. 4 *Incenderunt igni sanctuarium domini in terra, polluerunt tabernaculum nominis eius: quare ponat eos ut clibanum ignis.* 5 *Conturbet eos, & devoret ignis, fructum eorum de terra perdat, & semen eorum de filiis hominum: quoniam declinaverunt mala, cogitaverunt consilia, quæ non potuerunt stabilire.* 6 *Ignis*, inquit Salomon, *vindex est orbis iustorum*; & 7 *Vindicta impii ignis.* Vtinam eos cremare & incendere possemus igni illo, de quo dominus : 8 *Ignem veni mittere in terram; & quid volo, nisi ut accendatur?* utinam, inquam, eorum ignitas linguas seditionis & omnis christianæ perturbationis flabella in flammam eam coniicere possemus, quam salvator noster accendit, 9 quum duodecim apostoli ab eo electi adflati sunt igneis linguis. Huiusmodi enim lin-

guæ

1 Hier. Esa. 7.
2 Psalm. 10.
3 Benedictus Arias Montanus.
4 Psal. 75.
5 Psal. 20.
6 Sap. 16.
7 Eccles. 7.
8 Luc. 12.
9 Act. 2.

quis splendore tanto conſpicuæ omnino significabant, eam orationis vehementiam, ardorem illum, illamque fandi vim cælitus illis adfuturam, ut quæ a divino magistro præcepta acceperunt, per universum mox terrarum orbem persuasibili (penetrat enim ignis) sermone disseminarent, sanctissimisque monitis mortale genus incenderent, aberrantesque late mentes, & inscitiæ torpore frigescentes, pietatis ardore succensas ad hostiæ puræ atque immaculatæ sacrum incitarent, essetque eorum fulgurum sonitus in omnem terram exiturus. Vtinam aliquid tale de desertoribus audiamus, & aliquando spiritum illum sancti Paulli induant, ut iam de unoquoque eorum dicere possimus: 1 *Nonne hic est, qui expugnabat in Hierusalem eos, qui invocabant nomen domini, & huc ad hoc venit, ut vinctos illos duceret ad principes sacerdotum?* & illud de filio prodigo: 2 *Mortuus erat, & revixit; perierat, & inventus est*. 3 Deus eorum misereatur, & illuminet vultum suum super eos, purissimamque suorum sermonum facem porrigat; ut extenta manu iacentes in tenebris & in umbra mortis ad lumen sinceræ cognitionis sublevet. Sana, domine, populum tuum, miserere rudis imperitæque multitudinis plebis tuæ, quæ duces sequuta cæcos, quantum periculum adierit, non pervidet. Nec miretur aliquis, quod in huius disputationis progressu hæreticos contumeliose tractaverim: licere hoc exemplo sancti apostoli probatur, qui 4 Bar-iesu, sive Elymam Magum, filium diaboli, inimicum omnis iustiæ, & plenum omni dolo & omni fallacia vocavit: & beatus Ioannes Cherintum primogenitum Sathanæ, & eodem nomine 5 Polycarpus Marcionem appellavit.

Eeee Et

1 Act. 7.
2 Luc. 15.
3 Psalm. 66.
4 Act. 13.
5 Irenæus lib. 3. cap. 3.

Et ut semel finiam, adductus christianæ pietatis, domusque domini purissimo zelo, ac in proximum caritate, catholicos omnes fideliter candideque præmoneo, ut ab hæreticorum librorum lectione quacumque de re tractent, tamquam a portentosis monstris prudenter in posterum præcaveant, ne eorum existimatione & opinione circumventi ad alia eorum opera quærenda perniciosa curiositate ferantur, & tandem in ea incidant, per quæ in perpetuam perditionem misere præcipitentur. *Post scripturas sacras*, scribit S. Hieronymus ad Furiam, *doctorum hominum tractatus lege; eorum duntaxat, quorum fides nota est: non necesse habes aurum in luto quærere.* Hæreticorum namque scripta quum potissimum circa verborum ornatum & fucum versentur, eumque magis catholicos capere & decipere enitantur & contendant, quam solidam & puram veritatem docere, fit, ut orationis dulcedine & vehementia, & novitatum studio, quo homines tenentur, commoveantur, & magno clamore eorum opera approbent, conceptamque semel fallacem dulcedinem, & animo inclusam contineant serventque, atque sic paullatim ad summam deceptionem perducti miserabiliter depraventur, corrumpantur, & pereant; quare eos vitate & fugite; sunt enim tamquam Sirenes, quas voce, cithara & tibiis blande cecinisse fabulantur 1 poetæ, ut cantus suavitate nautas sopirent, sopitos demergerent, demersos etiam devorarent. 2 Facite, obsecro, quod Græcorum ille sapientissimus Ithacus experientia & consilio insignis fecit; qui quum illac sibi iter esset, sociorum aures cera obturavit, ne insidiosos Sirenum cantus possent exaudire; se ipsum vero malo navis iussit alligari, atque ita periculum tutus evasit. Hæreticorum doctrinam per viscera misericordiæ Dei nostri ne gustetis, quæ

re-

1 Ovid. lib. 5. *Metam.* 2 Servius in 1. *Aen.*

rerum inanis quum sit, tota in sermonis suavitate, ut diximus, & eloquii elegantia consistit. 1 Ionathas enim Saulis filius, quia contra detestationem patris mel gustavit, in eius indignationem incidit, ut vix populi precibus fuerit liberatus. 2 Neque mel in sacrificiis Dei offerebatur, 3 neque cera, quæ dulcia continet, lucebat in tabernaculo; sed oleum purissimum, quod de olivarum exprimitur amaritudine. 4 *Neque respicies*, inquit Salomon; *ad mulierem meretricem; favus enim distillans labia eius, & nitidius oleo guttur eius; novissima autem illius amara quasi absynthium.* Habent simulati olei lenitatem dulcia pollicentes, quæ vertuntur in amaritudinem: promittentes requiem, omnem ætatem, sexumque decipiunt; ut capiant animas miserorum, & contaminent domini doctrinam ad populum. Sunt eorum scripta 5 *sepulcra dealbata*, quæ foris videntur esse pulchra; intus autem plena sunt ossibus mortuorum. 6 *Lignum* sunt, & *argentum involutum*, quod *de Tharsis adfertur, & aurum de Ophaz: opus artificis, & manus ærarii: hyacinthus & purpura indumentum eorum: opus artificum*, sive sapientium, *universa hæc.* Dominus autem Deus verus est: *ipse Deus vivens & sempiternus.* Nam doctrina eorum pro qualitate ingenii vel vilis est, ac propterea ligno comparatur; vel similis argento propter eloquii venustatem: splendet in superficie, sed intrinsecus lignum est vilisque materia. Ex hoc auro & argento sua fabricantur idola. 7 *Mittat dominus ignem in domum Azahel, ignem, qui ligna stipulamque consumat, & devoret fundamenta filii Ader.* Ader iuxta LXX, interpretatur εὐπρέπεια, quem nos decorem cum 8 S. Hieronymo possumus

 mus

1 I. Reg. 14.
2 Hier. Esa. 7. 23.
3 Phil. *de vic. offerent. & de congreg.* Hier. *de mansionibus.*
4 Prov. 5.
5 Matth. 23.
6 Ier. 10.
7 Amos 1.
8 Hieron. Amos 1.

mus dicere, eo quod omnis sermo hæreticorum concinnus atque compositus, & habens pulchritudinem eloquentiæ sæcularis, facilius decipiat audientes: *qui sumentes de vestimentis nostris*, ut inquit 1 Ezechiel, *fecerunt sibi excelsa hinc inde consuta; & fornicati sunt super eis*. Nam testimonia scripturarum de propriis carpentes locis, conantur adsuere his, quibus non queunt coaptare: ad quos dictum est in hoc eodem 2 propheta: *Væ his, qui consuunt cervicalia sub omni cubito manus, & faciunt operimenta super caput universæ ætatis*. Quod dominus fieri prohibens loquitur 3 in evangelio: *Nemo adsumit commissuram panni rudis in veteri vestimento; alioqui tollit de plenitudine eius, & peior scissura fiet; nec mittunt vinum novum in utres veteres*. Tales sunt omnes hæretici: qui testimonium in suo loco alteri sensui congruens, alteri nituntur adsuere; quum dominica tunica desuper texta per totum scindi omnino non possit, sed texta Spiritu sancto nullam recipit scissionem. 4 *Disrumpat misericors & clemens dominus cervicalia vorum, pulvillos atque commissuras, quibus animas capiunt; & liberet populum suum de manibus eorum.*

Si qui autem sunt nimis curiosi in legendis hæreticorum libris, aut scrutandis eorum sententiis; ut intelligant, quam periculose incedant, attente adnotent, quid doctissimus & sanctissimus martyr 5 Cyprianus hac de re scribat ad Antonianum, & illud in thesauro pectoris recondant, & tamquam apostolicum depositum custodiant, serventque in diem illum tremendum, iustitiæ severitatisque plenum. Sic habet: *Quod vero ad Novatiani personam pertinet, frater carissime, de quo desiderasti tibi scribi, quam hæresim introduxisset; scias, nos*

pri

1 Ezech. 16.
2 Ezech. 13.
3 Matth. 9.
4 Ezech. 13.
5 Cypr. epist. 52.

primo in loco nec cursiosos esse debere, quid ille doceat, quum foris doceat. Quisquis ille est, & qualiscumque est, christianus non est; qui in Christi ecclesia non est, iactet se licet, & philosophiam, vel eloquentiam suam superbis vocibus prædicet, qui nec fraternam caritatem, nec ecclesiasticam unitatem tenuit, etiam quod prius fuerat, amisit; hæc ille. Nec miretur aliquis, quod S. Cyprianus tam accurate & vehementer hæreticorum dogmatum & librorum lectionem prohibuerit; novit enim, hæreticos in nullo doctrinæ genere umquam alios instituendos suscepisse, nisi ut perderent: raro scripturas sanctas legisse, nisi ut perverterent. De quibus audi quid sanctissimus pontifex Xystus scribat: 1 *Multi enim sunt, quos aut odiendi acerbitate, aut celandi æmulatione, aut cupiditatis ardore, aut obtrectationis malignitate, aut iracundiæ furore, aut impatiendi æstuatione, aut luxuriandi voluptate, aut superbiæ æmulatione, aut mentiendi falsitate, aut maledicendi asperitate, aut quocumque alio huiusmodi vitio, ita malæ institutionis consuetudo, & longi temporis usus infecit, ut pertæsum illis sit, inveteratam iam consuetudinem bonæ conversationis institutione mutare. Et si contingat, ut ex his aliqui divinarum scripturarum volumina legant, nihil aliud moliuntur, quam ubicumque præcepta doctrinæ invenerint, ingenii calumnioso acumine, disputandi arte corrumpere, & ad vitæ suæ patrocinium eiusdem intelligentiam temperare. Faciunt hoc, dum volunt videri non tam legem contemnere, quam legis auctoritate delinquere, seque idcirco non agere quæ iubentur, quia aliter accipienda intelligantur; non ignorantes quidem quid veritatis ratio intrinsecus habeat, & huiusce fallaciæ deceptionem apud Deum sibi non modo non profuturam, quin etiam perniciosam fore optime intelligentes: quippe quum per ipsam*

tam

1 Xyst. de mal. doct.

tam sibi, quam multis minus intelligentibus æternæ perditionis interitus irrogetur. Addit paullo inferius: *Omnia illa peccatorum genera, in quæ pro humanæ consuetudinis vitio sæpissime incurritur, & quæ, non nisi qui Deum granditer metuunt, vitare noscuntur, subtilissima fallaciæ adsertione, & versuta argumentandi disputatione nihil sanctitati nocere posse contendunt, ut hoc artificio sanctitatis & veræ doctrinæ illis opinio maneat, & peccandi consueta libido non pereat.* Hæc Xystus. At dices: hæretici in quibusdam nobiscum consentiunt, quæ aliquando diligenter, terse, splendide, & omni ex parte videntur præstare: tum nonnulla vera, docta, bona pulchraque docent; cur hæc studiosus non leget? cur his catholicus non fruetur? Immo si hæc, quæ dicis, eorum libri continerent, a quibus maxime sunt alieni; longe periculosius esset, in eorum lectione versari, & maiori studio ab his cavendum esset. Hi enim, quibus multa, teste 1 Ambrosio, paria sunt, facile possunt innoxias mentes, & soli Deo deditas fraudulenta societate percutere, dum malorum suorum virus per aliqua bona nostra defendunt. Nihil enim periculosius his hæreticis esse potest, quam qui, quum per aliqua nobiscum decurrant, uno tamen verbo, ac si veneni gutta meram illam ac simplicem fidem dominicæ, & exinde apostolicæ traditionis inficiant. Vnde vehementer nobis cavendum est, ne se vel sensibus, vel auribus nostris huiusmodi aliquid latenter insinuet: quia nihil tam cogit in mortem, quam sub obtentu fidei fidem violare. De amicis Iob legimus, quædam valde recte sensisse, sed tamen per illa ad perversa dilabebantur. Vbi 2 S. Gregorius: *Habent quippe hoc hæretici proprium, ut malis bona permisceant, quatenus facile sensui audientis illudant: si enim sæpe prava dicerent, citius in*

sua

1 Ambr. lib. *de fid. orth.* contra *Arianos* cap. 1. 2. Greg. Iob. 5.

sua pravitate cogniti, quod vellent, minime persuaderent. Rursum si semper recta sentirent, profecto hæretici non fuissent; sed dum fallendi arte ad utraque deserviunt, & ex malis bona inficiunt, & ex bonis mala, ut recipiantur, abscondunt: sicut qui veneni poculum porrigit, ora poculi dulcedine mellis tangit; dumque hoc, quod dulce est, primo attactu delibatur, etiam illud, quod est mortiferum, indubitanter absorbetur. Itaque hæretici permiscent recta perversis, ut ostendendo bona, auditores ad se trahant, & exhibendo mala, latenti eos peste corrumpant. Tandem eos omnes, quos de sacrosancta catholica Romana ecclesia tuenda, eiusque dignitate augenda cura sollicitat, hortor, precibusque quam humilime obsecro, ut, omni cogitatione, studio & providentia enitantur, ne malorum & impiorum hominum scripta legantur, sed diligentissime, ut hactenus, suam auctoritatem interponant, ne hæc, quæ prima fronte proposita levia parvique momenti videntur, ulla ratione permittant; sed omnino a christiana & catholica Rep. explodant: etenim exiguo, & ad speciem pio initio maximam labem & perniciem integris hominum rebus ac moribus communes isti hostes inferre consueverunt. Emersit hoc genus cladis, & quasi parum persequutionis procella sævierit, accessit ad cumulum sub misericordiæ titulo malum fallens & blanda pernicies. Quare hæreticorum tumentes titulos ne manu parcente contrectent, virus siquidem inclusum dum servatur, exaggerat; apertum vulnus secent, & putredinibus propriorum nominum amputatis, medela fortiore curent: sic enim & sanctæ religioni, animarumque saluti, pro quibus CHRISTVS IESVS sanguinem suum fudit; & Reip. statui & tranquillitati optime consuletur.

* INSCRIPTIO TABVLAE, QVAE MANRESAE ADSERVATVR, AVCTORE IO. BAPT. CARDONA.

IGNATIO LOIOLAE BELTRANI F. CANTABRO,
FAMILIAE SACERDOTVM SOCIETATIS IESV CONDITORI,
QVI PRO SALVTE PATRIAE ANNOS TRIGINTA NATVS
IN POMPAELONIS ARCE FORTITER CVM GALLIS
PVGNAVIT,
ET ACCEPTIS MORTIFERIS VVLNERIBVS SINGVLARIQVE
DEI BENEFICIO SANATIS,
DESIDERIO VISENDI LOCA HIEROSOLYM.
SACRA INFLAMMATVS
ITER COEPIT FACERE, CASTITATEM VOVENS,
ATQVE ITA ORNAMENTIS MILITARIBVS
ABIECTIS ET REPOSITIS
IN TEMPLO DEI GENITRICIS MARIAE SERRATI MONTIS
INDVTVS SACCO ET CILICIO PAENE NVDVS RELICTVS
HIC INDE PRIMVM IEIVNIIS, LACRIMIS
ET ORATIONIBVS FLERE
ANTE ACTAE VITAE CRIMINA MERVIT, ET VINDICTAM
DE EIS CHRISTI TIRO MILES SVMERE INCHOAVIT.
TANTAE REI MEMORIAE CONSERVANDAE ERGO
AD DEI GLORIAM
ET SPLENDOREM CLARITATIS SOCIETATIS SVAE
IOAN. BAPT. CARDONA VALENTINVS AVSETANVS
ANTISTES, DERTOSANVS DESIG.
SANCTITATI SOCIETATIQVE EIVS DICATISSIMVS
VIRO PIISIMO OPTIME DE PVBLICA RE CHRISTIANA
MERITO FIERI CVRAVIT,
QVINCTO SIXTO PONT. ET PHILIPPO II. REGVM MAX.

DE

* Adfertur ab Andr. Schotto *Hisp. Biblioth.* pag. 610.

DE

DIPTYCHIS.

EDITIO II.

GABRIEL

CARDINALIS PALEOTTVS

IO. BAPT. CARDONAE,

CANONICO VALENTINO.

Lecto elegante libello, quem scripsisti *de expungendis hæreticorum nominibus*, non potui non probare tuam ea de re sententiam, simulque consilium edendi operis, ac doctrinæ ubertatem non maxime commendare. Postquam vero ad hæc conscribenda mea maxime adhortatione te adductum fuisse ostendis, indeque, ut meum tibi sensum aperiam, postulas; dicam qua debeo libertate, optasse me, ut postquam tam multa variis ex locis ad abolendam hæreticorum memoriam huc congessisti, quædam etiam a te non dicam prætermissa, sed non reiecta fuisse, quæ loco isto & argumento satis digna videbantur: quale illud est, hæreticorum scilicet nomina ex sacris tabulis, quæ *Diptycha* vocabantur, eximi consuevisse: cuius rei etsi in antiquis conciliis, & præsertim in v. synodo Constantinopolitana & multis ex sanctis patribus mentio habeatur, hodie tamen obscurior apud plerosque etiam non indoctos viros huius rei cognitio videtur; quo factum est, ut in multis codicibus verbum illud δίπτυχον, quod erat ignotius, a librariis fuerit sæpe corruptum: nam in Decreto Gratiani in cap. *sane profertur*. 24. q. II. pro verbo *diptychis* legitur *ditticis*: ibidemque glossa & interpretes quid hoc esset non videntes, multa præ-

ter rem loquuti sunt: idem accidit & in aliis locis reverentiæ tuæ satis notis. Qua de re potuisset hic antiquitatis ritus a te opportune recenseri, quum de eo retinendo tantopere a veteribus patribus laboratum fuisse, historia ecclesiastica attestetur: magnaque lux hac occasione variis auctorum locis cognoscendis fuisset adlata. Sed quoniam ego fortasse fallor, conferas, quæso, quidquid hoc est, cum illustrissimo domino meo cardinali SIRLETO, apud quem est omnis doctrinæ & vetustatis thesaurus: egoque utriusque iudicio hæc omnia relinquo. Bononiæ die XIV. Decembris M. D. LXXVIII.

Di-

Diptycha, quemadmodum & alia nonnulla, proprium sacrorum scriptorum; & christianæ religionis verbum est; non quidem a nostris confictum temere, sed e communi in privatam notionem, ut sæpe fit, apte deflexum: hoc quum sæpius in sacris scriptis legeretur, pulsum alicunde est eorum inscitia, qui, quod ignorant, id omne invisum ac suspectum habent. His ut lux adferatur, de *Diptychis* fusius agendum mihi putavi, simul ut veterem & numquam satis pro dignitate laudatam ecclesiæ consuetudinem in memoriam revocem. Sed & ne aliquid desiderari possit, prius unde sit hæc ad nostra mysteria vox derivata, ex Græci sermonis observatione aperiam. Vt enim perfectam illius cognitionem adsequamur, atque adeo cuiusvis quam libeat, internoscere possimus, duas in ea naturas spectandas, unde, & in qua re dicatur, dux & auctor est Varro. Ac quidem unde dicatur, facile dici posse videtur: in qua re, non ita facile, si omnes eius notiones velimus complecti: in animo tamen est, eas tantum, quæ magis inter se apte cohærent, notiones persequi; & ei, quam potissimum investigamus, geminas, ut sensim nos quasi quodam filo, quo volumus, series ipsa orationis perducat. Πτὺξ igitur, vel πτυχὴ Latine redditur *plica*, ab πτῶ, ut voluit Eustathius, aut certe a πέτω, ut placuit etymologistæ, flectatur, id est, *cado*; unde πτύσσω, *plico*, de duabus omnino, pluribusque rebus efferatur oportet, quarum una insideat alteri: quæ est præcipua significatio & ceterarum quasi caput. Hinc enim ab Homero montium convalles, aut, ut alii censent, iuga πτύχες dicuntur; & δίπτυχα quum in Græcorum holocaustis femur femini in ara insidebat, aut illorum omentum, ut eius interpretes explanant, duplicabatur, ut expeditius posset inflammari. A Polluce præterea fores, atque in ostreis a D. Basilio testaceæ valvæ, quas pandunt & claudunt, ubi volunt, eodem nomine donan-

nantur: ad quas omnes res δίπτυχα duci possunt.

Sed ut mittam nauticum verbum etiam esse, & ad rem proprius accedam, πτὺξ in glossis exponitur *tabella*; unde πτυκτίον deminute fit, id est, πτυκτὸν βιβλίον, ut ait Hesychius, & πτυχίον, quod eodem spectat, ut constat ex scholiaste Arati. Itaque schedaria etiam & pugillares *ptychia* appellasse animadvertitur Leontius. Herodianus vocat γραμματεῖον τῶν ἐπτυγμένων, Hesychius vero πτύχμα interpretatur δίπλωμα, qua natione δίπτυχα sequi etiam suum simplex agnoscimus. Nam idem Hesychius πτυξίδας, & πτύξιον exponit δίπτυχα: πτύξιον autem tabella est scriptoria, inde nominata, quod antiquitus e buxo fieri soleret: quin & B. Maximus & Georgius Pachymerius, quas D. Dionysius πτύχας in mysterio synaxeos appellaverat, δίπτυχα interpretantur. Herodotus quoque δελτίον δίπτυχον, & πολύπτυχον dixit, ut est apud Pollucem. Quare quum πτὺξ proprie sit *plica*, ad scripta transfertur, quod charta plicetur: δίπτυχος vero dicitur quasi duplex charta, Hispane dicere possumus *pliego*, a numero scilicet tabellarum: unde forsan apud Latinos scriptores litteræ & pugillares dicuntur duplices, triplices, & quincuplices. Ovidius lib. I. Eleg.

Ergo ego vos rebus duplices pro nomine sensi,
Auspicii numerus non erat ipse boni.

Idem lib. II. duplices appellat tabellas, in quibus negaverat amicæ concubitum. Martialis in Apophoretis:

Tunc triplices nostros non vilia dona putabis,
Quum se venturam scribet amica tibi.

Quo loco quincuplicium idem meminit. Apud Ausonium vero legitur *bipatens pugillar*. Sic & olim, ut observat Eustathius, δίπτυχοι γοναὶ, *gemini partus*, & δίπτυχοι κόραι, *geminæ sorores* appellabantur. At B. Ambrosius Græco nomine Latinam linguam auxit ac locupletavit lib. V. *Hexameron* cap. 8. nam de ostreis agens

gens testaceas illas valvas, quas Basilius, ut diximus, πτύχας appellat, *dyptichum* vocat. Sed & schedulam significat in libello, qui barbare, & vulgo *Vitas patrum* inscribitur: nam in vita S. Pelagiæ, quæ satis antiqua est, quantum ex usu nonnullorum vocabulorum colligi potest, ita habetur: *Quum Pelagia femina iam Spiritus sancti amore tacta Nonnum episcopum quæreret, atque ad hoc duos pueros ex suis destinaret, regressi dominæ suæ renuntiarunt, in basilica sanctissimi martyris Iuliani ipsum manere. Quo illa audito, statim transmittit dyptichum tabularum per eosdem pueros ita continentem: Sancto discipulo Christi peccatrix, & discipula diaboli*, cet. Ex his omnibus liquido constat, iure optimo apud sacros scriptores duas tabulas inter se compactas, si enim Etymologistes & Eustathius δίπτυχα, quas unum alteri insideat, explicant, quæ usui erant in nostræ relgionis mysteriis, hoc nomen sortitas esse; nec Latino aut Græco idiomati vim adferri ullam, sed utrumque facile hanc in significationem propendere.

Iam ut quid fuerint hæc tabulæ, aperiam; prius non gravabor totius sacræ supellectilis, quæ tum erat, Græca nomina subiicere, ut totus hic locus illustrior fiat.

τὸ ζέον, *lagenula* capiens aquam calidam.
τὸ εἰλιτὸν, *corporale*.
ῥιπίδιον, *flabellum*.
ἀςὴρ, ἀςερίσκος, *astersicus*, *stellula*.
λαβὶς, *fuscina*, *tenaculum*, *forcipula*.
ἀήρ, *sudarium*, quo velantur res sanctæ.
ὁ δίσκος, *patena*.
δίπτυχα, *tabellæ*, inscripta mortuorum & sanctorum habentes nomina.
ἡ λόγχη, *lanceola*, qua desecatur.
ἡ σφραγὶς τῆς προσφορᾶς, *sigillum oblationis*, nempe imago Christ crucifixi in pane, quæ excisa consecra-

cratur. Reliqua enim pars est ἀντίδωρον, quam frustulatim incisam sacerdos post missam dividit iis, qui corpori & sanguini domini non communicaverint.: unde *antidoron*, quasi sit loco doni, sive eucharistiæ, alias εὐλογία dicitur, ut a nobis *panis benedictus*.

Nunc bene maturum videtur, ut has dyptichas tatabulas replicemus, ut quid continerent, aut in quem usum comparatæ essent, perspiciamus. Quod ut fiat, proferenda erunt testimonia patrum, quæ eo pertineant; consulenda erit liturgiæ sacræ ratio; & ex illorum, qui tum præcipue floruerunt, scriptis aliquid subsidii implorandum. Singula ego scripta recensebo, ut ex omnibus simul colligi possit.

Exordiar autem ab eo, quod diptychi sacri & nomen & definitionem retinuit; id est, ex epistola episcoporum Aegyptiacæ dioecesis ad Anatolium archiepiscopum Constantinopolitanum pro concilio Calcedonensi, quæ habetur post concilium Chalcedonense, & in epistola Gelasii ad Anastasium Augustum. *Diptychum est, in quo piæ memoriæ transitum ad cælos habentium episcoporum vocabula continentur, quæ tempore sanctorum mysteriorum secundum sanctas regulas releguntur.* Huic definitioni consentire videtur, quod ceteris antiquius est, a D. Dionysio in mysterio synaxeos de tabulis sanctorum mortuorum, quæ post salutationem a liturgis, hoc est, a diaconis clara voce recitabantur; quas & δίπτυχα nominatas fuisse, eius interpretes observarunt: licet ibi de episcopis nominatim non legatur, sed de quibusvis viris sanctis mortuis. Et quæ sequuntur nomen hoc sartum tectum conservarunt, & de inscriptione & expunctione quorumdam nominum agunt. *Synodicum expositum Constantinopoli a Ioanne sempiternæ memoriæ patriarcha Hierosolymorum ad Sergium usque piæ memoriæ patriarcham Constantinopolitanum. Papa Romanus in sanctis diptychis patriarcharum ut fideli re-*

referebatur, deinceps vero propter quosdam Romanorum errores erasus est. Hinc cave putes, quod vult Achilles Statius colligi, in sanctis diptychis tantum patriarchas commemorari; alios enim conscriptos fuisse res ipsa loquitur.

In epistola Epiphanii episcopi Tyrii, & eorum, qui sub eo sunt, ad synodum Constantinopolitanam: *Et quoniam de revocatione corporum sanctorum patrum nostrorum Euphemii & Macedonii, & inscriptione nominum illorum in sacris diptychis sententiam tulistis; precamur, ut & corpus spiritualis patris nostri Flaviani patriarchæ Antiocheni in veneratione accipiatis, & catalogo patrum nostrorum in ipsa apostolica sede pie dormientium restituatis. Iustum est enim eum, qui pro Christo Deo nostro, & eius recta fide fatigatus est, & sustinuit ærumnosam sententiam eorum, qui eum calumniabantur, participare his, quibus secundum iudicium vestræ sanctitatis participarunt, qui ipsius symmystæ fuerunt; ut & sincerissimus Imperator noster sancire dignetur hoc, & præsto venire ad gloriam intemeratæ & consubstantialis Trinitatis.*

In sancta sexta synodo Constantinopolitana congregata sub temporibus Constantini piissimi Augusti, qui fuit eius nominis quartus; & Agathonis sanctissimi & beatissimi papæ, in divali sacra ad sanctissimum pontificem directa, quæ est in principio, sic habetur: *Multam enim nobis instantiam fecerunt tam hic sanctissimus Theodorus patriarcha; quam Macarius sanctissimus patriarcha Theopoleos, ut eiiceretur Vitalianus beatissimus de dyptichis, adserentes Honorium memorari in diptychis propter honorem apostolicæ sedis antiquæ nostræ Romæ. Nam non adquievere, ut memorentur patriarchæ, qui postmodum fuerunt in prædicta sancta Romana ecclesia, donec conquisitio & satisfactio proveniat verborum, de quibus contenditur inter utrasque sedes; & ita*

ita vestra paterna beatitudo consequenter memoretur. Sed hoc nos non adquievimus, id est, ut eiiceretur idem Vitalianus de diptychis; hoc quidem, utpote omnem æqualitatem servantes, & utrosque orthodoxos habentes: hoc autem & propter collatam nobis caritatem ab eodem Vitaliano, dum superesset, in motione tyrannorum nostrorum. Sed sic polliciti sumus prædictis sanctissimis patriarchis, quod per omnia dirigit vestra beatitudo homines, qui debeant conquirere cum ipsis; & tunc secundum quod claruerit, perfecta dispositio fiet. Nec ante hoc ullo modo nos adquiescere, ut idem beatissimus Vitalianus eiiceretur. Hæc cognoscens vestra paterna beatitudo studeat sequi voluntatem Dei.

In libello monachorum ad Mennam patriarcham sæpe fit mentio de diptychis, ubi agitur de Petro pacis sanctæ ecclesiæ perturbatore. *Erat enim illi sententia, tumultus movere, nec aliquando in ipsis stare. Quomodo enim possibile erat non propter fidem Christianam certamen, non hoc solum negotiari, ut ex omni occasione semper perturbaret sanctam Dei ecclesiam? Iterum ergo & Petrum liberum eodem tempore suscipit, & communicat ceteris hæreticis, postquam putavit abscisos ab ecclesia Alexandrina, cuius unionem amplecti finxit, sicut superius dictum est. Post hæc autem omnia nullum fuit ipsi impedimentum ad continuam transgressionem: eamdem sanctam Chalcedonensem synodum quotidie, ut ita dicam, anathematizare præsumit, & communicantes illi; quum multus episcoporum, qui in ipsa Chalcedonensi synodo sancta convenerant, & qui sub ipso erant, in sacris dyptichis, id est, commemorantibus, habeat,* cet. In concilio Chalcedonensi inter nefarios conatus, & rabiem ferociamque Timothei, qui Alexandrinæ ecclesiæ pontificalem sedem sibi tyrannice adripuit, narratur, quod ad societatem hæreticæ suæ vesaniæ illud addiderit, ut etiam in venerabili diptycho suum

no-

nomen poſuerit, & Dioſcori, qui ſub damnatione anatehmatis a Deo & univerſali concilio decretus fuerat; & deleverit exinde ſanctæ memoriæ, & ſecundum Deum viventis Proterii nomen regulariter archiepiſcopi conſtituti.

Sub finem litterarum Iuſtiniani Imp. de ſua fide ad ſanctam ſynodum, ſic habetur: *Hortamur autem illud diſceptare, quod vane profertur ab eis, qui dicunt, non oportere poſt mortem hæreticos anathematizari; & ſequi in hoc doctrinam ſanctorum patrum, qui non ſolum viventes hæreticos condemnaverunt, ſed & poſt mortem, utpote in ſua impietate mortuos, anathematizaverunt; ſicut eos, qui iniuſte condemnati ſunt, revocaverunt poſt mortem, & in ſacris diptychis ſcripſerunt: quod factum eſt & in Ioanne* (Chryſoſtomum dicit) *& in Flaviano religioſæ memoriæ epiſcopis Conſtantinopolitanis*, cet.

Apud Nicephorum multis locis in codice Græco exſtat huius vocis mentio, ſed interpres more Romano in alia tranſtulit; & dum copiam non opportune oſtentat, vel quaſi ſuſpenſo gradu ingrediens nullo verbo Latino ſatis fidit, lectorem variis utens pro re eadem perturbat: nam album, matriculam, faſtos, catalogum, tabulas, tabulas ſacras, & tabulas myſticas uni diptycho reſpondere facit. Loca deſcribam, in quibus de D. Chryſoſtomo, an illius eſſet nomen in ſacris diptychis cuſtodiendum, ultro citroque diſceptatur. Libro ergo XIII. *Eccleſiaſticæ hiſtoriæ* cap. 22. poſtquam narravit S. Ioannis Chryſoſtomi quoſdam ſectatores in exſilium miſſos, & graviſſime tractatos, addit: *Oportebat etenim paſtore bono impiorum manibus tradito, oves quoque diſpergi, & earumdem cum magiſtro ærumnarum participes fieri.* Subiungit in fine capitis: *Et magno hoc patre defuncto, epiſcopi occidentales non prius Aegypti, orientis, Boſphori & Thraciæ epiſcopos ad communionem ſuam admiſerunt, quam nomen divini illius viri in mortuorum epiſcoporum catalogum retulere. Sed ne-*

que Arsacium successorem eius vel compellatione sola dignati sunt. Quin & Atticum, qui Arsacio substitutus est, & legationes multas ad eos misit, sæpeque per pacificationem conciliari eis studuit, longo post tempore susceperunt, ubi magni viri nomen sacris tabulis inscripsit.

Atticus vero ad Cyrillum in ea epistola, in qua agit de Chrysostomo in episcoporum matriculam inserendo, inter alia hæc adiungit: *Quum vero nonnulli nomen tantum beati Ioannis mysticis tabulis inscribi vellent, beatus episcopus Alexander, Antiochenum istum dico, Constantinopolim venit, & multa ore confidenti verba fecit, vehementerque excitare populum voluit, ut vel nobis invitis necessario eius, quem diximus, nomen ita inscriberetur: quam rem accurate prorsus pietati tuæ ministri Dei religiosissimi diaconi Petrus & Aedesius exposuerunt. Præteriit tempus longum, & nos necessitate ea, quæ a populari rerum administratione provenit, premi incipiebamus; neque tamen quidquam schismatis & dissidii reliquias curabamus; quum ad nos ex oriente Dei amantissimus episcopus Acacius litteras dedit, religiosissimum antistitem Antiochiæ Theodotum a populo, ut nomen Ioannis in fastos referret, coactum esse, ut veniam rei ei, quam necessitate ille adductus fecisset, daremus petens. Et tum bonus ille, qui litteras ad nos pertulit, presbyter, caussam adventus sui indicans, rem hanc in vulgus magnæ urbis propalavit, & sententiam datæ ad nos epistolæ populo vulgavit, adeo ut parum abfuerit, quin tumultu plebis universæ urbs repleta sit. Ibi vero ego, ibi demum perturbatus, & de rebus maximis discrimen summum veritus, piissimum Imperatorem adii, & cum eo de pace & tranquillo rerum statu egi. Atque ille, nihil esse periculi, aut incommodi respondit, si defuncti viri nomen tranquillitatis, pacis & populi concordiæ gratia inscriberetur. Itaque ego ea re persuasus, quomodo enim necessitate præventus id non fa-*

facerem? ne religionis nostræ res ex multitudinis arbitrio, exemplo uno permisso, penderent; neve urbem ipsam populari administrationi adsuefaceremus, nomen id in album referri iussi. Quare, ut equidem puto, neque in sacros canones commisi, neque iudicio patrum fraudem feci. Mentio namque eius fit cum defunctis non solum episcopis, sed & presbyteris, diaconis, & laicis ipsis, mulieribusque, cum quibus omnibus nobis sacerdotii communio, aut earum rerum, quæ in sacra mensa mystice percipiuntur, participatio non est. Magna enim est inter defunctos & superstites differentia: ita ut etiam libri propter differentem eorum, quorum memoria conservatur, statum discreti sint. Nihil enim Davidi obfuit honorifica Saulis sepultura, neque apostolis Arii impietatis sectator Eudoxius sub eadem sanctiore sacrificii ara positus; neque Paullinus & Evagrius ecclesiæ, qui schismatis & dissidii duces in ecclesia Antiochena fuere, quod post obitum non paucis hinc ab annis, propter populi pacem & concordiam mysticis tabulis sunt inscripti. Quam ob caussam ipse quoque Aegypti ecclesiis, ecclesiarum orbis totius pacificandarum gratia, ut mortui illius nomen inscribant, præcipe. Ita enim quum patrum canones non transgrediere, tum ecclesiarum simul omnium concordiam plurimi facies, cet. Hæc Atticus ad Cyrillum: habentur in Nicephoro Callixto lib. XIV. cap. 26.

Atque aliud Attici scriptum eiusdem argumenti ad Petrum & Aedesium diaconos Constantinopolitanos legimus; quod sic habet: *Ad Dei amantissimum episcopum fratrem nostrum Cyrillum ita, ut decuit, per epistolam scripsimus ea, quæ nomine Ioannis in ecclesiasticas tabulas relato, acta sunt. Nihilo vero minus & ad pietatem vestram scribimus, quæ melius, quam alii, res nostras novit, ad pacem videlicet & tranquillitatem eas evasisse, de sententia præcipue piissimorum principum,*

pum, & omnium deinde orientalium episcoporum, ipsorumque adeo occidentalium quoque de Ioanne sacris tabulis, non ut episcopo, sed qui aliquando episcopus fuerit, inserto; ut memoria eius propter communem orbis universi pacem coleretur. Scribimus autem, ne concordia, ut ita dicam, ubique obtinente, solis nobis ei non adstipulantibus, simul & piissimis principibus adversari videamur: & summe necessariis rebus nostris, ventis aliquibus adversis obortis, & ecclesiae Christi noceamus, cet. Nicephorus eodem libro & capite.

Ad superius episcopi Attici scriptum responsum exstat Cyrilli Alexandrini, qui, quod Ioannem Chrysostomum pro laico habeat, minime probat, ut in episcoporum catalogo recenseatur, & canones ecclesiasticos servandos esse censet. Verba vero Cyrilli hæc sunt ex Nicephoro libro XIV. cap. 27. *Lectis, quae a pietate tua ad me missae sunt, litteris, Ioannis nomen sacris inscriptum esse tabulis intellexi: ubi vero eos, qui inde ad nos venere, interrogavi; non laicorum, sed episcoporum catalogo scriptum esse audivi. Porro dispicienti mihi atque in animo reputanti, an qui hoc fecere, Nicaenorum patrum decreta sequantur, & aliquantulum mentis luminibus in magnam illam synodum intendenti, universum sanctorum illorum patrum collegium quibusdam veluti oculis tenuere, & viribus omnibus, quo minus ad rem eam comprobandam accurram, obsistere videntur. Quomodo namque inter sacerdotes Dei censebitur, illorumve feret sortem, cui sacerdotalis dignitas abrogata est? Quomodo vero in catalogo sacrorum ministrorum erit, qui ecclesiasticis menibus eiectus est? Aut enim professione nostra indignum est, ut sacerdotii nomen nihil esse, & rem ipsam communem omnibus esse, quae tamen eis solis, qui ad eam vocati sunt, adservata est, dicamus: aut si magnum quiddam est, quod sacerdotalem functionem a populi multitudine dirimit, non*

miscenda, quae misceri non possunt. Sed eorum, quae diximus, quodvis in ordine suo conservandum, & honore debito cohonestandum nobis erit. Quomodo igitur aut inter episcopos laicus, aut inter germanos & legitimos, qui talis non sit, consistet? Honora, te hortor, eos, qui magnarum & splendidarum recteque actarum rerum tulere testimonium, ne contumelia sanctum patrum chorum adficias. Considera eos, qui superstites adhuc in vita manent, quomodo rem hanc acceperint. At non illi dolore se omni repletos esse recte dicant, si in eumdem cum eis ordinem is, cui dignitas ademta est, referatur? Verum id pietati quoque tuae persuasum esse puto. Quam ob rem & illis & nobis maeroris abole caussam, tolle omnium tristitiae occasionem. Nam facile & expedite ea, quae praeter opinionem accidunt, disponere & administrare boni & sapientis esse dixerim; sed tum demum, quum nihil detrimenti adferat: non enim, quamvis gregem Christi propagare, frequentioremque efficere studeamus, examina haeresium, si errorem suum non repudient, recipimus. Et proinde non omnino promta quadam dispensatione facilem cum eis complecti pacem debemus, adversus quos pugnare praestet. Dispensationis sane laudatae opus fuerit, si quandoque ita a debita ratione deflectere videamur, ut in rebus utilibus & commodis detrimentum evitemus. Sic & B. Paullus omnibus factus est omnia, non ut exiguum quiddam lucri faceret, partem autem quampiam damno adficeret; sed ut omnes lucraretur, cet. Et paullo inferius: *Quod si concordiam ecclesiarum conservare minime contemnendum videtur, solve id rogo, quod eam scindit, mitte gladium in vaginam suam. Iube ex episcoporum nomenclatura Ioannis nomen eximi,* cet. Tandem adiungit: *Consequens igitur non est, propter adversos quorumdam sermones, siquidem prorsus aliqui sunt, funditus sanctiones ecclesiasticas convelli, ut laicus sacerdotali dignitate eminen-*

ti-

tibus accenseatur, & honorem eumdem consequatur. Neque enim hoc communem orbis universi pacem, sed conscisionem potius quidam vocent. Ego quidem tum demum obtinere debere & nomen, & rem ipsam pacis censeo, quum sanctorum sententiis non adversemur, neque illorum decretis repugnemus, cet. Hæc quidem Cyrillus de sacro Chrysostomo & scripsit & sensit, præsumtæ opinioni inserviens, quam dudum patruum suum Theophilum sequutus conceperat: sed deinde erroris sui visione divina admonitus sententiam mutavit, & Ioannis nomen in sacrum catalogum episcoporum reposuit; tantumque virum admiratus, eum valde, quod contra illum imprudens prorsus irritatus fuerit, poenituit. Proinde diversum omnino a priore consilio faciens, synodum provincialem coegit, & Ioannis nomen simul & ipse & reliqui magnarum ecclesiarum antistites in sacro albo proposuerunt, cet. Atticus vero episcopus erat Constantinopolitanus, ex Macedoniano orthodoxus factus, successor Arsacii. Nicephorus lib. XIII. cap. 29.

In libello, cui titulus est, ἡ θεία λειτουργία τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς Βασιλείου τοῦ μεγάλου sic habetur: *Si est autem magnum sabbatum, canit*: SILEAT *omnis caro mortalis, & stet cum metu & tremore, & nihil terrenum in se cogitet: Rex enim regnantium, & dominus dominantium progreditur, ut mactetur fidelibus. Eum autem præcedunt chori angelorum cum omni principatu & potestate, qui multos habent oculos, Cherubim, & qui sex alas, Seraphim; oculos tegentes, & hymnum proclamantes*, Alleluia, Alleluia, Alleluia. *Diaconus incensat in gyrum sanctam mensam & diptycha; vivorumque & eorum, qui dormierunt, quorum vult meminit: sacerdos vero orat mystice*, cet.

In Missa S. Marci, quæ Græce exstat, hæc rubrica continetur: *Diaconus mortuos in diptychis descriptos recitat*. . . . .

His

His absolutis, non est prætermittendum, in decreto Gratiani c. *sane profertur.* 24. q. 2. ita scriptum reperiri: *Et in sacris dicticis.* Gloss. *Dicticis*: Dicticæ *sunt tabulæ a dico, dicis. Vnde Martialis*: „*Clerice dicticam* „*lateri ne demseris umquam.*“ *Et est argumentum, quod si in aliquo lapide, vel columna inveniatur scriptura, fides est ei adhibenda.* Dicticis: *Dicticæ sunt columnæ, ubi imagines patrum in suo catalogo ponuntur.* Io. Andreas ad glossam: *Tabulæ, id est, adseres de cera.* Ioan. de Fant. Ioan. de Turrecremata in textu in sacris dicticis: *Dicticæ dicuntur in Romano vulgari, ubi vita & gesta Romanorum pontificum continentur: hic autem ponitur pro macula.* Verba eadem refert D. Ivo Carnotensis episcopus in suo, ut ita dicam, Decreto parte XIV, cap. 62. qui post Burchardum Vvormaciensem episcopum ex canonibus sanctorum scripsit compendiosum Decretum, quo ante Gratiani tempora felicius utebantur iuristæ; claruit Othonis III. & Henrici II. Bavari Impp. ætate. Sed vel hinc constare potest, in quam fedos & ridiculos errores corrupta lectio viros gravissimos inducat; legendum enim proculdubio *diptychis*: neque id ulla eget probatione. Quod in Decreto Gregorii XIII. P. M. iussu nuper edito selecti viri emendationi illius præfecti docte adnotarunt.

Hactenus de diptychis. Simplici autem vocabulo utitur Dionysius in eadem significatione *Ecclesiasticæ hierarch.* cap. 3. de synaxi: appellat enim ἱερὰς πτύχας, quamquam non solum Perionius, homo ad depravandos & corrumpendos bonorum auctorum libros natus, sed etiam Ambrosius monachus Camaldulensis locum perperam converterunt, vitio fortasse exemplaris. Sic enim Ambrosius: *Ad hæc venerandus antistes orationem sanctissimam peragens, pacem sanctam omnibus nunciat; & quum se mutuo omnes salutaverint; mystica sanctorum recitatio fit. Vbi vero manus tum antistes, tum*

sacerdotes aqua laverunt, pontifex ad medium divini adsistit altaris, circumstant autem soli cum sacerdotibus electi, quique ex ministrorum numero. Nec vero in scholiis huius capitis Iacobus Faber Stapulensis id adnotavit, aut animadvertit.

Iam quando corrasimus omnia, in quibus integra ad nos diptychi sacri mentio pervasit, rem ipsam absque nomine aliis testimoniis illustriorem & magis perspicuam reddamus. Nam quo loco recitanda essent nomina, docet Innocentius papa I. in epistola ad Decentium Eugubinum episcopum, quum inquit: *De nominibus vero recitandis ante quam precem sacerdos faciat, atque eorum oblationes, quorum nomina recitanda sunt, sua oratione commendet, quam superfluum sit, & ipse pro tua prudentia recognoscis, ut cuius hostiam necdum Deo offeras, eius ante nomen insinues, quamvis illi incognitum sit nihil. Prius ergo oblationes sunt commendandæ, ac tunc eorum nomina, quorum sunt oblationes, edicenda, ut inter sacra mysteria nominentur, non inter alia, quæ ante præmittimus, ut ipsis mysteriis viam futuris precibus aperiamus.* Habetur *de consecr.* dist. I. cap. *de nominibus recitandis.* Hæc epistola Innocentii si accurate ponderetur ab initio, facile colliges, hanc traditionem perantiquam esse, & a B. Petro traditam: deinde nomina non esse recitanda ante precem & oblationes, sed post oblationem commendata nomina commemorari inter mysteria in ipso nempe canone missæ. Eodem refertur ecclesiasticus usus, si diligenter id observetur: nam in missa D. Iacobi fratris domini (illi enim acceptam referri oportere, copiose probat Claudius Sanctes Ebroicensis episcopus in libello, seu præfatione sua in sacras liturgias, cap. 8.) ita habetur: *Meminisse digneris, domine, eorum, qui has oblationes obtulerunt hodierno die ad sanctum altare tuum, & pro quibus unusquisque obtulit, vel in mente habuit; & eorum,*

rum, quos nuper tibi recensui. Et in D. Basilii Cæsareæ Cappadociæ episcopi *Anaphora*, ex vetustissimo codice Syriaca lingua & charactere scripto, interprete Andrea Masio, ita legitur: *Memento etiam, domine, eorum, qui decesserunt, migraveruntque ex hac vita; & episcoporum orthodoxorum, qui inde a Petro & Iacobo apostolis ad hunc usque diem rectum fidei verbum clare sunt professi, & nominatim Ignatii, Dionysii, Iulii*, cet. Hæc consuetudo etiam manavit a sæculo illo D. Dionysii, quum idem in θεωρίᾳ sanctæ synaxeos doceat, memoriæ divinæ commendari solitos eos etiam sanctos viros defunctos, quorum nomina recitarentur; idque significari illis verbis sacrorum Bibliorum: *Pretiosa in conspectu domini mors sanctorum eius*: non quod Deo Opt. Max. aliquid in memoriam revocari necesse sit, sed, ut idem explicat, *more humano loquentes memoriam nominamus in Deo cognitionem illam pretiosam & virorum perfectorum, qui secundum immutabilem Deum vitam transmiserunt*. Et rursus in eadem D. Basilii Anaphora: *Memento etiam, domine, patrum fratrumque nostrorum, qui obierunt in vera fide, presbyterorum, diaconorum, hypodiaconorum, lectorum, cœnobitarum in cælibatu perpetuo vivectium, laicorum, quorum omnium tu numerum solus nosti: potissimum vero, qui iam nominantur*, cet.

Quod etiam in missa Chrysostomi factum est, ubi non sub principium dumtaxat, uti apud Dionysium Areopagitam, & in missa Iacobi, sed circa consecrationem eucharistiæ quoque repetitur dicta nominum recitatio. Permansit autem huius rei vestigium in canone nostro iuxta quosdam M. S. codices: *Memento, domine, famulorum famularumque tuarum, nomina.* Et rursum pro defunctis, secundum Micrologum: *Memento etiam, domine, eorum nomina*, cet. Verba autem Micrologi si quis requirat, & quia maxime, quæ diximus,

mus, illustrant, hæc sunt, *de ecclesiast. observat.* cap. 13. *Sciendum est autem, quod Romana auctoritas nomina vivorum fidelium internumerare permittit, ubi dicitur*; „Memento, domine, famulorum famularumque:“ *&* *similiter defunctorum, ubi iterum dicitur*: „Memento, etiam, & eorum nomina.“ *Et hoc etiam notandum, personas prælatorum & subiectorum in canone distingui. Vbi enim domini apostolici, sive episcopi nostri nomen adsumimus, de prælatis agere videmur: de subiectis vero statim in sequenti versu, ubi dicimus*: Memento, domine famulorum famularumque tuarum. *Item illud*; Hanc igitur oblationem servi, cet. *de prelatis sonat, nam quod sequitur*; Sed & cunctæ familiæ tuæ, *subiectos videtur intimare.* Vnde & memores, domine, nos servi tui, *de prælatis*: sed & plebs tua sancta, *de subiectis agere non dubitatur.* Quorum vero nomina recitanda, audi eumdem Micrologum libro eodem cap. 17. *Post mortem Christi in cruce commemoratio mortuorum subsequitur; quia nec aliorum defunctorum commemoratio agenda est, nisi qui in Christi morte redemti sunt, & in Christo hanc vitam finierunt.* D. porro Cyprianus illo videtur etiam respexisse epistola ad clerum & plebem Furnitanorum, quum ait: *Quod episcopi antecessores nostri religiose considerantes, & salubriter providentes, consueverunt, ne quis frater excedens ad tutelam, vel curam clericum nominaret: ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione eius celebraretur: neque enim apud altare Dei meretur nominari in sacerdotum prece, qui ab altari sacerdotes & ministros voluit avocare.* Subdit paullo post Cyprianus: *Et ideo Victor quum contra formam nuper in concilio a sacerdotibus datam Geminium Faustinum presbyterum ausus sit tutorem constituere, non est quod pro dormitione eius apud vos fiat oblatio, aut deprecatio aliqua nomine eius in ecclesia frequentetur; ut sacer-*

cerdotum decretum religioſe & neceſſaria factum ſervetur a vobis. Hæc Cyprianus. Neque autem aliud erat veteri eccleſiæ more anathematizatio mortuorum, quam quod pro illis defunctis non orabatur, atque delebantur eorum nomina a ſacris diptychis: de qua latiſſime Iuſtinianus Imp. in epiſtola ſua ad Ioannem papam II. inter acta ſynodi V. univerſalis, ubi docet, quod ſynodus dicta can. XII. Theodorum poſt mortem anathematizavit, non novum eſſe; ſed iam olim uſitatum in Valentino, Baſilide, Marcione, Cerintho, Manicheo, Eunomio & Bonoſo. Id ipſum comprobant ſynodus Nicæna de Ario, ſynodus Conſtantinopolitana I. de Macedonio; teſtimoniis item Damaſi papæ, ſynodi Sardicenſis ex Athanaſio, Chalcedonenſis de Domitiano & Dioſcoro, D. Auguſtini epiſt. XL. & concilii Africani can. 48. Eodem pertinent, quæ habet D. Auguſtinus *de unitate eccleſiæ* cap. 7. epiſtola 152. ad Donatum, & in epiſtola 137. clero & plebi eccleſiæ Hipponenſis; & alias ſæpius: item quod Socrates lib. VI. cap. 7. & 10. & 40. Nicephorus lib. VII. cap. 27. & 28. & Liberatus Carthaginienſis *Breviculi* ſui cap. 13. Origenem poſt mortem anathematizatum dicunt.

Superioribus omnibus locis de nominibus perſonarum inſcribendis, vel delendis in ſacris tabulis conſtitit; verum ſynodorum etiam & conciliorum in ſacris diptychis legi commendationem docet Iuſtinianus conſtutione VII. Græca *de ſumma Trinitate* his verbis: *Nemo igitur nos fruſtra perturbet inani ſpe confidens, nos adverſus illas ſanctas quatuor ſynodos aliquando feciſſe, aut eſſe facturos, aut ab aliquo fieri paſſuros, aut auferri permiſſuros ſacram ipſarum ſynodorum memoriam in eccleſiis ex his, quæ diptycha appellantur.*

Addamus, ſi libet, coniecturas, quibus in re non adeo perſpicua aliquid etiam loci relinquitur; fortaſſe fuiſſe tantum velut tabulas ſacri canonis, quibus nunc

utimur : & non easdem fuisse vivorum & mortuorum; sed alias, atque alias. Atque id videtur innuere Atticus apud Nicephorum lib. XIV. cap. 26. cuius verba iam proposuimus. Ex laicis vero forsan præcipuos tantum, & capita Reipub. commemorari solitos.

Nunc ut hæc diptycha multis locis disiecta & dissipata in unum cogantur, & simplici oratione expressa simul spectentur; coniicimus, fuisse primum tabulas ab ipso tempore apostolorum, quibus nomina sanctorum tantum defunctorum continerentur: deinde posteriori sæculo fuisse binas tabulas, e quarum altera episcopi, qui religiose vixerant; altera vero aliquot laici catholici & mulieres, conceptis nominibus una cum fide sacrarum synodorum Deo commendarentur post oblationem inter mysteria: ita tamen, quod ex Micrologo retulimus, ut prius vivorum, deinde defunctorum commemoratio separatim ageretur: his potuisse subinde plura nomina adscribi, & item expungi eorum, qui impietatis & hæreseos nomine male audissent, etiam post eorum mortem.

FINIS.

ORA-

ORATIO

DE

D. STEPHANO PROTOMARTYRE

HABITA IN SACELLO ROM. PONT. ANNO IVBILAEI M. D. LXXV. SVB GREGORIO XIII.

A

IO. BAPTISTA CARDONA,

VALENTINO, DOCTORE THEOLOGO, CANONICO ORIOL.

LVGDVNI.

EXCVDEBAT PETRVS ROVSIN. M. D. LXXV.

EDITIO III.

AD ILLVSTRISSIMVM ET REV. DOMINVM

PROSPERVM S. R. E.

PRESB. CARDINALEM S. CRVCIS NVNCVPATVM

ALEXANDER BERVICH,

ABBAS COMMENDATARIVS MONASTERII B. MARIAE DE SCARP. ORDINIS CISTERCIENSIS, ILERDENSIS DIOECESIS,

SAL.

QVVM eſſem Lugduni, quo curiam petens negotiorum tuorum cauſſa me contuleram, adlata eſt ad me Roma *Oratio*, quam reverendus dominus IO. BAPT. CARDONA in die feſto ſancti STEPHANI protomartyris habuit in ſacello pontificis inter miſſæ ſolemne ſacrificium coram pontifice vobisque cardinalibus, quamque multorum litteris conſtabat valde placuiſſe, tuoque præcipue iudicio summopere commendatam fuiſſe. Neque vero aliter accidere debuit: tam gravis eſt, tantis ingenii ac doctrinæ luminibus ornata, tanta præterea continet religionis myſteria. Quumque neceſſario brevis fuerit, nihil tamen in ea ad argumentum, quod tractat, pertinens prætermiſſum videtur. Neceſſe autem fuit, eſſe brevem ob hanc cauſſam: duo anteceſſerant dies ſacris muneribus obeundis, tum pontifici, tum vobis cardinalibus maxime laborioſi. Tertius, quo habebatur oratio, excipiebat, in quem quid operis incideret, quid attinet commemorare, quidve opus eſt dicere longiori orationi nullum prorſus fuiſſe locum? Sed ad me revertor. Quum eam

orationem legissem, quumque quid tu de ea sentires, cognovissem, nihil me commodius facere posse iudicavi, quam si eam impressoribus, quorum hic magna copia est, traderem, qui illam ad communem hominum utilitatem divulgarent. Præterea non sum arbitratus alienum, immo cum hac opera, quam sumsi, penitus congruens, 1 sanctæ portæ aperiendæ preces addere atque ostendere. Res est enim, quæ gravissima cærimonia continetur, & qua homines religiosi, qui eam non viderunt, non solum propter cognitionem oblectari, sed etiam propter pietatem multum confirmari & adiuvari possint. Totam autem hanc rem tibi patrono meo singulari dedicavi, & te rogo, ut eam æqui boni consulas ut ab optimo animo tibique deditissimo profectam, Deumque precor, ut te omni felicitate augeat atque cumulet. Vale. Lugduni XV. Ianuarii M. D. LXXV.

1 Preces hasce Sanctæ portæ aperiendæ omisimus, quoniam nihil ad institutum nostrum facere videbantur.

ORATIO
DE
D. STEPHANO PROTOMARTYRE

HABITA IN SACELLO ROM. PONT. AN. IVBILAEI [1] M.D.LXXV.

SVB GREGORIO XIII.

ETSI christiana resp. in sanctorum natalibus gaudere semper iure ac lætari & debet, & solet, quod in his immensa beneficia, quæ Deus in homines contulit, memoria repetuntur: hic tamen dies est, beatissime pater, omnium iucundissimus & præter ceteros omni laudum genere cumulandus, in quo profecto redundantem lætitiam cohibere nequimus, quin vultu gestibusque spiritalis sanctique gaudii signa prodantur. Longe enim nobis maxima hoc sancto veræque salutis tempore contigerunt, quæ ad erigenda sursum corda, & ad divina adoranda mysteria ampliorem præbent materiam, ut quod magno Dei munere agitur, magna etiam ecclesiæ gratulatione celebretur.

Illuxit iam nobis dies redemtionis novæ, reparationis antiquæ, felicitatis æternæ. [2] *Ecce evangelizo vobis gaudium magnum, quia natus vobis salvator, qui est Christus dominus*. Natus de patre sine die, per quem factus est omnis dies, voluit in terra habere natalem diem. Quisquis in die miraris æternum, mirare potius ante omnem diem permanentem, omnem diem creantem, in die nascentem, diem a malitia liberantem. [3] *Canta-*

1 In editione Lugdunensi corrupte legitur an. M. D. LXXIV.
2 Luc. 2.
3 Psalm. 97.

tate domino canticum novum, quia mirabilia fecit. 1 Qui loquebatur olim per prophetas, ecce adest, 2 *Deus ultionum Dominus*, en 3 *quasi unus ex nobis factus est.* 4 *Omnes gentes plaudite manibus, iubilate Deo in voce exsultationis*, quoniam 5 *parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis.* 6 *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit, & fecit redemtionem plebis suæ.*

Sed præter hanc annuam revolutionem, qua salutis nostræ sacramentum reparatur, aliæ huius diei locique propriæ ac peculiares caussæ accesserunt, quæ huic publicæ communique lætitiæ permagnam adferunt accessionem. Agendum nobis est hodierno die de beato STEPHANO protomartyre, in cuius natali die est quidem, cur tu, beatissime pater, beati Petri summi principis summus verusque successor, lætari pro omnibus debeas, propterea quod STEPHANVS 7 teste Ambrosio primus piscis fuit captus a Petro, non reti, sed hamo levatus, ut rivo sui sanguinis elevaretur ad cælum: in cuius ore thesaurus staterque iustitiæ fuit inventus. Lætatur etiam hodierno die Petrus, quia lætatur & Paullus eius individuus fidusque comes, quod eius merita recolantur, cuius orationibus maxime 8 adiutus. Ecclesia enim Paullum non habuisset, nisi STEPHANVS pro eo orasset. Nunc Paullus secus, ad cuius 9 pedes lapidantium STEPHANVM deposita fuerunt vestimenta, cum STEPHANO lætatur, cum STEPHANO Christi claritate perfruitur, cum STEPHANO exsultat, cum STEPHANO regnat. Accedit tandem iubilæi, remissionis ac reconciliationis acceptabile tempus, portæque sanctæ apertio, quæ omnia sancta dum sanctissime sibi mutuo respondent, di-

1 Hebr. 1.
2 Psal. 93.
3 Gene. 3.
4 Psal. 46.
5 Isa. 9.
6 Luc. 1.
7 Lib. 5. *Exham.* lib. *de exam.*
8 Lego: *adiutus est.*
9 Act. 7.

divina se satis esse declarant. 1 *Quæ enim a domino sunt, ordinata sunt.*

Christus dominus suo adventu cælorum regna aperuit, 2 portas æternales elevavit. STEPHANVS hodie 3 cælos videt apertos, & filium hominis stantem a dextris virtutis Dei: & nunc Christi fideles iubilæi sanctam portam apertam vident, ut intelligant iubilæi portam aditumque cunctis ad salutem nunc maxime patere.

4 *Impleti sunt dies, ut pareret* MARIA, *peperitque filium suum primogenitum.* Impleti sunt hodie dies ecclesiæ partus, peperitque filium suum martyrum primogenitum, STEPHANVM. Impleti sunt iubilæi sacratissimi dies, in quibus, qui 5 primogeniti ante omnem creaturam primas in terris vices gerit, iubilæi sanctam ianuam reseravit, qua fidelibus plenissimam peccatorum peperit remissionem.

Christus dux noster primus est, qui egregiam victoriam & amplissima spolia de sævissimo communique hoste reportavit. 6 Nunc enim *princeps huius mundi eiicietur foras*, STEPHANVS 7 *plenus gratia & fortitudine faciebat prodigia & signa magna in populo.* 8 Iudæos dura cervice incircumcisos cordibus & auribus, dentibus stridentes & subegit ac magnifice superavit, & ante alios prima pericula subiit, victricia signa præmisit, & lapidibus saxisque in præruptum cælorum murum, quem iam apertum viderat, evolavit, & tamquam summæ constantiæ signifer Christi vexilla ad summa mænia & decussas murorum pinnas audacter animoseque extulit, atque defixit, ut deinde viri fortes in cælum sanctamque Hierusalem erumperent, & instructiores validioresque facti maiora animo agitare inciperent, adscis-

ce-

1 Rom. 13.
2 Psal. 23.
3 Act. 7.
4 Luc. 2.
5 Colos. 1.
6 Ioan. 12.
7 Act. 6.
8 Act. 7.

cereque sibi novas vires atque ardentis virtutis Dei secundas vices experiri constituerent. *Regnum enim caelorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Mirabilis pugna, quo magis impugnatur STEPHANVS, eo robustior invenitur: & quo magis eius corpus lapidibus obruitur, eo magis fides augetur. Insuperabilis miles, est, cui virtus ex vulneribus crescit, ex minarum terroribus animus surgit. Nova & inaudita pugna est, ubi unus populum, imbellis cuneum, inermis aciem, solus deiicit legionem. Mirabilis & stupenda victoria, ubi vivit, qui occiditur; surgit, qui deiicitur; vincit, qui superatur; ubi mors evaditur, quum subitur; vita incipit, quum finitur; & nunc 1 postes domus Dei, sanguine agni, nunc nati, & STEPHANI, indulgentiarum summa benignitate tinguntur, quae a Christi sanctorumque meritis vim suam acceperunt, ut ab angelo percutiente tutius defendamur. 2 Adversus hanc portam non praevalebunt portae inferi. 3 *Saepe enim expugnaverunt me a iuventute mea, sed non potuerunt mihi.*

Christus dominus suo adventu caelorum aditum densissimis repagulis interclusum aperuit, portas aereas contrivit, vectes ferreos confregit. Ipso nascente victi sunt errores, subactae sunt potestates, accepit novum mundus exordium. At STEPHANVS divinis viris faciliores ac illustriores aditus ad caelos dedit, & viam nova vincendi ratione munivit: quam sui martyrii lapidibus silicibusque stravit, ornavitque, & quasi gradum quemdam iecit, ut posteris ad caelos facilior via pateret. Et nunc sacrum ecclesiae aerarium aperitur, & pretiosissimi thesauri, qui in eo repositi custodiuntur, benigne ac liberaliter dispensantur, & sanctae 4 remissionis porta reseratur, iusti intrabunt per eam, 5 ingredientur & egredi-

1 Exod. 12.
2 Matt. 16.
3 Psal. 106.
4 Psal. 117.
5 Ioan. 10.

dientur ; & paſcua invenient. 1 Abrahamo in ſuæ tabernaculi oſtio, in ipſo diei fervore apparuit dominus. Hodie divini ferventiſſimique amoris clariſſima indicia in ipſo templi veſtibulo proferuntur. 2 Saul a Samuele in medio inſtruitur, hodie miris inſtruimur documentis, quæ mente concipere nequit humana imbecillitas, & quum multa mecum replico, omnia complicantur. 3 Chriſtus dominus extra portam paſſus eſt, STEPHANVS 4 extra portam paſſus eſt: non enim in porta ſunt paſſi, in qua vita & ſalus ſunt conſtituta. Magi intrantes in venerunt puerum cum MARIA matre eius: *intrantes* ſcribit; quod non ſine myterio notavit 5 evangeliſta, quaſi in foribus ipſis. Adoleſcens ille defunctus efferebatur, 6 filius unicus matri ſuæ, ſed quum portæ civitatis appropinquaret, vita eſt illi a domino reſtituta. In iſtis verſamur: 7 *Beatus vir, qui implevit deſiderium ſuum ex ipſis, non confundetur, quum loquetur inimicis ſuis in porta.* Introite igitur, patres ampliſſimi, 8 per anguſtiſſimam portam, quæ ducit ad vitam, 9 *introite portas domini in confeſſione; atria eius in hymnis confitemini illi.* 10 Adnuntiate omnes laudationes veſtras in portis filiæ Sion, 11 *Introite in conſpectu domini, & in exſultatione*, & exaltabit vos dominus 12 de portis mortis. 13 *Introite domum domini, adorate eum in atrio ſancto ſuo.* 14 Revertamur omnes ad poſſeſſiones antiquas, & manſiones nobis paratas ante mundi conſtitutionem, quia iubilæus eſt: redeamus ad priſtinas familias, quia iubilæus eſt: non ſeramus, obſecro, neque metamus in huiuſmodi agro, quia iubilæus eſt, naſcen-

1 Gene. 18.
2 I. Reg. 9.
3 Hebr. 13.
4 Act. 7.
5 Matt. 2.
6 Luc. 7.
7 Psal. 126.
8 Matt. 7.
9 Psal. 99.
10 Psal. 9.
11 Psal. 99.
12 Psal. 9.
13 Psal. 5.
14 Levit. 25.

scentia, & primitias vindemiæ eius ac colligamus, quia iubilæus est, sed regnum cælorum, quæramus ex animo; & 1 *omnia adiicientur nobis*. Faxit deus Opt. Max. qui per 2 Moysen populo Israelitico annum iubilæi instituit, ut nobis quoque liceat eum feliciter incohare, felicissimeque perficere, ut indulgentia ac remissione peccatorum obtenta, quum dies nostræ vocationis advenerit, ad cælestem gloriam perducamur. Faxit STEPHANVS sanctissimus apud dominum suis patrociniis precibusque, ut ecclesiam, & hanc sanctam sedem 3 columnam ac firmamentum veritatis, & sanctissimum D. N. GREGORIVM XIII. diu nobis per longa ac beata tempora salvum & incolumen conservet ad ecclesiæ salutem, & Christi laudem, cui est honor & gloria sempiterna. Amen.

1 Luc. 12.
2 Levit. 25.
3 I. Tim. 3.

FINIS.

TRA-

TRATADO
DE LAS OCHO QVESTIONES DEL TEMPLO,

PROPVESTAS POR EL ILL.^{MO} SEÑOR DVQVE DEL INFANTADGO,

I RESPONDIDAS POR EL DOCTOR

VERGARA,

CANONIGO DE TOLEDO.

SEGVNDA IMPRESSION.

COMIENZA EL TRATADO DE LAS OCHO QVESTIONES

DE LA REPARACION DEL TEMPLO DE SALOMON.

PROPVESTAS POR EL ILL.MO SEÑOR

DON IÑIGO LOPEZ DE MENDOZA,

DVQVE DEL INFANTADGO, MARQVES DE SANTILLANA, CONDE DEL REAL DE MANZANARES, CET.

I RESPONDIDAS POR EL DOCTOR

JAVN DE VERGARA,

CANONIGO DE LA SANTA IGLESIA DE TOLEDO.

CARTA DEL SEÑOR DVQVE AL DOCTOR

SOBRE LAS DICHAS QVESTIONES.

„ MAgnifico i mui reverendo señor: Andando es-
„ tos dias passados a caza fuera de mi casa,
„ leiendo en Esaias, hallé que en el capitulo 44.
„ i 45. dice, que la voluntad de Dios era, que Cy-
„ ro, a quien él havia hecho rei de muchas gentes,
„ enviasse su pueblo a la tierra, de donde era natural,

 „ pa-

„ para reedificar el templo de Hierusalem. I aunque „ Esdras lib. I. dice, que era Hieremias quien dixo „ esto; en el capitulo 24. i 25. donde ello havia de „ estar, no hallo quien lo dice: i pareciendome que „ havia leido en otras partes, que el templo se havia „ reedificado en tiempo de otros reies, quise averi- „ guarlo, i quanto mas lo he procurado, tanto menos „ entiendo lo cierto de ello. I por esto, señor, os en- „ vio lo que he podido sacar de la Biblia, assi de „ los libros de Esdras, como de Prophetas i Paralipo- „ menon, que tocan algo de esta materia, juntamente „ con otros autores que cuentan tambien esta reedifi- „ cacion. Pidos por merced, pues vos, señor, lo ter- „ neis mejor entendido, i tratadas estas materias, me „ escribais lo que os parece dello: pues el parecer de „ vuestra merced será dar claridad a lo que estos auto- „ res tan dudosamente escribieron. “

RESPVESTA DEL DOCTOR.

ENvióme vuestra señoria ilustrissima a mandar, mui excelente señor, viesse ciertas dudas que los dias passados, andando vuestra señoria fuera de su casa ocupado en su exercicio de caza, donde suele dar algunos ratos a los libros, se le havian ofrecido, leiendo en Esaias cerca de la reparacion del templo de Salomon; i le escribiesse mi parecer sobre ellas. Gozéme sobre manera en ver los estudios, especialmente sagrados, assi ennoblecidos en manos de un tan gran señor, i no menos en ver el exercicio corporal de vuestra señoria tan bien acompañado con el espiritual contra la costumbre de los señores de nuestro tiempo, que preciandose mucho de los exercicios del cuerpo, dexan para la gente baxa los del espiritu, lo que de razon debia de ser al reves: que las personas mas altas aquellas se debian mas ar-

rear

rear de las mas altas i nobles operaciones, quales son del anima i espiritu. Porque dexando aparte la consideracion de la substancia de nuestra anima, cuia naturaleza excede a la del cuerpo, no solo quanto va de forma a materia, sino quanto va de espiritu a cuerpo, de perpetuo a corruptible, de participacion divina a participacion brutal: viniendo a las obras i exercicios de la una parte i de la otra por via moral, consta, que entre las operaciones i actos del anima a las del cuerpo hai la misma diferencia que entre el oficio del señor al del esclavo, conforme a aquella sentencia de Salustio: *Del anima usamos como de quien manda, i del cuerpo como de quien sirve*, que fue tomada de Aristoteles en el primero de la *Politica*, donde haciendo al imperio de la razon sobre la sensualidad imperio politico o real, que es como de señor a vasallo, hace al imperio del anima sobre el cuerpo imperio despotico o dominico, que es como de señor a esclavo. Pues darse los hombres del todo a las obras i exercicios de la parte material, corporal, corruptible i servil, menospreciando los actos i operaciones de la parte formal, espiritual, incorruptible i señora, sin duda es degenerar i caer de la nobleza de su propria composicion: lo que en altas i excelentes personas se debe mas reprehender. El exercicio moderado de la caza loable es, en un señor, ca conserva la sanidad i fuerzas del cuerpo, i desenvuelvele para los exercicios militares. Mas quando con la caza corporal se junta la del ingenio i espiritu, maravillosa compañia hacen; a lo menos quien de la una i de la otra juntamente usare, como vuestra señoria hace, no volverá vacio a casa: que si los perros i redes, o la mesma caza faltare, de los libros verná proveido: ca esta a todas horas salta; i si hoi no se dexa tomar, otro i otro dia espera, que ni el cazador la espanta, ni el villano la maldice, ni aun el lo-

bo

